


RR. PP. Eremitarum Camaldulen. Montis Regij prope Varsaviam

THEOLOGIA SPIRITUALIS FUNDAMENTALIS.

SEU

VERA, CHRISTIANA, DIVINA SAPIENTIA.

Quæ est

ARS ARTIUM;

GEMMA, FRUCTUS, AC FINIS SCIENTIARUM;

SCIENTIA SALUTIS,

Benè Beatéque vivendi in Tempore, ac Æternitate.

Omni ex parte compendiosè absoluta:

Magistris, (Asceticis, Mysticis, Concionatoribus, Confessariis, Catechistis) & Discipulis Christianæ Sapientiæ, eximiè utilis ac necessaria.

Missionariis quoquè & aliis Viris Apostolicis multùm proficua.

Tum ad usum ac praxim omnis Statûs Ecclesiasticorum, Religiosorum, atquè Sæcularium accommodata.

AUTHORE R. P. FELICE SIMPLICI ŁACKI,

S. Theologiæ Professore, & Priore Monasterii B. MARIÆ V. de Oliva, S. O. Cisterciensis.

Typis MONASTERII OLIVENSIS Sacri Ordinis Cisterciensis,

Imprimebat JOANNES JACOBUS TEXTOR, Anno M. DC. LXXXVII.

DEO
UNI TRINO,
PATRI, FILIO, SPIRITUI SANCTO,
VOTUM.

PRodit in conſpectum Divinæ Majeſtatis Tuæ Theologia noſtra Spiritualis: ſeu redit in ſuum Principium. Illa enim eſt à Te DEO *datum optimum, & donum perfectum, deſcendens à PATRE Luminum:* Jac. c. 1. Illa eſt verbum DEI, & ſapientia participata a VERBO æterno, & SAPIENTIA imparticipata; dulciter lucens, & reducens ſedentes ex umbra mortis, in æternum gloriæ lumen: Illa eſt Amor ab AMORE PATRIS, & FILII, SPIRITU SANCTO emanans, rapiens ignis ad inſtar ex infimis, illic hærentem hominem, & ſurſum levans in ſuum centrum DEUM. Sed vereor Domine, nè radiantiſſima hæc flamma cæleſtis, tranſiens nubilum teporemquè ſpiritus mei, ecclypſim quampiam patiatur: niſi forſan clariùs eluceſcant oppoſita ſibi, licèt tanquam minùs & magìs perfectum, ut vitrum & gemma, æs & aurum, ſtella & ſol comparata, illa iſtis amplius pretium parant: Ita quoquè ignitum eloquium tuum per ora Sanctorum tuorum ſparſum, languente ſer-

mone meo aſperſum, ferventius rutilantiusq; comparebit. Utut eſt, Tu immenſa Bonitas, non deſpicies unius vermiculi ſeu pulviſculi terræ Votum, quo, unà hoc cum Opere Tuo honori & gloriæ totum me perenniter Dono, Dedico. Quin potiùs ineffabili Pietate tuâ reſpiciens, & ſuſcipiens; da ſupplex precor, *Voci* tuæ *vocem Virtutis*, quatenus hoc Opus ante Thronum (de quo *procedunt fulgura, & voces, & tonitrua*) Majeſtatis tuæ depoſitum, cieat fulgura coruſcæ veritatis in agnitionem Tui, & Tuæ Voluntatis; intonet timore judiciorum tuorum; demittat ignem amoris Tui in terram, ut vehementer accendat corda mortalium. Inſpira (ut facis gratiosè pluribus, ſic & reliquis) Prælatis Eccleſiæ ardentiorem Zelum gloriæ Tuæ, & ſalutis animarum; in qua promovenda, hoc Opere poſitas Induſtrias, Tuo Spiritu Divino adinventas, Tuorumquè fidelium Servorum uſu practicatas, ſed heu! heu! incipiente *frigeſcere charitate*, *& abundare iniquitate*, cum plurimorum de Chriſtianis populis perenni exitio neglectas, adhibeant. Quem fructum, dum ſub auſpiciis gratiæ Tuæ ſpero, ille erit unicum votum & merces mea, nempe in Tempore, & Æternitate, Tuus, & Tuorum, Major Honor & Gloria.

Pſalm. 67.
Apoc. 4.
Matth. 24.

INFINITÆ MAJESTATIS TUÆ

Infima Creatura,
Tibi æternùm devotiſſima
Felix Simplex.

PRÆFATIO
Ad Magiſtros, & Diſcipulos Chriſtianæ Sapientiæ.



Cademiam, in qua docetur & diſcitur
Divina Sapientia, eſſe Sanctam, Catholi-
cam, Apoſtolicam Eccleſiam, patet. Ipſa
enim increata & incarnata Sapientia hu-
jus Academiæ Præſes, quid aliud ageret,
quàm lucidiſſimos Cæleſtis myſterii radios quaqua-
verſum ſpargeret? quippe vel duodennis conſidens in
medio Doctorum, in admirationem rapuit *omnes ſuper* Luc. c. 2
ſua prudentia. Deinde ſuis diſcipulis *omnia quæcunque au-* Joan. c. 15.
divit à Patre ſuo, nota fecit eis: potens deniquè in opere & ſer- Luc. c. 24.
mone coram DEO & omni populo. Et licèt juxta S. Bernar-
dum per ſuam Aſcenſionem *rediens ad regionem ſapientiæ*
Sapientia DEI, ubi bonum omnes intelligunt & requirunt, in- Serm. 2. in Aſc.
tellectu perſpicaciſſimi, affectu paratiſſimi ad audiendam vocem Domini.
ſermonum ejus, pauperem ſuam Scholam (Novellam diſcipu-
lorum Eccleſiam) *relinqueret*, promiſit ſe tamen cum ea,
quantùm inviſibiliter, manſurum *omnibus diebus usq; ad* Matth. c. 28.
conſummationem ſæculi: Et per *Spiritum veritatis docturum* Joan. c. 16.
omnem veritatem: ut jure merito ſit ipſe *Magiſter unus, qui* Matth. c. 23.
in cælis eſt Chriſtus Dominus. Unus, inquam, ſupremâ au-
thoritate; Etenim participatâ ratione Magiſterii ſunt
quoquè Apoſtoli, quorum unus titulo *Doctoris gentium* 1. Tim. c. 2.
ſeipſum appellat: ſunt Apoſtolorum Succeſſores Epi-
ſcopi, à S. Abbate Claravallenſi *Magiſtri Eccleſiarum,* S. Bernardus
nominati; ſunt denique Prælati Religioſarum Com- in Converſ. S.
munitatum, & alii Curati animarum; quibus vel per Paul. Serm. 1.
Summum Pontificem, vel Epiſcopos communicata eſt

potestas & munus Divini Magisterii. Juxta quod de his DEUS per Prophetam dicit: *Et dabo vobis Pastores juxta cor meum, & pascent vos scientiâ & doctrinâ.* Jerem. c. 3.

Discipuli in Academia Christi, omnes sunt Fideles in Sancta Catholica Ecclesia. De illis quippe Vates prædixerat: *Ponam universos filios tuos doctos à Domino.* Seu ut Christus ait: *Est scriptum in Prophetis: Et erunt omnes docibiles DEI.* Classes hujus Academiæ disponuntur Infimâ seu Incipientium, Mediâ seu Proficientium, Supremâ seu Perfectorum.

Isai c. 44. Joan. c. 6.

Objectum Sapientiæ Divinæ, quod in Academia Sanctæ Christi Ecclesiæ maximè proponitur, est illud, quod insinuat Apostolus dicens: *Verbum crucis pereuntibus quidem stultitia est: iis autem qui salvi fiunt, id est nobis; DEI virtus est. Scriptum est enim: Perdam sapientiam sapientium: & prudentiam prudentium reprobabo. Ubi sapiens? ubi scriba? ubi conquisitor hujus sæculi? Nonne stultam fecit DEUS sapientiam hujus mundi? Nam, quia in DEI Sapientia non cognovit mundus per sapientiam DEUM; placuit DEO per stultitiam prædicationis salvos facere credentes. Quoniam & Judæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt: nos autem prædicamus Christum Crucifixum: Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam: ipsis autem vocatis Judæis atq; Græcis Christum, DEI Virtutem, & DEI Sapientiam.*

De hoc Objecto vide infra part 2. 2. 5. 7. 1. Cor. 1.

Et D. Bernardus inquit: *Hæc mea subtilior interiorq; Philosophia, scire JESUM, & hunc Crucifixum.* Crucifixus ergo Christus Causa, Materia, Forma, Exemplar, Finis, Centrum Christianæ Sapientiæ. Et paulò post idem Apostolus ait: *Sermo meus & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione Spiritûs & Virtutis: ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in Virtute*

Serm. 43. in Cant.

1. Cor. 2.

DEI

DEI Sapientiam autem loquimur inter perfectos. Sapientiam verò non hujus sæculi, neq; Principum hujus sæculi, qui destruuntur: sed loquimur DEI Sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit DEUS ante sæcula in gloriam nostram, quam nemo Principum hujus sæculi cognovit: si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Sed sicut scriptum est, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit DEUS iis, qui diligunt illum, nobis autem revelavit DEUS per Spiritum suum. Ex quibus verbis colligitur Mystica Theologia, quæ non tam verbo, quàm ipsâ beatâ experientiâ discitur. Porrò mellifluus Doctor ita disserit: *Gaudeo vos esse de hac schola, de schola videlicet Spiritûs, ubi bonitatem, & disciplinam, & scientiam discatis, & dicatis cum Sancto: super omnes docentes me intellexi. Quare? inquam. Nunquid, quia purpurâ & bysso me indui, & quia lautioribus epulis abundavi? Nunquid, quia Platonis argutias, Aristotelis versutias intellexi, aut ut intelligerem laboravi? Absit inquam, sed quia testimonia tua exquisivi.* Idem alibi: *Quid autem illo* (id est S. Petro) *sapientius, cui non caro & sanguis revelavit? Libentissimè Paulum sequor, qui & sapientiam & medullam sacrorum sensuum, non à primo, vel secundo, sed à tertio Cælo largiter asportavit. Hi sunt Magistri nostri, qui à Magistro omnium vias vitæ pleniùs didicerunt, & docent nos usquè in hodiernum diem. Quid ergo docuerunt, vel docent Apostoli Sancti? Non piscatoriam artem, non scenofactoriam, vel quicquid hujusmodi est: non Platonem legere, non Aristotelis versutias inversare, non semper discere, & nunquam ad veritatis scientiam pervenire. Docuerunt me vivere. Putas parva res est scire vivere? Magnum aliquid, imò maximum est.* (Et post pauca: *Bonam autem vitam ego puto, & mala pati, & bona facere, & sic perseverare usq; ad mortem.*

S. Bernardus Serm. 3. Pent. circa medium.

S. Bernardus in festo SS. Petri & Pauli Serm., circa med.

Igitur

Igitur ex his colligitur *Objectum Theologiæ Spiritualis esse Media Statûs vitæ supernaturalis, seu Actus Virtutis Christianæ ad Finem supernaturalem.* Sive restrictiùs & ad propositum loquendo: *Esse supernaturaliter & moraliter Bonam ac Beatam vitam hominis ex JESU Crucifixo, per JESUM Crucifixum, in JESU Crucifixo.* Ex *JESU Crucifixo,* tanquam *Causa Efficiente* tum valoris causarum moralium creatarum, tum essentiæ & virtutis causarum supernaturalium, productivarum Bonæ ac Beatæ vitæ supernaturalis seu Christianæ. Quòd enim Causæ morales v.g. Merita & Orationes Sanctorum habeant vim obtinendi gratiam benè beatequè vivendi supernaturaliter Christianis, hanc vim ex fonte vulnerum JESU Crucifixi profluere satis notum perspectumquè est. Omnia enim principaliter vi meritorum Christi nobis donantur, salutariaquè sunt. *Per JESUM Crucifixum,* sicut per Medium ad Finem supernaturalem vitæ Christianæ. Quod medium spectatum in ratione *Causæ Materialis,* an non proponit Christiano omne genus altissimæ perfectionis virtutum? In ratione verò *Causæ Formalis seu Exemplaris* consideratum, an non Christianus potissimùm ex motivo imitandi Christum suam vitam agere tenetur? Iste enim est Liber vitæ, secundùm quem judicandi sumus, an ei conformiter vixerimus. Imitatio ergo in Christum maximè Crucifixum transformativa, seu *Transformatio in Christum, lumen, & amorem Crucifixum, pauperem, contemptum, dolorosum, est medium principale statûs vitæ moralis supernaturalis, ad finem supernaturalem* perfectionis, sanctitatis, beatitudinis tuæ, & proximi, ad Gloriam DEI, Christi, DEiparæ, & Cælitum. *In JEsu Crucifixo.* Etenim *Causa Finalis* vitæ Christianæ, nempè DEUS, ubi magìs cognoscitur, amatur,

Vide Prælimi-nar. §: I. & 2. 2. §. 7.

Vide de hac Transform. 1.2. tract. I. c. I. sect. 2. §. 5. Et sect. 4. Et 2. §. 7. Et part. 3. trac. I. c. 2. sec. 3.

amatur, glorificatur quoad ſuam Potentiam, Sapientiam, Bonitatem aliaquè attributa Divina, quàm in JESU Crucifixo? Porrò ex majori Cognitione ardentioriquè Amore DEI, & eum conſequenti Gaudio Spiritûs, conſurgit major Perfectio, Sanctitas, Beatitudo Vitæ præſentis, quæ ſunt quoquè diſpoſitiones ad æternam Felicitatem. Myſtica quoquè Theologia non infunditur niſi perfectè Transformatis in Crucifixum. Deniquè ſignum Crucis in Univerſali Judicio coram omnibus Angelis, hominibus, dæmonibus erigetur in Trophæum Virtutis & Gloriæ DEI-HOMINIS. Imo in Patria, Vulnera Crucifixi tum formaliter ad oculum corporeum, tum occaſionativè ad cognitionem & amorem ſummæ DEI Bonitatis, erunt & ipſa ſpeciale objectum æternæ Beatitudinis. Appoſitè Magnus Magiſter Spiritualis inquit: *In Cruce ſalus, in Cruce vita, in Cruce protectio ab hoſtibus, in Cruce infuſio ſupernæ ſuavitatis, in Cruce robur mentis, in Cruce gaudium Spiritûs, in Cruce ſumma virtutis, in Cruce perfectio Sanctitatis.* Porro JESUS Crucifixus, ut eſt Objectum veræ Sapientiæ, non ſolùm intelligitur dum fuit externè & corporaliter Cruci affixus, verùm etiam ipſius *Tota vita*; quæ juxta Magiſtrum Spiritualem Crux fuit & Martyrium. Et B. Angela de Fulginio ajt: *In illo momento, quo fuit anima Chriſti humano corpori & Divinitati unita, ſtatim fuit repleta ſummâ ſapientiâ: & ideo Chriſtus ſtatim fuit viator & comprehenſor: & ſtatim in utero Virginis Matris ſuæ incepit ſentire ſummum dolorem, ſciendo, videndo, & conſiderando, & intelligendo univerſaliter & ſingulariter omnes pœnas, & quamlibet per ſe, quas ipſa anima cum ſua carne experiri debebat, & pro nobis tolerare.*

Thom. Kemp. lib. 2. cap. 12. § 2.

Ibidem.

Joan. Bollandus in vita B. Angel. Fulg. c. 16.

 Et ſi-

Et ſicut propinquus morti factus fuit in agonia, & in tanta triſtitia, quòd corpus ſudorem ſanguineum usquè ad terram emiſit, propter hoc, quòd acerbitatem mortis prævidebat: ita anima Chriſti prævidendo iſta tormenta ſibi affutura, ſummo dolore dolebat, quamvis corpus non experiretur tantum, ſi-
Cap. 13. *cut quando paſſioni fuit Chriſtus propinquus.* Item: *Anima in raptu intelligit acutum dolorem fuiſſe in anima Chriſti dum erat in utero Matris, ſicut poſtea habuit in Cruce.* Ibidem: *Regis Regum tota vita ſua Crux indicibilis fuit propter ineffabilem dolorem continuum, quem in ſe portavit.* Ex quo diſcurſu patet JESUM ab ipſo inſtanti quoad animam fuiſſe totâ vitâ ſuâ Crucifixum, donec & corpore Cruci affigeretur; adeoquè quos virtutum actus exercuit in Cruce, eosdem exercuit & totâ vitâ ſuâ, quamvis non ita patenter & expresſivè in corpore ſuo, & quoad humanum aſpectum & ſenſum noſtrum. Unde in hoc Opere dum virtutes Vitæ Chriſti & Pasſionis ad imitationem &c. proponimus, proponimus maximè ut Virtutes JESU Crucifixi; quia ita illas exercebat ac ſi eſſet Cruci affixus. Concludimus ergo, benè eſſe pro Objecto hujus Theologiæ Spiritualis ſtatutum, JESUM Crucifixum ut Cauſam, Materiam, Formam, & Finem vitæ Chriſtianæ ſupernaturaliter Bonæ ac Beatæ. Cùm JESUS quoquè Crucifixus quà DEUS, ſit Ens ſummum verum bonum, idem cum Patre & Spiritu Sancto, per eum ut cauſam altisſimam ad ejus Divinorum contemplationem, amorem, fruitionem aſcendimus. Sapientiæ quippe eſt, altisſima per altiſſimam cauſam conſiderare. Et quanquàm hoc in Opere contenta partis primæ, ad primam Perſonam Sanctisſimæ Trinitatis DEUM Patrem, partis ſecundæ ad ſecundam Perſonam Filium DEI,

Thom. Kemp. lib. 2. cap. 11. § 2.

Ibidem. Joan. Bollandus in vita B. Angel. Fulg. 16.

partis

partis tertiæ ad tertiam Personam Spiritum Sanctum, tanquam ad prima, altissima, & universalissima principia reduxerimus; Medio tamen Crucifixo IESU, (qui est *Mediator DEI & hominum*) juxta rationes supra allatas & cæteras reducta esse volumus, & debemus. 1. Tim. 2.

His suppositis, jam cum stupore, simul & ingenti dolore licet quærere: Cur ergo *stultorum infinitus est numerus?* Cur *dilatavit infernus animam suam, & aperuit os suum absquè ullo termino* propter eos, qui in dies pleno agmine *intereunt propter suam insipientiam?* Cur Abyssus illa horrendo remugit gemitu & lamentis? *Ergo erravimus à via veritatis, & justitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis.* Quæ principalis causa & origo tantæ cladis animarum? Magistri, Magistri nonnulli Ecclesiarum; vestra incuria Curati animarum, occasio ejusmodi spiritualium ruinarum. *Plerumq; enim* ex sententia Magni Gregorii, *Culmen Prælationis accipiunt, qui in Charitate DEI & proximi perfecti non sunt.* Unde languidi, frigidi, *cæci* facti *duces cæcorum*, paritèr *in foveam* ignis æterni *cadunt.* Quippe, dum *non sapiunt*, nec *intelligunt*, ac *novissima* minimè provident; sequitur, ut nec *principium Sapientiæ Timorem Domini* ipsimet noverint vel custodiant: nec in subjectis suis promoveant. Unde *absquè timore ullo filii hominum perpetrant mala; & in puncto ad inferna descendunt.* Nequè dicatis venisse ea tempora, quibus *abundavit iniquitas, refrixit Charitas multorum.* Quibus authoribus? nonne vobis, qui sinitis populum *quasi aquam bibere iniquitatem?* Nec accenditis *ignem* illum sancti amoris, quem *venit Dominus mittere in terram*, ut ardeat. Certè in deteriore multò statu sancti Apostoli reperêre Mundum, quem tamen ipsorum personæ duodecim subegerunt Legibus & disciplinæ

Eccl. c. 1. Isai. c. 5. Bar. c. 3. Sap. c. 5. S. Greg. l. 4. cap. 5. in 1. Reg. 10. Matth. 15. Deut. 32. Prov. 1. Eccles. 8 Job. 21. Matth. 24. Job. 15. Luc. 12.

 Christi:

Christi: Nunc Mundus plenus Sacerdotibus, & tamen in maligno posit⁹ est. Quid memorem Fundatores & Promotores Religionum? S. Basilius magnus verè magna Columna Ecclesiæ, nonne cum sua sacra familia ut Atlas quidam sustentavit olim Orbem Orientalis Ecclesiæ? Quid S. Augustinus? nonne sicut sol meridianus, super Africam suam levatus, & anagogicâ doctrinâ & clarissimis filiis, per Evangelium Christi genitis, lætificat & ædificat Civitatem Ecclesiæ DEI? Quantus à S. Benedicto per suam Benedictam familiam fidei & sanctitatis in toto Occidente diffusus splendor! Quot agmina Beatorum, Rectore S. Bernardo, vel ex unica Claravalle sua & tota penè Europa, ipso adhuc vivente & docente, in Cælum præmissa! Quot sydera Cælo, è suo Carmelo invexit igneus Helias! Numera si potes. Quantus zelus, prædicationis fervor, animarum fructus, incendente Orbem terræ illa cælesti faculâ S. Dominico! Quot Seraphinis instauratum Cælum ab uno paupere Francisco! Quàm notabilis reparatio murorum Cælestis Jerusalem ex conversione gentium, & probè educata Juventute à Societate JESU fundatore S. Jgnatio! (Idem & aliis Sanctarum Religionum Institutoribus & Propagatoribus sit congruus Honor) Ut proinde rectè S. Philippus Nerius asseruerit: *Decem personæ mundanis extricatæ lucris ac commodis, totum converterent mundum.* Non enim abbreviata est etiam nunc manus Domini, parata succurrere in tempore opportuno, modò quisque non desit officio suo. Sibi igitur imputent quidam Ecclesiastici, tum Religiosi Prælati, & Curati quòd *sua quærentes, non quæ JESU Christi*; & se, & sua, & quæ JESU Christi, perdunt. Hinc mellifluus Doctor inquit:

S. Philip. Ner. in sent. & Doct.

Epist. ad Philip. c. 2.

Non

Non omnes sunt amici Sponsi, quos hodie Sponsæ (Ecclesiæ Christi) *assistere cernis. Pauci admodum sunt, qui non quæ sua sunt quærant ex omnibus Charis ejus.* Et paulo infra: *Parum est nostris vigilibus, quòd non servant nos, nisi & perdant. Alto quippe demersi oblivionis somno, ad nullum Dominicæ comminationis tonitruum expergiscuntur, vel ut suum ipsorum periculum expavescant. Inde est, ut non parcant suis, qui non parcunt sibi, perimentes, pariter & pereuntes.*

S. Bernardus Serm. 76. super Cant.

Quid tamen agimus? quare è tantis malis Nos, Proximosquè eripere non eluctamur? quare novas Industrias salvandi animas non adinvenimus? Equidem hac in parte filiis lucis prudentiores sunt filii tenebrarum, qui mille artes excogitant perituras divitias comparandi, quàm nos pro nobis, & proximis nostris, cælestes thesauros aggregandi. Quidsi & vobis Magistri Ecclesiarum, aliquod novum (si non ad rem, certè ad modum) porrigatur Medium, quo, addita exiguâ operâ vestrâ, immensos tamen fructus in Ecclesia DEI facere possetis? Nonne id summæ felicitati vestræ deputaretis? Ecce ejusmodi Medium est. Deputetur in Academiis, Gymnasiis, Scholis; Alumnatibus, Seminariis Clericorum; Monasteriis, Conventibus, Collegiis Religiosorum, Magister Spiritualis, qui electis animabus certo tempore prælegat Theologiam Spiritualem, ejusquè difficiliora explicet, & ad Praxim ipsius potenter excitet: Deinde tempore determinato Discipuli Theologiæ Spiritualis, loco Circulorum seu Conferentiarum instituant colloquia spiritualia in materiis præfatæ scientiæ: per modum autem dubiorum inquirant Magistrum suum spiritualem de pertinentibus ad suum profectum in virtutibus; eiquè planè aperiant

Vide de Collat spirit. 1. 2. tra. 1. c. 1. sect. 4. subs. I. § 2.

ant cor ſuum, & juxta ipſius directionem faciant praxes & exercitia virtutum. Ad quæ omnia præſtanda, omni poſſibili modo, Magiſter ſuos Theologos Spirituales conabitur adducere, tanquam ad finem ab hac Divina ſcientia unicè intentum: ſine quo, aliàs eſſet parùm utilis. Porrò Rectores Scholarum, & Superiores Domorum Spiritualium, ſubinde experimentum faciant in Theologis Spiritualibus de ſua ſcientia; quid didicerint quà ſpeculativè, quà practicè; & in qualibus, ac quomodò, ſeſe quisquè exerceat virtutibus. Optima nota profectûs in hac Sapientia Divina, eſt vita innocens & proba. Modus verò ad inſtar Defendæ ex dicta ſcientia non alter asſignari poſſe videtur, quàm ut Oppugnans proponat quæſita in materia ſpirituali, quæ Defendens reſolvat & explicet, tum propter ædificationem Auditorum, tum ut Defendens inpoſterum erubeſcat contrarium ſuæ ſcientiæ ſalutari actitare. Defenda verò ex univerſa Theologia Spirituali fiet poſt mortem, ubi futurus acer oppugnator ſathanas, Auditorium ipſe Chriſtus & Curia Cæleſtis, à quibus Defendens vel æternâ gloriâ & laureâ coronandus, vel cum opprobrio perenniter manet reprobandus.

Qualitates autem Spiritualis Magiſtri, ac ejus Diſcipulorum, & quomodo Divinam ſapientiam ille profiteri, hi diſcere debeant, infra ſub Cauſalitate morali Magiſtri Spiritualis &c. deſcribimus. *Par. 1. c. 1. ſec. 2. ſubſ. 6.*

Hanc verò ſcientiam Theologiæ Spiritualis ad prima principia, ſcilicet ad quadruplex genus Cauſæ Efficientis, Materialis, Formalis, Finalis, & earum Effectum ſeu Productum reduximus. Felix enim eris, qui adeo ſublimis rei poteris cognoſcere Cauſas (juxta vulgatum

gatum axioma) ut quidquid ferè in ſpirituali materia dici cogitarivè queat, adeoquè omnes penè Bibliothecæ librorum ſpiritualium ad hoc Opus noſtrum videntur eſſe reducibiles ; ut penè infinitis posſit ampliari Tomis : Nos tamen nec nimietati, nec brevitati, ipſi verò mediocritati ſtuduimus. Porrò ex dictis patet, rectè hanc TheologiamSpiritualem titulo Fundamentalis appellari, quæ ad prima principia Cauſarum & Effectum, quæ ſunt rerum Fundamenta, reducta, illis ſuperinſtructa firma hæret. Cæterùm noſtra tenuitas exiguum quid hìc ſe præſtitiſſe exiſtimat, cùm vix aliquid ſuum, omnia aliena ſcilicet Sanctorum Patrum, & clarisſimorum Doctorum Eccleſiæ, celebriumquè Magiſtrorum Spiritualium ex ſelectioribus ſelectisſima nititur proponere. Tui gratià id factum candide Lector; ſpero enim hoc Opus ore, ſtylo, ſenſu, ſpiritu Magnorum in militante & triumphante Eccleſia virorum concinnatum, uberiùs poſſe in te fructificare, quàm ſi mei ignoti cujusdam homuncionis phraſes, aliorum ſenſibus ſuffuratis ſuperindutas, & ſpiritu vacuas, cum tædio revolueres. Nolo mea fatuæ corniculæ adinſtar plumis non ſuis tumidæ mentiri, & venditare quaſi propria : ſua cuiquè reddo, mihi ut pauperi ſpiritu propè Nihil. Præivêre mihi ad exemplum hâc methodo & alii, cumprimis illa Lucerna ardens & lucens Seraphicus Doctor S. Bonaventura, tum pietate & doctrinâ præſtantes Ludovicus Bloſius, P. Roſignolius, P. Euſebius Nierembergius, P. Nicolaus Lancicius, tum cæteri, qui plura Opuſcula penè meris ſacræ Scripturæ & ſanctorum Patrum, piorumq; virorum authoritatibus conſcripta ediderunt. Mihi ſuffecerit hoc Prov. 9.

Opere

Opere *dare occaſionem ſapienti* ad ſapientiam, & tales ſunt Perfecti: nam Incipientes, & Proficientes, opinor hìc reperturos ad ſui ſtatum inæſtimabiles theſauros. Deniquè unicè hìc intenderim cuncta Sacræ Scripturæ eloquiis exornare, quibus Actus virtutum ſupernaturalizentur, fiantquè *prout oportet ad ſalutem.*

Quanta verò ſit Neceſsitas, ſupraſpecificatâ Methodo, & infrà fuſiùs ſpecificandâ, tradere doctrinam practicam Sapientiæ Divinæ, ſeu principia benè beatequè vivendi Chriſtianè, patet: quia licèt eadem in Theologia Speculativa, Morali, vel Scripturali inſinuentur, remotè tamen, obſcurè, nec ſervato ordine, ut plerumquè in Oceano intranabili Sententiarum tanquam fluctuum contrariis ventis concitatorum, & ſeſe collidentium, intellectus, quo ſe vertere debeat, ignoret. Deinde quanquam ibidem voluntati aliqua practicanda proponantur, eis tamen minimè afficitur appetitus, utpote propoſitis ſine allectivis, imò ſine iisdem propoſita horret & refugit tanquam dura & ardua. In Communitatibus autem Clericorum, tum Aſceteriis Religioſorum, clariùs quidem & particulariùs doctrina, motiva, praxes virtutum traduntur, & Rudimenta plerumquè vitæ ſpiritualis oſtenduntur, cætera quisquis pro ſe quærere in libris opus habet: Unde evolvens Bibliothecam (qui illam habet) nunquid omnia in uno libro reperiet? aliqua in iſto, aliqua in illo, vel etiam eadem mutatâ phraſi & methodo; hinc modò iſta, modò illa exercitia virtutis, & iſtius, & illius arripiens, tandem cuncta deſerit: confuſus enim in imaginatione, neſcit quid priùs incipere, quid proſequi debeat. Sicut ille, qui ſine duce opacam ſylvam ingreſſus,

ignarus

ignarus viarum hinc inde tendentium, à cœpto itinere desistere cogitur, nè à recto tramite longissimè aberret in mille pericula.

Nequè dicas deficere tempus in Scholis pro scientia tradenda Theologiæ Spiritualis. Ad quod ego: Tollantur plures inutiles Quæstiones de possibilibus, Objectionum minùs necessariarum nubes abigantur, fusiores scripto Explicationes magis implicationes cohibeantur &c. superabundabit tempus fructuosioribus Subtilitatibus Theologiæ Spiritualis. Deniquè audi magnum Indiarum Apostolum S. Franciscum Xaverium dicentem: *Mihi verò persæpè venit in mentem, circum Europæ Academias cursare, ac insani ritu passim vociferari, eosquè, qui doctrinæ plus habent, quàm Charitatis, his compellere verbis: Heu! quàm ingens animarum numerus vestro vitio exclusus Cœlo, deturbatur ad inferos!* *Nierembergius doctrin. asceticæ lib. 6. cap. 7.*

Igitur Venerandi Magistri Ecclesiarum, ostensam arripite novam Methodum docendi Divinam Sapientiam animas vestræ curæ consignatas: Nimirum curate Magistros Spirituales, qui suppleant vices vestras, docendo Theologiam Spiritualem in Scholis, & Contuberniis Clericorum, ac Religiosorum. Hi enim per tale medium illuminati cælesti scientia, igniti charitate, probati omni virtute, quid nisi Ecclesiam DEI tot Sanctis de novo quot Doctis lætabundam increscere facient? quid, nisi populos vestros æternis splendoribus copiosè irradiare, Divinis ardoribuis accendere, ad omne virtutis genus commovere, potentes opere & sermone valebunt? quid, nisi digni Operarii missi, messem multam animarum Cælo inferent? Obsecro per futurum severissimum. Judicium vestri ante Tribunal Domini nostri JESU Christi, minimè ducite negligendum adeò facile & efficax medium sublevandi Onus vestrum Angelicis

 quo-

quoque humeris tremendum. Quid facilius quàm dicere; *Fiat*: id inquam ut fiat in Communitatibus vestrorum Subjectorum? Ut instituantur Magistri & Discipuli Theologiæ Spiritualis? O quanta felicitas vestra! sine ullo sumptu, modicâ operâ, aliquot verbis, per hoc medium tanta facere animarũ lucra! videte, nè adeò beatam occasionem omittatis. Sed jam mihi convertendus sermo ad vos Spirituales Magistri, & Discipuli Divinæ sapientiæ. Absit, absit, permittere vos superari (ut taceam à Mechanicis) ab aliis quoque scientiis Philosophicis vel Theologicis nimiùm speculativis: quæ absque Vestra Theologia Spirituali sunt obnoxiæ grandi periculo profundioris damnationis, sicut illa citra alias Scientias sibi sufficientissima ad salutem. Audite Apostolum: *Si linguis hominum loquar & Angelorum &c. etsi habuero prophetiam, & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam: Charitatem autem non habuero, nihil sum.* Et: *Scientia inflat, Charitas verò ædificat.* Absit inquam superari diligentiam vestram ab aliis Scientiis. Si enim parem insumatis laborem conatumquè ad benè beatèq; vivendum, ut illi ad suum caput torquendum, uberrimis in tempore & æternitate veræ felicitatis fructibus satiabimini; illis, in suis tormentis, relictis. Accommodè hìc S. Bernardus. *Multi quærunt Scientiam, pauci verò Conscientiam: si verò tanto studio & solicitudine quæreretur Conscientia, quanto quæritur sæcularis & vana Scientia; & citiùs apprehenderetur, & utiliùs retineretur. Cogitare namque de Conscientia, sensus est consummatus: & qui custodit illam, semper erit securus: salvâ reverentiâ Sapientiæ, utilius est currere ad Conscientiam quàm ad sapientiam; nisi Sapientia illa sit, quæ ædificat Conscientiam.*

1. Cor. 13

1. Cor. 8.

Ita precor agite, & prodibit tandem ex Academia Divinæ Sapientiæ Doctum, non vanum, Sanctum, Beatum, Aureum Sæculum.

FIAT.

FA-

FACULTAS ORDINIS.

NOs Fr. JOANNES de ROKSZYCE ZAPOLSKI, Divinâ Vocatione Abbas B. M. V. de Landa, Prothonotarius Apostolicus, per utramque Poloniam, Prussiam, & M. D. Lithvaniæ Commissarius & Vicarius Generalis S. O. Cisterc. J. U. Doctor, S.R. Majestatis. Exhibitum Nobis Opus Theologiæ Spiritualis Fundamentalis, Authore Reverendo Pr. Felice Simplici Łącki, Professo & Priore Conventûs Olivensis, Sacri Ordinis Nostri, ejusdemque Sacræ Theologiæ Professore; à Theologis Sacri Ordinis Nostri, & aliarum Religionum revisum & approbatum; cùm fundamentis Orthodoxis S. Fidei innitatur, omnique Statui ad omne genus virtutis & probitatis manuductionem præferat, ideo luce publicâ dignum censeo. Datum in Residentia Nostra Abbatiali Landensi, cum Nostra & Secretarii subscriptionibus die 31. Aprilis Anno 1687.

Fr. JOANNES ZAPOLSKI,
Abbas Landensis, Commissarius & Vicarius Generalis, Secretarius S. R. Majestatis.

(L. S.)

Fr. BENEDICTUS CASIMIRUS LEZENSKI,
Provinciarum Poloniæ Secretarius S. O. C. P. V.

FACVLTAS REVERENDISSIMI DOMINI ABBATIS OLIVENSIS.

NOS FR. MICHAEL ANTONIUS HACKI DIVINA PATIENTIA ABBAS MONASTERII B. MARIÆ V. DE OLIVA S. O. CISTERC. S. T. DOCTOR PROTHONOTARIUS APOSTOLICUS S. R. MAJESTATIS INTIMUS CAMERÆ SECRETARIUS, ET GENERALIS PORTORIORUM PRUSSIÆ COMMISSARIUS.

OPus Theologiæ Spiritualis Fundamentalis à R. P. Felice Simplici Łącki, Professo ac Professore S. Theologiæ in Monasterio Nostro Olivensi & Priore compositum; à pluribus Theologis tam Ordinis Nostri quàm etiam aliarum Religionum perlectum ac revisum, à Perillustr. ac Reverend. Dn. Commissario & Vicario Generali Provinciæ Nostræ S. O. Cisterc. per Regnum Poloniæ, M. D. Lithvaniæ & Prussiam, nec non ab Ordinario Censore facultate imprimendi donatum; & Nos præfatum Opus tanquam pietate, devotione, & eruditione refertum ut lucem publicam videat, concedimus. Datum in Monasterio Nostro Olivensi die 17. Maij in pervigilio S. Pentecostes 1687.

(L.S.)

FR. MICHAEL ANTONIUS HACKI,
Abbas Olivens. m. propr.

APPROBATIO ORDINARII CENSORIS.

THeologiam Spiritualem in Summam & tres Partes distributam, Authore Admodum Reverendo Pr. Felice Simplici Lacki, Priore & Professore S. Theologiæ in Conventu Olivensi S. O. C. ab aliquot Theologis lectam revisamque, utpote ipsam Epitomen & Summam Christianæ Sapientiæ, tam speculativè, quàm practicè complectentem, ac proinde omni hominum Statui apprimè necessariam, atque utilem, approbandam, atque luce publicâ dignam censeo. Dabam Gedani 15. Aprilis. 1683.

BALTHASAR ALEX. GISSA,
Gnesnensis, Vladislaviensis, Varsaviensis Canonicus, Decanus Volboriensis, Officialis Generalis Wladislaviensis m. propr.

APPROBATIO
ADMODUM REVERENDI
PATRIS THOMÆ SCHULC,
S. Theologiæ Doctoris, olim in Almo Studio Generali Cracoviensi Proregentis & Baccalaurei, nunc verò Prioris Gedanensis Ordinis Prædicatorum.

ACcuratè, & non sine magno animi solatio perlegi Opus hoc Theologiæ Spiritualis Fundamentalis, in Summam & tres Partes per tria Volumina distinctum, à Venerabili in Christo Patre ac Admodum Reverendo Domino Felice Simplice Lacki, Theologo, & Priore Olivensi, S. O.C. Felici; quia beata doctaque Simplicitate ex sana doctrina Orthodoxæ Fidei, & ex Doctorum Auctorum, Sanctorumque Patrum, & potissimùm S. Thomæ Doctoris Angelici, solidis ac securis fundamentis compositum. Edidit sanè hoc Opus Felix Simpliciter, Illustrissima Cisterciensium, ac Speciosa in campis Oliva, ut semper fructifera in Domo DEI. Exinde non jam una Noetica Columba unum ramum virentis Olivæ portabit; sed plurimæ Columbinæ Simplicitatis Animæ, plures virentes Spiritualis profectus feliciter continuabunt referre ramorum fasciculos. Sapientissimus Salomon *fecit in ingressu Oraculi duo Ostiola. ——— Et in Oraculo duos Cherubim de lignis Olivarum.* 3. Reg. 6. *Nec nostrum mentietur Opus Olivæ.* Abac. 3. pandet enim feliciter Cunctis pro & simpliciter in lectione ejus ambulantibus, non duo, ast multiplicata ostia ad securum confidentemque ingressum Oraculi salutis æternæ. Imò feliciùs dabit fructum suum, dum amantes sui non solùm lucidos Sapientiâ Cherubim, verùm etiam ardentissimos Amore DEI efficiet Seraphim. Quare illud

Prælo

Prælo publico pro utilitate publica, eaque Felici, simpliciter dignum judico, ac subscribo in Conventu Gedanensi Ordinis Prædicatorum die 21. Decembris 1686.

Fr. THOMAS SZULC,
Ordinis Prædicatorum, manu propria.

APPROBATIO
EX ORDINE PP. CARMELITARUM STRICTIORIS OBSERVANTIÆ.

Fr. Thelesphorus à S. Teresia Ordinis Fratrum Beatissimæ DEI Genitricis semperquè Virginis MARIÆ de Monte Carmelo, Sac. Theol. Magister, & Actualis Regens, ac Definitor Provinciæ Poloniæ ejusdem Ordinis.

EX Commissione A. R. P. Florentii à S. Henrico Commissarii Generalis, ac Vicarii Provincialis Conventuum Reformatorum in eadem Provincia, studiosè legi & perspexi Theologiam Spiritualem Fundamentalem, in Summam & tres Partes distinctis Voluminibus divisam, Authore Admodum Reverendo Pr. Felice Simplici Lacki, Priore Monasterii B. MARIÆ Virginis de Oliva S. O. Cisterciensis, nec non Sacræ Theologiæ Lectore, ex Fontibus Sacræ Scripturæ, & Torrentibus SS. Patrum præsertim S. Melliflui Bernardi, D. Bonaventuræ, & S. Thomæ Doctoris Angelici, ac aliorum Mysticæ Theologiæ Magistrorum collectam; multoque labore concinnatam; nec non variis tam sacrorum, quàm aliorum Exemplorum floribus exornatam: In qua, cùm nihil Orthodoxæ Fidei dissonum, vel sanæ doctrinæ, ac bonis moribus contrarium offenderim; sed potiùs in Summa de Statu Vitæ Christianæ, ejusque Opposito, omnia cuicunque Statui ad Christianam perfectionem tendenti accommodata, & plurimùm ad vitam Activam, Contemplativam, & Mixtam deservientia reperi; Primâ verò & Secundâ ejusdem Theologiæ Parte; Secundâ quidem in duas divisâ Manuductionem per Media ad Finem ultimum supernaturalem mirâ & jucundâ Sententiarum varietate, Exemplorum & Actuum Practicorum concinnitate refertam; totamque in Christi Crucifixi Imitationem Transformativam Hominis in eundem, tanquam Medium Principale & Ultimatum ad Finem supernaturalem Perfectionis, Sanctitatis, ac Beatitudinis ordinatam ac resolutam consideravi: & in Tertia tandem ejusdem Parte, profundam, sanctam, puram & simplicem Doctrinam de ipso Fine Supernaturali supradictorum Mediorum seu Actuum Vitæ Christianæ cum animi satisfactione legi & perpendi: Ideo hanc totam Theologiam Spiritualem tanquam veram Scientiam Salutis, & Artem Artium utpote dirigentem quemlibet bonæ voluntatis ad Finalem Perfectionem, Unionem scilicet Mysticam Animæ cum DEO, cuique Christiano Statui exoptandam, luce publicâ dignissimam, ac proinde legendam & practicandam Judico. In ea enim Authorem, verè Christiana Simplicitate Felicem, mentem & scopum S. Scripturæ, & SS. Patrum, præsertim Melliflui Bernardi attigisse nemini dubium erit, dum

in eadem exactissimè docere conatur, quomodò quisque propriæ salutis amans cum præfato Sancto & Mellifluo Doctore serm. 45. in Cantica gloriari in Christo possit dicendo: *Hæc mea subtilior interiorquè Philosophia, scire JESUM, & hunc Crucifixum.* Cujus Gloriationis, ut quisque per dictam Scientiam Salutis, inoffenso pede compos evadat, hanc approbandam censui, uti & Authoritate mihi commissa Approbo, illique Subscribo in Carmelo Gedanensi nascentis Virginis die 7. Aprilis Anno Domini 1687.

FR. THELESPHORUS à S. TERESIA,
Idem qui supra.

APPROBATIO
EX ORDINE MINORUM S. FRANCISCI STRICTIORIS OBSERVANTIÆ REFORMATORUM.

THeologiamSpiritualem Fundamentalem, seu Medullam veræChristianæ Sapientiæ, & Scientiam Salutis ad benè beatèque vivendum in tempore & æternitate, ex solidis & Orthodoxis Sanctorum Patrum, Ecclesiæ Doctorum, & Virorum Asceticorum sapientiâ & sanctitate illustrium fundamentis & doctrinis, Authore Admodum Reverendo Pr. Felice Simplici Łacki, Sac. Theologiæ Lectore, & Priore Cœnobii Olivensis S. O. Cisterciensis, multo studio & labore erutam, & in Summam ac tres Partes distributam, omnibus Christianæ Sapientiæ Amatoribus apprimè necessariam, non sine multo animi jubilo, ac fructu Spirituali legi. Ac proinde luce publicâ dignam censeo. Neofori in Conventu S. MARIÆ in cœlum assumptæ in Pratis Marianis die 14. Aprilis 1687.

FR. ATHANASIUS ATINSKI,
Ordinis Minorum S. Francisci strictioris Observantiæ Reformatorum, Provinciæ S. Antonii Majoris Poloniæ Pater, S. T. Lector, ac Gvardianus Conventus Neoforensis.

APPRO-

APPROBATIO
E SOCIETATE JESU PER SEQUENTEM EPISTOLAM.

ADMODUM REVERENDO ET RELIGIOSISSIMO IN CHRISTO PATRI, PATRI

FELICI ŁACKI,

Olivensis Monasterii Sanctissimi Ordinis Cisterciensis Priori, doctissimo Theologo, Domino Domino observandissimo.

ADMODUM REVERENDE IN CHRISTO PATER PRIOR OLIVENSIS.

Quòd Admodum Reverenda Paternitas Vestra sensum minimæ Societatis Nostræ super edita à se Theologia Spirituali exquisierit, dignatio fuit & benevolentissima Nostri æstimatio Certè elegantissimum id Opus Nostro non egebat calculo; satis probatum suo: imò & tot aliorum doctissimorum virorum judicio. Nè tamen non pareamus voluntati Admodum Reverendæ Paternitatis Vestræ, sensum & debitam prædictæ Theologiæ æstimationem præsentibus Literis includimus ad eam relegendam destinati. Ego tres Partes seu Tomos minores legi: legi autem cum gustu meo. In his nihil non laude & publica luce dignum reperi: omnia Fidei, Theologiæ Scholasticæ & Mysticæ consona, omnia mira cum eruditione, & summa Divinorum atque Asceticorum peritia; digna quæ doctissimi juxta ac Religiosissimi legant, nova inde hausturi documenta, quæ illos altiùs iu Spiritu & Scientia Sanctorum provehant. Alter Revisor doctissimæ hujus Theologiæ fuit Reverendus Pr. Joannes Czarnowski olim Theologiæ Professor, qui alias Partes ejusdem Theologiæ Spiritualis legisse se, & omnia in illis approbare fatetur: quod etiam à me insinuari Admodum Reverendæ Paternitati Vestræ voluit: nam simul Calisiii habitat. Hæc ego de dignissimo Opere Admodum Reverendæ Paternitatis Vestræ intimanda habui. Cæterùm me SS. Admodum Reverendæ Paternitatis Vestræ Sacrificiis & Orationibus humillimè commendo.

ADMODUM REVERENDÆ PATERNITATIS VESTRÆ.

Calisii die 2. Augusti 1687.

SERVUS IN CHRISTO
JOANNES KWIATKIEWICZ,
Soc. JESU.

ZOI-

ZOILORUM AMPLIUS SISTENDO CONATUS, EX MULTIS PLACUIT HIC NONNULLAS PONERE EPISTOLAS IN APPROBATIONEM THEOLOGIÆ SPIRITUALIS.

FRAGMENTUM LITERARUM PERILLUSTRIS ET REVERENDISSIMI DOMINI COMMISSARII ET VICARII GENERALIS AD AUTHOREM THEOLOGIÆ SPIRITUALIS DE ANNO 1682.

PErgratum mihi est Opus Reverentiæ Vestræ, quod ad Gloriam DEI elaborare conatur: pro quo gratias agere omni gratitudine sum paratus. &c.

REVERENDÆ IN CHRISTO PATERNITATIS VESTRÆ SEMPER ADDICTISSIMUS

FR. JOANNES ZAPOLSKI,

Abbas Landensis, Commissarius & Vicarius Generalis m. propr.

FRAGMENTUM LITERARUM VENER. ET ADMOD. REVER. PAT. SECRETARII SAC. ORD. CIST. PROVINCIARUM POLONIÆ AD AUTHOREM THEOLOGIÆ SPIRITUALIS.

MIsi licentiam in Personas Theologorum Ordinis, qui magnæ æstimationis partum Adm. R. P. V. perlustrare possent, nè diu sub Cimmeriis tenebris adeo dignus lateat Author. Et ego juxta promissum verbum, aliquod peto Exemplar, ut tam magni Viri queam me consolari labore, & singularem legendo meam percipere contenteze &c.

ADMOD. REV. PATERN. VESTR: AD OBSEQUIA PARATISSIMUS,

Landæ 15. Decembr. 1686.

FR. BENEDICTUS CASIMIRUS LEZENSKI,

Secr. Provinc. Polon. S. O. C.

COPIA LITERARUM VENERABILIS AC ADMODUM REVERENDI PATRIS COMMISSARII ET REFORMATORIS GENERALIS PP. CARMELITARUM PER REGNUM POLONIÆ.

TEmpus mihi vacans à negotiis occurrentibus, & Regularitate, impendi hactenus lectioni Theologiæ Spiritualis Admodum Reverendæ Paternitatis Vestræ non sine gustu, illuminatione, & profectu, ac admiratione tanti studii. Quod ut DEI adjutorio ad ipsius majorem Glori-

Gloriam, Magistrorum Vitæ Spiritualis commodum, omnium Christianorum (prout intenditis) præsertim Religiosorum doctrinam supernaturaliter vivendi, merendique in omnibus, possit integrè perficere), in Aris faciens, oro, uti & pro longæva utraque incolumitate,

ADMODUM REVERENDÆ ET PERILLUSTRIS PATERNITATIS VESTRÆ.

Datum Dantisci 20. Octobr. 1682.

HUMILLIMUS SERVUS
FR. TILMANNUS à S. ELIA,
V. P. C.

COPIA LITERARUM ADMODUM REVERENDI PATRIS CENSORIS THEOLOGIÆ SPIRITUALIS EX SERAPHICO ORDINE S. FRANCISCI REFORMATORUM.

ADMODUM REVERENDE PATER PRIOR OLIVENSIS.

DEtinui Admodum Reverendam Paternitatem Vestram ultra Votum & desiderium, & præter meam intentionem in relectione Operis Excellentissimi, doctrinâ verè Theologicâ omnibus Personis Spiritualibus tam ad Spiritum, quàm ad Speculationem, & Praxim apprimè necessariâ refertissimi. Sed Admodum Reverenda Paternitas Vestra condonabit magnis Functionum in Provincia mea publicarum distractionibus &c. Dignum Opus ut lucem videat, & nè accensa hæc á Spiritu Sancto candela sub modio lateat, sed super candelabrum ponatur propter majus Admodum Reverendæ Paternitatis Vestræ meritum: etenim quotquot attentos habebit Lectores, tot Admodum Reverenda Paternitas Vestra lucrabitur Theophilos seu DEI Amatores. Si accedet gratia Admodum Reverendæ Paternitatis Vestræ, quatenus Nobis ad Novitiatus pro Magistris Spiritualibus unum & aliud Exemplar transmittere dignetur, perennabit memoria Admodum Reverendæ Paternitatis Vestræ, & fructus laboris sui in cordibus & Novitiorum & Professorum. Censuram transmitto &c.

Neofori 14. Ap 1687.

FR. ATHANASIUS ATTNSKI,
Ordinis Minorum S. Francisci Reformatorum, Provinciæ Majoris Poloniæ Pater, S. Theol. Lector, ac Gvardianus Neoforensis. m. propr.

)()()(　　*ADVER-*

ADVERTENDA
HOC IN OPERE.

1.

CRediderim malignum hujus Seculi Genium, ſicut teſte magno Gregorio *Mor. lib.* 10. Juſtorum Sanctam ſolere deridere Simplicitatem; ita quoque agnomen Simplicis, hujus Theologiæ Authoris ludicro animo poſſe excipere: ſed miſeri hoc ipſo riſu an compaſſione dignos ſe oſtendunt, utpotè rudes, nè dicam rudentia animalia, & fatuos in Diviniſſima S. Simplicitatis Scientia. 1. Cor. 2. *Animalis enim homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritûs DEI. Stultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere, quia Spiritualiter examinatur.* Quid namque pſeudo-politice Machiavelle S. Simplicitas, niſi purus animi candor & ſinceritas? niſi plenas dolo Sincerationes ſuas ignominiam eſſe & ruinam Orbis pandens? Quid Amator mundi *S.* Simplicitas, niſi non habere Cor in mille multiplicitates curarum quaſi arenarum lutoſæ carnis & terræ diviſum? Quid Chriſtiane DEO intentæ S. Simplicitas, niſi multiplicis Spiritualis doctrinæ ad unum S. Simplicitatis radium collectio? *juxta infra dicta* 1. 2. *Tract. I. C. I. Sect.* 4. *Subſ.* 4. niſi in uno Summo Bono & Pulchro cognito, dilecto & fruendo Mentis Unitas? niſi Conformatio Supremo Numini; quod in ſuis infinitis Perfectionibus eſt Unum, Idem, & ſimpliciter Simplex? Ergo omnis talis Felix Simplex; Infelix Vir animo Duplex Eccl. c. 2. *Væ! duplici corde, & labiis ſceleſtis, & manibus malefacientibus, & peccatori terram ingredienti duabus viis.*

2. Forſan arguet me quiſpiam Zoilus aut Criticus me eſſe Felicem Simplicem (ſive rudem) nomine & re, quòd aliundè accepta, plurima de verbo ad verbum hoc in Opere poſuerim. Sit ita: Tuî gratiâ mi bone Lector factus ſum inſipiens, modò inde fias ipſe magis Sapiens. Fies autem ex fideliter & Simpliciter hic poſita doctrina magnorum Virorum, ac eorum fervore Spiritûs: prout non fieres ex meis phaleris & phraſibus Verborum ac inopia Spiritûs: Ideoque doctrinas Spirituales, & Exempla compendiata ab aliis, nolui nec debui alia phraſi Verborum immutare, nè forſan etiam aliquid de ſenſu aut veritate hiſtoriæ aut doctrinæ immutaretur, nève mea viliora pretioſioribus aliorum præponerem, adeoque multo magìs me irriſioni aut animadverſioni aliorum exponerem. Et quod Magnus Drexelius citans Sanctum Vincentium Ferrarienſem fecit & dixit in Zodiaco prædeſt. mihi fol. 289. col. 1. *Tanti Authoris verba mutare Religioni duximus, ea fideliter adnumerata hæc ſunt.* &c. Hoc ipſum in adcitatis præſtantiſſimorum virorum dictis & hiſtoriis, per omnes rationes publici boni facere cogimur.

3. Porrò cum Lipſio Politicor. infero: *Lapides & ligna ab aliis accipio, ædificii tamen exſtructio mea eſt. Architectus ego ſum, ſed & materiam variè undique conduxi. Nec aranearum ſanè textus ideò melior, quia ex ſe fila gignunt: nec noſter vilior, quia ex alienis libamus ut apes.*

4. Authoritates hoc Opere citatæ, partim ex Ipſis fontibus Sacræ Scripturæ, *SS.* Patrum, & Doctorum Eccleſiæ, partim indè è delapſis in alios Libros rivulis hauſtæ; ſi fors circa eas contigit ſubinde aliqua mutatio in verbo calami vel typi errore, puto non in ſenſu.

5. Addita particula ly *Vide*, vel litera, *V.* deſignat authoritatem raró eſſe citatam propriis verbis, ſæpiſſimè ipſum tantummodo ſenſum; ita poſtulante rei materiâ, combinatione & brevitate hujus Operis. Sicut abſque dicta particula, vel litera præfixa, ſemper textus authoritatis propriis verbis, rariſſimè ſolus ſenſus citatur.

6.

6. Signum:] vel:). finem adductæ authoritatis indicat; ut plurimùm tamen, ubi Collectoris, vel alicujus alterius, discursus additur, vel sequitur. Hac ratione exceptâ, raro corônidem citatæ authoritatis ostensum signum, vel particulæ v. g. *Hæc ille*, *Hæc S. Bernardus*, *Hæc D. Thomas*, *Hæc Suarez &c.* claudunt: nè multiplicentur entia sine manifesta necessitate.

7. Cuncta ferè quæ hoc Opere sub Cap. Sect. Subsect. §. §. dicuntur, ad tria Puncta revocantur: *Primò*, ad explicationem rei (: quæ tractatur) per Definitionem, Divisionem, &c. *Secundò*, ad Motiva: *Tertiò*, ad Praxim. Ad hæc enim principia, quidquid in materia Morali vel Spirituali necessariò & fructuosè dici potest, facilè reducitur.

8. Frequens occurret citatio in hoc Opere v. g. *Vide supra sub Statu Vitæ Christianæ*. Vel: *Vide infra sub Meditatione*: Vel: *Sub Contemplatione*: Vel: *Sub Humilitate*: &c. Tunc citatum locum volens reperire, recurre ad Indicem hujus Operis, vide citatum locum, & facilè reperies juxta numeros in paginis signatos. Hic enim modus inveniendi citata loca facilior & expeditior visus, quàm aliquis alter.

9. Si quispiam hoc Opere minimè contenta, alibì ad gustum & Spiritum suum congrua repererit; connotet in separato ad hoc confecto libello (: si ita placet:) vel per modum Miscellaneæ, vel potiùs reducat titulos ad Alphabetum. Ita enim thesaurum inventum conservabit, & eo ad harmonicam combinationem partium istius Operis proportionando, pro salute sua, & aliorum fructuosissimè utetur.

10. Nomenclatura hæc *Collector* subinde ad marginem posita, insinuat Authorem hujus Theologiæ Spiritualis, præter Collectorem Speculi Exemplorum: qui subinde hic quoque citatur.

11. Adverte in ponendo textu Authorum maximè fusiori, studio non omisisse nos eorundem Authorum citationes, quibus se referunt ad alios suos Tomos, Libros, Capita, Sectiones &c. ut citatam materiam in eisdem, dum placuerit faciliori ampliùs in copia reperias. Authoritates S. Scripturæ & SS. Patrum à nobis citantur ad marginem: Illi verò Authores quos cito, quandoque citant easdem authoritates intra suos discursus.

12. Jam verò cum Theodoreto *Præf. in Cant. Eos qui sine labore laborum Nostrorum fructum sunt percepturi rogatos volumus, ut nobis pro laboribus Nostris orationes ac preces impertiant suas. Quodsi minùs accurata videbitur explicatio, laborem saltem boni consulant; & quæ desunt, ipsi doceant.*

13. Cæterùm, omnia quæ hoc in Opere Theologiæ Spiritualis collegi, scripsi & composui, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ (quæ est columna & firmamentum Veritatis) Judicio & censuræ submitto & substerno.

INDEX

PARTIUM, ET TRACTATUUM, ALIORUMQUE MAGIS PRÆCIPUORUM TITULORUM THEOLOGIÆ SPIRITUALIS.

Advertenda in hoc Opere.
Præliminaria Theologiæ Spiritualis.

SUMMA THEOLOGIAE SPIRITUALIS.

TRactat de Statu Vitæ Christianæ, ejusque Opposito, in Genere, & in Specie, nimirum: De Statu Vitæ Communis Christianorum à fol. 51. usque 73. De Statu Perfectionis assequendæ, seu Religiosorum. 75. De Statu Perfectionis exercendæ, seu Ecclesiasticorum. 111. Tum de Vita Activa. 151. Contemplativa. 155. & Mista. 162.

PARS PRIMA THEOLOGIAE SPIRITUALIS.

TRactat de Causa Efficiente Mediorum, seu Actuum salutarium in Statu Vitæ Christianæ Supernaturalis seu Spiritualis, ad Finem Supernaruralem. Et de ejusdem Causæ Opposito. Ubi multiplex hæc Causa explicatur. I. *Moralis*, nempe DEUS. 186. Christus. 193. & 195. Deipara. 196. Cœlites seu Comprehensores. 199. Viatores. 201. Tum Superiores. 204. Magistri Spirituales. 236. Viri Apostolici seu Missionarii. 285. II. *Causa efficiens Naturalis*, nempe Anima cum suis viribus & potentiis superioribus & inferioribus. 300. III. *Causa Supernaturalis*; Uti est Providentia, & concursus DEI Specialis. 311. Gratia DEI externa Supernaturalis. 313. Gratia Actualis Supernaturalis. 314. Gratia DEI Habitualis. 325. Habitus Virtutum. 330. Dona Spiritus S. 344. Gratiæ gratis datæ prout sunr Operanti salutares. 347. IV. *Causa Naturalis instrumentaliter concurrens*. 349. Deinde agitur hic de Oppositis harum Causarum producentibus Peccatum, quæ sunt Dæmon. 352. Mundus. 369. Caro. 372. Vitia congenita & acquisita. 374.

PARS SECUNDA THEOLOGIAE SPIRITUALIS.

AGit de Mediis seu Actibus Statûs Vitæ Christianæ Supernaturalis ad Finem Supernaturalem: Tum de eorundem Actuum Oppositis: Nec non de Causa Objectiva, seu Materiali & Formali Actuum Vitæ Christianæ.

Dividitur hæc Pars in Primam (id est Partem) Secundæ (id est Partis) & Secundam (Partem) Secundæ (partis.)

PRI-

Prima Secundae Partis Theologiae Spiritualis Tractatu Primo.

In Prima Secundae Tractatu Secundo.

IN PRIMA SECUNDAE CONTINUATUR
TRACTATUS SECUNDUS.

Cap. 6

Cap. 8.

SECUNDA SECUNDAE PARTIS THEOLOGIAE SPIRITUALIS.

AGit de Cauſa objectiva; ſeu Materiali, Formali, & Exemplari Actuum Vitæ Chriſtianæ.

PARS TERTIA THEOLOGIAE SPIRITUALIS.

):(o):(

PRÆLIMINARIA THEOLOGIÆ SPIRITUALIS.

§ I.

DIco Primò: *Theologia Spiritualis, est Scientia activo-passiva, directiva hominis per media status vitæ moralis supernaturalis, ad finem supernaturalem.* Dicitur: *scientia*, tum propriè secundùm donum Spiritus Sancti, quod est Scientiæ: tum in latiori significatione, quatenus unus habitus intellectualis ponitur pro alio. Unde sic sumpta quoad *Habitum*, est potiùs aggregatum quoddam habituum infusorum, quàm unus habitus. Concurrit enim *Primò, Fides*; quæ de mediis, & fine, ut supernaturalia sunt, revelat. 2. *Donum Intellectus*; quo eadem revelata homo sanè capit, & subtiliter penetrat. 3. *Donum Scientiæ*; quo per causas secundas rectum format judicium circa eadem revelata, discernendo credenda à non credendis, & agenda à non agendis. 4. Et potissimùm *Donum Sapientiæ*; quæ secundùm rationes & regulas Divinas intendit iisdem revelatis, & inspiciendis per contemplationem, & consulendis per praxim vel actionem. 5. *Prudentia*; quatenus media supernaturalia ad finem supernaturalem scit coordinare & adaptare in singularibus agendis, pro ratione & circumstantia personæ, loci, modi, temporis, & aliis conditionibus requisitis. 6. Denique *Sapientia*, ut est gratia gratis data; inquantum hæc eadem, de mediis & fine per fidem revelata, per Intellectum, Scientiam, Sapientiam, Prudentiamque cognita, scit ad Ecclesiæ utilitatem, dictis, scriptisque enucleare.

Dicitur item Theologia Spiritualis *Scientia*, quantùm ad *Actum* seu cognitionem certam: quæ præter dictos habitus infusos, insuper ab Actualibus gratiis Spiritus S. principiata, elicitur circa media supernaturalia, & finem supernaturalem. Dicitur: *Activo-Passiva*; Activo inquam seu Activa, id est practica (quanquam hic nomen praxis omittimus, quæ vulgò contradistingvi-

tur ſpeculationi; jam verò Theologiæ Spiritualis pars, quæ eſt practica, non contradiſtingvitur alteri parti ejusdem Theologiæ, quæ ſit ſpeculativa, ſed potius quæ ſit pasſiva, ut infra videbimus) Quia quantùm ad primam Theologiæ Spiritualis partem, finis ejus eſt *Opus*, nempe ut per Actus practicos internos & externos, ſtudio & activitate humanâ, cum gratia Divina, habeat ſe homo rectè circa finem ſupernaturalem, & media ad ipſum. Deinde dicitur *Pasſiva*; ut inſinuetur altera Pars Theologiæ Spiritualis, quæ vocatur *Theologia Myſtica*; ubi homo non tam agit (etſi coagit) quàm agitur à Spiritu Sancto, & ineffabili quodam modo experitur Divina: Secundum quod B. Dionyſius inquit: *Quod Hierotheus eſt perfectus in Divinis, non ſolùm diſcens, sed & patiens Divina.* Dicitur: *directiva hominis per media Status vitæ moralis ſupernaturalis ad finem ſupernaturalem*; ſcilicet Perfectionis, Sanctitatis, Beatitudinis tuæ & proximi tui, in via & Patria: tum ad finem Gloriæ DEI, Chriſti, Deiparæ, Cœlitum. Quia objectum Theologiæ Spiritualis ſunt præfata media & finis; quatenus illa per eadem media ad dictum finem, ex motivo conformitatis ad Lumen rationis, Legem Dei, Beneplacitum Dei, Exemplar Dei, Chriſti præcipuè *Crucifixi*, (Quia ad eum & in eo omnis alia Conformitas activa ex parte hominis, pasſiva ex parte Crucifixi reperitur) Deiparæ, Sanctorum, ad ſtatum gratiæ & gloriæ; ex motivo inquam Conformitatis ad horum unum, plura, vel pauciora, hominem practicè dirigit. De quibus objectis motivis vide infra 2. 2. paragr. 7. & aliis. Quod cõvenit non modo Theologiæ activæ, ſed ſuo modo & pasſivæ ſeu Myſticæ, quæ per experimentalem notitiam DEI, & ſublimem contemplationem, conſequentem dictam notitiam, quaſi per medium quoddam ad ardentiorem & ardentiorem effervescere facit amorem Dei, & Gloriam ejus magis magiſque promovendam; qui ſunt principaliores fines ſupernaturales. Adjicitur in Aſſerto, Mediis & Fini Ly *Supernaturale*, quatenus ſcilicet hæc Media & Finis cognoſcuntur per fidem, ac dona Spiritus Sancti, aliaque principia cognitionis ſupernaturalis, atque circa ea homo habet ſe practicè ſeu activè, & pasſivè ſupernaturaliter, producendo Actus ex principiis ſupernaturalibus, & experiendo ſeu patiendo Divina; ſecundùm quod id provenit ex mero & ſpecialisſimo dono Dei, indebito ulli naturæ creatæ, & creabili.

De Divin. Nomin. cap. 2. a. 2. cit. à D. Thoma 2. 2. q. 155.

Ex his differt Theologia *Spiritualis* à Theologia *Speculativa*, quod hæc ſiſtit in ſpeculatione, illa ulteriùs progreditur, nempe ad praxim. Ob quam rationem differt quoque à Theologia *Controverſa*, quæ in cognitione veritatis disſipantis errores infidelium remanet. Specialiter autem Theologia *Myſtica* diſcernitur à Speculativa ex triplici ratione (ut in Schola amoris verſatisſimus docet *S. Franciſcus Saleſius* Epiſcopus Genevenſis) Quia etſi utraque habe- *De amore Dei lib. 6. cap. 1.*
" at DEUM pro objecto, Scholaſtica tamen diſſerit de DEO, ut
" Deus eſt: Myſtica ut ſummè amabilis eſt. Illa de Deo loquitur
" cum hominibus & inter homines: hæc de DEO cum eodem
" DEO. Illa tendit ad Dei cognitionem, facitque nos doctos &
" Theologos: hæc tendit ad amorem, & nos ardentes reddit ac Theophilos. *Hæc ille.* Item differt à Theologia *Morali*: Quia hæc etſi dirigat hominem ad praxim, ſed principaliter tantùm ſecundùm unam rationem juſtitiæ univerſalis, quæ eſt Fuga mali moralis, ſeu offenſæ Dei in actibus humanis: neque copioſius de motivis talium Actuum, neque de mediis praxis in particulari &c. niſi quid per accidens diſcurrit. Theologia verò Spiritualis de his omnibus ex profeſſo agit, quamvis particulares caſus Conſcientiæ, & eorum minus univerſalia principia ad Theologiam Moralem remittat. Et licet Theologia Moralis agat quoq; de faciendo bono morali poſitivè, præcipuus tamen ejus finis eſt, oſtendere, ubi ſit obligatio faciendi boni vel non ſit, adeoque ubi incurratur delictum, pœna, vel non incurratur. Porrò Theologia Spiritualis tota eſt in hoc, ut non modo fugiat malum, ſed & faciat bonum. Differt item à Theologia *Expoſitiva ſeu Scripturali*, quæ principia & modos explicandi Sacram Scripturam tradit: Theologia verò Spiritualis methodum benè beatèque vivendi ſecundùm ſcripturas proponit, & ſequitur. Denique differt Theologia Spiritualis à *Theologia naturali* ſeu *metaphiſica, quæ de Deo, & à Philoſophia Ethica*, quæ de Beatitudine, & mediis ad ipſam, ſecundùm rationem naturalem, non verò ſupernaturalem agit. Quanquam in hoc Opere & ipſa eſſentia Theologiæ Speculativæ, & principia Moralis, Controverſiſticæ, Scripturalis Theologiæ, magna ex parte proponuntur. Ethica quoque hic eminenter includitur.

Ex dictis quoque patet, cur Theologia hæc, Spiritualis appella-

pellatur: quia scilicet à Spiritu Sancto habitus supernaturales (quibus principiatur hæc scientia) infunduntur, & actus (quibus perficitur eadem scientia) supernaturaliter producuntur, aliaque ope Spiritus Sancti & discuntur, & fiunt in Sanctificatione ac perfectione Electorum. Unde tanquam ab Inventore, Doctore, Promotore Spiritu Sancto, hæc Theologia Spiritualis denominatur.

§ II.

DIco Secundò: *Motiva ad operam dandam Sapientiæ, seu Theologiæ Spirituali, sunt, quæ seqvuntur. Primum Motivum*, à summa excellentia ejus Originis desumitur. Quippè imò: Deus T. O. Max. quatenùs Author donorum super-
Eccli. 1. naturalium, ipse est, à quo (juxta Ecclesiasticum) *Omnis Sapientia est.* Et Baruch; *Disce* inquit *ubi sit prudentia, ubi sit virtus, ubi sit*
Baruch. 3. v. 14. & 36. *intellectus, &c. Hic est DEUS noster, & non æstimabitur alius adversus eum. Hic adinuenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hæc in terra visus est, & cum hominibus conversatus est*: Dum scilicet DEUS factus homo, immensâ dignati-
Matth. 13. Luc. 24. one per seipsum inter mortales *eructabat abscondita à constitutione mūdi: potens in opere & sermone*: homines hanc cælestem Sapientiam edocendo. Hinc 2do ejus Author est JESUS Christus, increata & incarnata DEI Sapientia. 3tio: Cultores Sapientiæ supernatnralis fuêre in lege naturæ Adam, Noe, Abraham, & alii Sancti Patriar-
Sap. 10. chæ: De quibus lib. Sap. insinuatur: *Hæc*, (i. e. Saqientia) *illum qui primus formatus est à DEo pater Orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodivit, & eduxit illum à delicto suo, & dedit illi virtutem continendi omnia. Ab hac, ut recessit injustus in ira sua, per iram homicidii fraternitas deperiit. Propter quod, cum aqua deleret terram, sanavit iterùm sapientia, per contemptibile lignum justum gubernans &c.* Eandem primus scriptis consignavit *S. Iob*; ut colligitur ex libro ejus hagiographo. Posthæc in lege scripta Moyses, David, Salomon, Siracides, Prophetæ: in lege autem Gratiæ quatuor Evangelistæ, S. Petrus, S. Paulus, S. Jacobus, S. Judas, Oracula Divinæ Sapientiæ literis mundo protulerunt. Deniqùe SS. Patres & Doctores Ecclesiæ, abstrusiora Mysteria istius Scientiæ explanando, eaque tum alia moralia

mortalibus sæpè inculcando, luculentissimis scriptis, tum propriis exemplis, ad praxim benè beateque vivendi iter tritum & inoffensum demonstravêre, & ad cursum ejus incitavêre.

Secundum Motivum ab inæstimabilibus Bonis, quæ affertSapientia; & malis quæ parit stultitia, habetur. Sed primo supponendū est; Proprietates, effectus, qui à sacra Scriptura, SS. Patribus, & Magistris Spiritualibus, Sapientiæ, Scientiæ, Inteligentiæ, Prudentiæ, attribvuntur; vel sub nomine doctrinæ, disciplinæ, eruditionis, legis, mandati, consilii &c. enunciantur; (prout adum *Cornelium à Lapide* fecisse videtur Salomon, æque ac Siracides) siue hæc ut præcisè pars aliqua Theologiæ Spiritualis censeantur, siue ut Pars pro Toto ejusdem Theologiæ accipiantur, semper verum aliquid ad Spiritualem Theologiam spectaus, dicunt. Hinc *Suarez* de dono sapientiæ, (:quod est essentiale Theologiæ Spiritnali:) *Possunt* inquit *intelligi omnes laudes, quæ in scriptura de sapientia dicuntur*. Et Cornel: à lap: sapientia *ait* in libris sapientialibus præcipuè practicam sive ethi-„ cam significat, quæ docet nos sapiētèr, id est juste sanćteq; vivere, „ quæ proinde vocatur *scientiā Sanctorum*, & *Prudentia Iustorum*. Jam „ ergo intentâ aure auscultem9 Sapientiam, quæ à SpirituSancto nobìs repræsentatur, & ita inducitur: *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam: in capite turbarum clamitat, in foribus portarum Vrbis profert verba sua, dicens: Vsquequò parvuli diligitis infantiam, & stulti ea, quæ sibi sunt noxia, cupient, & imprudentes odibunt scientiam? Convertimini ad correptionem meam: en proferam vobis spiritum meum, & ostendam vobis verba mea. Quia vocavi & renuistis, extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret: Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis: Ego quoq; in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis id quod timebatis, advenerit. Cum irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit: quando venerit super vos tribulatio & angustia. Tùnc invocabunt me, & non exaudiam; manè consurgent, & non invenient me: eò quod exosam habuerint disciplinam, & timorem Domini non susceperint, nec acquieverint consilio meo, & detraxerint universæ correptioni meæ. Comedent igitur fructus viæ suæ, suisq; consiliis saturabuntur. Aversio parvulorum interficiet eos, & prosperitas stultorum perdet illos. Qui autem me audierit, absq; terrore requiescet, & abundantiâ perfruetur, timore malorum sublato.* Et Sapient. c. 3. *Sapientiam & disciplinam qui abiicit, infelix est, & vacua est spes illorum, & labores sine fructu, & inutilia opera illorum*

Cornel. à Lap. Comment. in Proverb. Salom. cap. 1.

Suarez De ult. fine hominis & beat. disp. 7 Sect. 2. n. 4.

Cornel. à lap. in Comment. sup. S. Script. Sapient. to Luc. 1. Prov. c. 1.

Sap. 3.

illorum; mulieres eorum insensatæ sunt, & nequissimi filii eorum. Prov.
Prov. cap. 3. Beatus homo qui invenit sapientiam, & qui affluit prudentiâ, melior est acquisitio ejus negotiatione auri & argenti, primi & purissimi fructus ejus: preciosior est cunctis opibus: & omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari. Longitudo dierum in dextera ejus, & in sinistra illius divitiæ & gloria. Viæ ejus, viæ pulchræ, & omnes semitæ illius pacificæ: lignum vitæ est
Sap. cap. 7. his, qui apprehenderint eam: & qui tenuerit eam, beatus. Sap. Optavi, & datus est mihi sensus: & invocavi, & venit in me Spiritus sapientiæ: & præposui illam regnis & sedibus, & divitias nihil esse duxi in comparatione illius. Nec comparavi illi lapidem preciosum: quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigva, & tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius. Super salutem & speciem dilexi illam, & proposui pro luce habere illam: quoniam inextinguibile est lumen illius. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius, & lætatus sum in omnibus: quoniam antecedebat me ista sapientia; & ignorabam, quoniam horum omnium mater est. Quam sine fictione didici, & sine invidia communico, & honestatem illius non abscondo. Infinitus enim thesaurus est hominibus: quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ DEI, propter disciplinæ dona commendati. Mihi autem dedit DEUS dicere ex sententia, & præsumere digna horum, quæ mihi dantur: quoniam ipse sapientiæ dux est, & sapientium emendator. In manu enim illius & nos, & sermones nostri, & omnis sapientia, & operum scientiæ disciplina. Et Paulo infra: Et quæcunque sunt absconsa & improvisa didici. Omnium enim artifex docuit me sapientia: est enim in illa spiritus intelligentiæ. Sanctus, unicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis, incoinquinatus, certus, suavis, amans bonum, acutus, qui nihil vetat benefacere, humanus, benignus, stabilis, certus, securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens, & qui capiat omnes Spiritus: intelligibilis, mundus, subtilis. Omnibus enim mobilibus mobilior est Sapientia: attingit autem ubique propter suam munditiam. Vapor enim est virtutis DEI, & emanatio quædam est claritatis Omnipotentis DEI sincera: & ideo nihil inquinatum in eam incurrit. Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula DEI Majestatis, & imago Bonitatis illius. Et cum sit una, omnia potest; & in se permanens, omnia innovat, & per nationes in animas Sanctas se transfert, amicos DEI & Prophetas constituit. Neminem enim diligit DEUS, nisi eum qui cum sapientia inhabitat. Est enim hæc speciosior sole, & super omnem dispositionem stellarum, luci comparata invenitur prior.

prior. Illi enim ſuccedit nox, Sapientiam autem non vincit malitia. Item: *Attingit ergo à fine usq; ad finem fortitèr, & diſponit omnia ſvaviter. Hanc amavi, & exquiſivi eam à juventute mea, & quæſivi ſponſam mihi eam aſſumere, & amator factus ſum formæ illius. Generoſitatem illius glorificat, contubernium habens DEI: ſed & omnium Dominus dilexit illam: doctrix enim eſt diſciplinæ DEI, & electrix operum illius. Et ſi divitiæ appetuntur in vita: quid ſapientiâ locupletius, quæ operatur omnia? Si autem ſenſus operatur: quis horum quæ ſunt, magis quam illa eſt artifex? Et ſi juſtitiam quis diligit: labores hujus magnas habent virtutes: ſobrietatem enim, & prudentiam docet, & juſtitiam, & virtutem: quibus utilius nihil eſt in vita hominibus. Et ſi multitudinem ſcientiæ deſiderat quis: ſcit præterita, & de futuris æſtimat: ſcit verſutias ſermonum, & diſſolutiones argumentorum, ſigna & monſtra ſcit antequàm fiant, & eventus temporum & ſeculorum. Propoſui ergo hanc adducere mihi ad convivendum: ſciens quoniam mecum communicabit de bonis, & erit allocutio cogitationis, & tædii mei. Habebo propter hanc claritatem ad turbas, & honorem apud ſeniores juvenis: & acutus inveniar in judicio, & in conſpectu potentium admirabilis ero: & facies Principum mirabuntur me: tacentem me ſuſtinebunt, & loquentem me reſpicient, & ſermocinantem me plura, manus ori ſuo imponent. Prætereà habebo per hanc immortalitatem: memoriam æternam his, qui poſt me futuri ſunt, relinquam.* Et infra: *Intrans in domum meam, conquieſcam cum illa: non enim habet amaritudinem converſatio illius, nec tædium convictus illius, ſed lætitiam & gaudium.* ſap: *Initium enim illius veriſſima eſt diſciplinæ concupiſcentia. Cura ergo diſciplinæ, dilectio eſt: dilectio, cuſtodia legum illius eſt: cuſtoditio autem legum, conſummatio incorruptionis eſt: incorruptio autem facit eſſe proximum DEO. Concupiſcentia itaq; ſapientiæ deducit ad regnum perpetuum.*

Sapient. 8.

Sap. c. 6.

Libeat hic adnectere aliquem ex SS. Patribus. D. *Gregorius* ‘*Nazianz.* hunc in modum diſcurrit. Nihil inexpugnabilius Phi‘loſophiâ, (*ſeu amore veræ ſapientiæ*) nihil tranquillius: omnia pri‘us cedunt quam Philoſophus. Duo ſunt invicta, DEUS, & An‘gelus, & tertium Philoſophia. Eſt enim Philoſophus, non mate‘rialis in materia, in corpore incircumſcriptus, in terra cæleſtis, in ‘affectibus imperturbatus, ubique inferior cæteris, præterquã ani‘mi magnitudine, & cedendo vincens illos, qui ſe vincere putant. ‘Vnam ego Sapientiam novi timere DEum. Etenim ſapientiæ

Apud Anton. in Meliſſa part. 1. cap. 50.

" initium est timor Domini. Audi Summam sermonis: DEum time,
" & mandata ejus observa. Hoc est enim omnis homo.

3tium Motivum. Quia Theologia spiritualis est finis, & fructus omnium Artium, & Scientiarum. *1mo.* Quatenùs ex ipsis & per ipsas debet ascensus fieri in cognitionem Sapientiæ DEI increatæ & incarnatæ, amoremque DEI: quippe omne lumen naturale & supernaturale, descendens à Patre luminum, ac repræsentans Lumen de Lumine Sapientiam DEI Patris, ad eam tanquam Causam Idealem seu Exemplarem, tum ipsum Principium fontale omnis luminis, petit reduci; quod fieri nequit, nisi mediante Theologiâ Spirituali, quæ quasi media inter DEUM & artes ac scientias, eas in DEUM ut ultimum Finem reducit; ad illam verò tanquam proximnm finem, alia quævis referuntur. Cujus reductionis formam in artibus quibusvis, etiam mechanicis, tum scientiis quà speculativis, quà practicis, subtilitèr ostēdit *Seraphicus Doctor in Opusc: de reductione artium ad Theologiam:* additq; pro coronide
" inquiens: Et sic patet, quomodo multiformis Sapientia DEI, quæ
" lucidè traditur in S. Scriptura, occultatur in omni cognitione &
" in omni natura. *Et paulo post.* Et hic est fructus omnium scientia-
" rum, ut in omnibus ædificetur fides, honorificetur DEus, com-
" ponantur mores, hauriantur consolationes, quæ sunt in unione
" sponsi & sponsæ. Quæ quidem unio fit per charitatem, ad
" quam terminatur tota intentio Sacræ Scripturæ, & per conse-
" quens omnis illuminatio desursum descendens, & sine qua om-
" nis cognitio vana est: quia nunquàm pervenitur ad Filium, nisi
" per Spiritum Sanctum, qui docet nos omnem veritatem. *2do.*
Theologiam Spiritualem, esse tanquam finem, quem intendere; & tanquam principalissimum & pretiosissimum fructum, quem ut producant, eniti debent omnes artes & scientiæ, probatur. Quia sicut illa sine istis est sibi sufficientissima, cum per contemplationem & amorem possideat summum Bonum: Etenim *charitas nunquam excidit: sive Prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur:* ita istæ sine illa vanitas vanitatum sunt, dicente Apostolo: *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam.* (: adeoque & Theolo-

1. Cor. c. 13.

1. Cor. c. 13.

Theologiam, seu Scientiam DEI & Divinorum, non ordinando eam ad Spiritualem Theologiam, seu ad Praxim Amoris duntaxat DEI & proximi; sed potissimum tempus in speculationibus consumendo) *charitatem autem non habuero, nihil sum.* Cæterùm, *scientia* sine Charitate *inflat*; ut illum Principem Cherubim Luciferum, qui *plenus Sapientiâ & perfectus decore*, elevavit cor suum contra Sapientiam æterni Patris: *Charitas vero ædificat.* Deinde, *quid prodest homini, si mundum universum lucretur* suis artibus & scientiis, quoad temporalem fortunam, *animæ verò suæ detrimentum patiatur*, ut tandem perpetuis ignibus in gehenna crucietur? patietur autem animæ detrimentum, sicut & illi, de quibus Baruch inquit: *Non hos elegit Dominus, neq; viam disciplinæ invenerunt, propterea perierunt. Et quoniam non habuerunt Sapientiam, interierunt propter suam insipientiam.* Denique, *qui addit Scientiam, addit & laborem*: quo dicto (ut cum *Cornelio à Lapid.* nominatissimo S. Scripturæ Commentatore concludam:) Maximè & potissimè intendit „ hic Ecclesiastes significare studium Sapientiæ & Scientiæ tum „ speculativæ, tum practicæ esse vanum, laboriosum, & afflictivum „ dum in sola speculatione & cognitione rerum naturalium, & „ ethicarum, puta virtutum & vitiorum consistit, nec ad ipsam vir- „ tutum operationem & exercitationem transit, ut fiat practicè „ practicum. Virtus enim & vera Sapientia ac Scientia, quæ „ animæ dat quietem & seriem, non in arida speculatione, sed in „ honesta actione & operatione sita est; quâ si careat, vana est, & „ mera capitis fatigatio; quia suo fine & fructu, qui est actio vi- „ taque honesta, quæ ducit ad felicitatem, destituitur. Hoc est „ quod propriè spectat hìc Salomon, scilicet nudam Sapientiam „ & Scientiam ethicam, non satiare, nec honestare, nec beare ho- „ minem, sed solùm timorem & amorem DEI, studiumque vir- „ tutum: cætera omnia esse vana. *Unde cap. 12. vers. 13.* concludens „ ait: *DEUM time, & mandata ejus observa. Hoc est enim omnis homo.* „ Tu ergo Studiose, ô Religiose, ô Magister, ô Doctor, qui in ari- „ da speculatione annos perplures impendisti, vitam consumpsi- „ sti, vires exhausisti; expende quæso, quam sis à vera Sapientia „ alienus: si notitiæ rerum humanarum & Divinarum minimè „ virtutem jungis, & rationem disputandi sciens, viam humilitatis „

Cor. 8. *Ezech. 28.* *Matth. 16.* *Baruch. 3.* *Eccles. 1.* *Corn. à lap. in citat. tex.*

„ & perfectæ charitatis ignoras. Nam si vera Sapientia (ut dixit „ *Lactantius*) non potest cuiquam sine scientia & virtute contingere, „ quomodo te sapientē appellabo, quem scientia inflans, dementatum tenet, & charitas ædificans in sui contubernio non retinet? Si Sapientia (ut ait *Nazian.*) ad DEI amorem subvehit, & „ ex servis jam amicos ac Filios efficit: quanam ratione te Sapientem existimabo, quem verus DEI amor servum non novit, & „ Christus non amicum nec filium agnoscit? Aliâ igitur viâ ad „ veram Sapientiam, quæ te beet, incedendum est, nimirum viâ „ humilitatis, charitatis, contemptus mundi, &c. *Hæc Cornel. à Lap.*

Part.1.c.1. sect.2.subs. 5. & 6. & p.1.2.tr.1. Et tra.2.c. 8. sect. 3. subs. 10.

Quod concernit Modum & Praxim docendi & discendi Divinam Sapientiam, seu Theologiam Spiritualem, vide suis locis.

§ III.

Lib. de fonte lucis, art. 16. ita citat & seq. Card. Bona via compen. ad Deum c.2.

DIco Tertio. *Theologia Spiritualis*, sev â potiori divisionis suæ membro dicta *Mystica*, juxta Dionysium Carthusianum dividitur *In Activam, & Passivam.* Quam divisionem idem Author videtur insinuare dum inquit: *DEVS itaq; Sublimis, cum viderit mentem hominis Spiritualis Zelo justitiæ penetratam, charitate flammigeram, puritate, ac omni virtute fulcitam, ad Divina fortitèr aspirantem:* (: Ecce Theologiam activam :) *mox dignantissimé, exuberantissimè, amorosè, ac frequentissimè ei occurrit, succurrit, cooperatur, seq; ei communicat, manifestat, infundit, eam ad se elevat, intra se rapit, deosculatur, amplectitur, atq; se ei intuendum, gustandum, fruendum offert ac exhibet, habetq; magnam complacentiam in ea.* Ecce Theologiam passivam seu mysticam. Itaque ex his patet spiritualem activam Theologiam, esse scientiam, quæ practicè hominem dirigit per media seu actus supernaturales puritati animi servientes; uti sunt contemptus mundi, pænitentia, mortificatio sui ipsius, &c. tum per actus justitiæ, omniumque virtutum, ferventis charitatis, ardentium ad DEUM aspirationum, quousque his actibus virtutum perficiat hominem ad earum acquisitos habitus, infusosque altioribus gradibus adaugeat. Dirigit autem hæc scientia ad finem supernaturalem, potissimùm ad DEI elevatiorem contemplationem, ferventiorem amorem affectivum & effectivum, strictiorem unionem, admirandam illam DEitatis experimentativam notitiam & fruitionem

onem in hac mortalitate magis vel minus pro ratione dispositionis humanæ & beneplacito Bonitatis Divinæ, in futura verò vita perfectè possidendam. Vndè ulteriùs patet, quia sicut in ordine naturali non datur transitus à Termino *A quo*, ad terminum *Ad quem*, nisi per medium: ita & in supernaturali ordine homo pertingere nequit ad Finis ultimi supernaturalem possessionem per accessum contemplationis & amoris, nisi adhibeat media pænitentiæ & mortificationis removentia prohibens unionem cum DEo, quale prohibens sunt tenebræ & algor peccatorum: tum deinde alia assumat media positivè conducentia, quale est lumen virtutum, ardorq; charitatis; quibus & via cælestis panditur, & homo flammæ ad instar amore succensus rapitur ad suæ sphæræ centrũ, Deum suum.

Advertendum autem hic est *primò* ad conditiones & proprietates utriusque Theologiæ activæ & passivæ; Nimirum activam per se & ordinariè pertinere ad statum Incipientium, Proficientiũ; ad Perfectos verò quasi per accidens, maximè in supremo gradu perfectionis. Passiva verò habet se extraordinariè respectu Incipientiũ, & Proficientium; ordinariè autem respectu Perfectorum. Ratio vtriusque est: quia activa Theologia secundum dictamen practicum rationis, adjutum supernaturalibus gratiis actualibus, disponit ac dirigit hominem per exercitium habituum infusorum circa finem supernaturalem, & media ad ipsum; verùm cum non modica hominis difficultate, labore, & activitate: quod ipsum evenit Proficientibus, & maximè Incipientibus, ob arduitatem virtutis. Perfectis verò qui assveverunt virtuti, & abundant gratiâ DEI, hæc difficultas contingit ex aliquo accidenti, v. g. dum propter humilitatem servandam subtracto gustu gratiæ, desolati aridique, virtutis asperitatem experiuntur. In passiva autem Theologia contrarium accidit: quia ibi Mens specialioribus gratiis actualibus Divinis illustratur & inspiratur; tum Spiritus Sanctus immediatè per dona sua aliisque modis Cognoscitivam multiplicitèr & copiosè irradiat, Appetitum confovet ac ineffabilitèr demulcet; atque ita suavitèr movet, ciet, & agit hominem ad omnem bonitatem. Undè ejusmodi non tam agere (quanquam & ipse de facto coagat Spiritui Sancto) quàm agi dicatur, juxta illud Apostoli: *Quicunq; Spiritu DEI aguntur, ij sunt filii Dei.* Hæc autem Rom. 8.

omnia ſunt perfectorum propria: quæ ſubindè à Deo conceduntur etiam minùs perfectis, etſi non in tanta ubertate & præſtantia doni cæleſtis, ut perfectis: quatenùs allecti ſvavitate ſupernâ, ac probatâ facilitate virtutis, animentur ad progreſſum in altiora.

Advertendum ſecundo eſt, Dona Spiritus Sancti in Paſſiva Theologia quoad ſupremum gradum ſpectari; habent enim dona hæc gradum infimum, medium, & ſupremum. Adeoque juxta infimum gradum accepta, etiam per illa Spiritus Sanctus agit & movet Incipientes in via Spirituali, ſicut & Proficientes per medios gradus eorundem donorum; non tamen tantâ energiâ & apparentiâ, ut in Perfectis contingit; unde hi à Spiritu Sancto agi antonomaſticè dicuntur, non verò alii.

§ IV.

PAſſiva ſeu Myſtica Theologia quid, & qualis ſit; conceptu difficilis, effatu ineffabilis, in experientia admodùm rara. Quia tamen hæc Diviniſſima ſcientia ob ſui immenſam excellentiam, majeſtatem, gratiam, (: cum ipſi propriiſſimè & per antonomaſiam conueniant omnia encomia in laudem Sapientiæ, vel Scientiæ deprompta:) ultrò rapit animum ad ſui intuitum, cietque potentèr ad ejus comparandos inæſtimabiles theſauros, delibandaſque delicias: tum ex quo eſt activæ Theologiæ finis, ſi non omnibus activis in terra, ſaltem in cælo attingendus: Igitur de ea hic quidem breviter diſſerere placet, infra verò paulo fuſius ſub Contemplatione.

Quid itaque Myſtica Theologia ſit: Ejus ex *Cardinale Bona* definitiones ab aliis Myſticis Scriptoribus deſumptas, accipe, quæ ſeqvuntur; nempè Myſtica Theologia a *Eſt ſecretiſſima mentis cun DEO locutio.* Item: b *Eſt animi extenſio in DEVM per amoris deſiderium.* Item: c *Eſt motio anagogica in Deum per purum & fervidum amorem.* Item: d *Eſt cæleſtis quædam Dei notitia per unionem voluntatis DEO adhærentis elicita, vel lumine cælitus producta.* Item: e *Eſt ſapientia experimentalis DEI affectiva, divinitus infuſa, quæ mentem ab omni inordinatione puram, per actus ſupernaturales Fidei, Spei, & Charitatis „cum DEO intimè coniungit.* Alias alii definitiones tradunt, quæ cum

Via comp. ad DEVM cap. 3.

a *Dionyſ. Carthuſ. ſup. Dion. Myſt. Theolog.*

b *Gerſon. de Myſt. Th. Spec. Con. 28.*

c *Id. Gerſ. ib.* d *Joan. à JeſuMyſt. Theol. c. 1.* e *Balth. Corder, Iſa. ad Myſt. Th. Dion. Areop. c. 2.*

„ cum prædictis coincidunt. Res enim abstrusa & difficilis, ac prorsùs divina, certis finibus circumscribi nequit, & Dialecticorum regulis concludi.

„ Principiũ Mysticæ Theol. est ipsa Essentia bonitatis, rerumq; omnium Causa superessentialis TRINITAS, à qua per bonitatis redundantiam in nos effluxit, cum inæquali tamen participatione ob diversam hominum aptitudinem, & multorum repugnantiam cum divinis illustrationibus. Dicimus itaq; cum Sanctissimo Dionysio *DEI principalem beatitudinem, naturam Divinitatis, principium Deificationis, ex quo Deificandi deificantur, Mysticam Theologiam in salutem & Deificationem hominum concessisse, modo scilicet magis immateriato, & Spirituali, non extrinsecus ad Divina movendo, sed intelligibili ratione atq; intrinsecus purâ liquidâq; illustratione Divinissimam iis voluntatem irradiando.* Pater itaqne cunctis imaginibus depurans intellectum, supra rationem nos euehit; Filius verò vacuum intellectum infinitâ claritate perfundit: Sanctus autem Spiritus immenso ardore inflammans voluntatem, omnes affectus nostros secum conglutinat; quia nimirum id, quod mortale in nobis est, à vita immortali absorbetur. *Card. Bona via comp. ad DEVM cap. 3.* *Dionys. Eccles. Hierarch. c. 1.* *Card. Bon. Via comp. cap. 5.*

MagisterTheologiæMysticæ est Christus Dominus: qui beatum Paulum Apostolum eâ informavit: hic verò suum discipulum B. Dionysium Areopagitam: à quo hanc Divinissimam hæreditatem B. Thimotheus scripto secretissimo consignatam, accepit. Porro alii viri Sancti & DEO pleni eandem Sapientiam cælestem à Spiritu Sancto edocti, scriptisque planè divinis & arcanis præfati sancti Areopagitæ adjuti, propriâ experientiâ didicerunt, ac literis sparsim in suis voluminibus exaratam reliquerunt: quorum aliqui Catalogo sanctorum inscripti, aliqui minime, vitæ tamen eximiâ integritate in Ecclesia DEI effulserunt. Hi magnalia DEI sibi comperta, nobis verò incognita & stupenda evulgarunt; quibus fidem dare ob auctoritatem insignis eorum virtutis ratio & prudentia suadet; *Plato in Timæo* ait: *De rebus Divinis credendũ est filiis* „ *Dei, etiamsi nullas afferant rationes.* Nec ideo tamẽ inutiles æstimandi „ sunt, aut prorsus abjiciendi Mysticorum libri, quod sublimia „ tractent & mirabilia super nos; nam hoc saltem ex illis discimus *Card. Bon. Via comp. cap. 5.*

„ quam longè adhuc versemur à culmine Christianæ perfectionis,
„ nondum digni, qui cum Moyse in caliginem ingrediamur. Nar-
„ rat *Gulielmus* Abbas Sancti Theodorici sibi infirmo in Monasterio Claravallensi S. Bernardum etiam infirmum exposuisse Cantica Canticorum: *In quo*, inquit, *cum benignè & sine invidia exponeret mihi & communicaret sententias intelligentiæ, & sensus experientiæ suæ, & multa docere niteretur inexpertum, quæ non nisi experiendo discuntur: etsi intelligere non poteram adhuc, quæ apponebantur mihi: plus tamen solito intelligere me faciebat, quid ad ea intelligenda deesset mihi.*

Guliel. in Vita S. Bernard. l. 1. cap. 12.

Verba & nomina apud Mysticos frequentia, quorum sensus videntur contrariari veritati, non absolutè sed moraliter & metaphoricè alioque modo accipienda sunt, & piè interpretanda. Ejusmodi sunt v. g. *Animam liquefieri, mori, annihilari &c.* Quæ realiter sumpta falsum sonant, moraliter verò intellecta, serviunt ad exprimendum effectus mirabiles amoris Divini, qui animam quasi desinere in se, & in Deum transire seu transformari facit. Unde Philosophus ait: *Animam potiùs ibi esse ubi amat, quàm ubi animat.* Similiter actum voluntatis subinde pro actu intellectus substituunt, dum sensui, gustui, tactui spirituali, (quæ voluntati conveniunt) nomen visionis, cognitionis, notitiæ, attribuunt ad similitudinem sensuum corporis, quorum aliquo quidpiam percipientes, vidisse vel cognovisse aut nosse nos affirmamus: Cum addito tamen ejusmodi Termini à Mysticis usurpantur v. g. dum notitiæ addunt Ly *experimentalis, affectiva,* &c.

Omnibus aperta est Academia hujus Mysticæ Sapientiæ; maximè tamen Curatores animarum ad sui studium invitat, utpotè qui sapientibus & insipientibus debitores facti, debent loqui sapientiam inter perfectos, & ad eam disponere imperfectos. Cæterum tamen delectus est faciendus Auditorum ejusdem sacratæ Scientiæ; cum ea sint indigni homines perversi, carnales & sapientiâ mundi inflati. *Animalis enim homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei. Stultitia enim est illi, & non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur.* Et Christus Dominus prohibet dicens: *Nolite dare Sanctum canibus, neq; mittatis margaritas vestras ante porcos: ne fortè conculcent eas pedibus suis; & canes conversi dirumpant vos.* Unde S. Di-
„ onysius monet Thimotheum ut caveat, ne quis eorum hæc audiat

1. Corint. c. 2.

Matt. c. 7.

S. Dionys.

„ diat Mysteria,qui rebus adhærescunt, & nihil ultra naturalia, Cap. 1. My-
„ supernaturaliter esse imaginantur: qui materialibus rebus im- stic. Theol.
„ mersi, nondum per studium mortificationis & exercitium vir- quę ita ex-
„ tutum, animi candorem acquisiverunt: qui ambulantes in mi- plicat Car.
„ rabilibus super se,arcana Dei suâ cognitione se posse percipere Bona. Via
„ arbitrantur. His meritò occinimus cum *Christiano Poeta*: Comp. ad Deum c.4.

En adest DEVS, impios
Hinc procul procul arceo.
Invisum Superis genus,
Hinc abite profani.

Fumus ut fugit; obviis
Cera cedit ut ignibus:
Sic,intrante DEO, procul!
Hinc abite profani.

Fran. Mōt morentius in Paraph. ps. 67.

Porrò optimi in hac altissima scientia discipuli evaduntSimplices & Idiotæ utriusq; sexûs personæ. Quippè æternæ Sapientiæ *cum* „*simplicibus sermocinatio ejus*. Quare talibus Idiotis, qui nihil aliud „ quam salutē in timore & tremore curant, quā magnis & eruditis „ Theologis conferri solet,nisi & ipsi toto mētis affectu studeāt hu- „ militati.Ita scribit vir eximius Bartholomæ9 deMartyrib9,Bracha- „ rensis Archiepis. Comp. Doct. Spirit. par. 2.cap.13.Et Bernardus „ de hac re sermonem habens, sic exclamat:O *quisquis curiosus es sci-re, quid sit hoc Verbo frui,para illi non aurem,sed mentem: non docet hoc lingva,sed gratia: absconditur à sapientibus & prudentibus, & revelatur Par-* „*vulis*. Similia docent alii plures sapientissimi viri Bonaventura, „Gerson, Franciscus Suarez, Victor Gelenius, Constantinus de „Barbanson. Atque idem confirmant scriptis suis & exemploSan- „ctæ Theodidactæ Mulieres, tres Catharinæ Senensis, Genu- „ensis, &Bononiensis; Angela de Fulgineo,Gertruda,Mechtil- „ dis, Brigida, Baptista Vernatia, Teressiā à JESu, & aliæ plures.

Proverb. cap. 3.

Card.Bona Via cōp c.4

S. Bernar. Serm. 85. in Cant.

„Libet autem hic quærere & obstupescere, unde proveniat „tam exiguum esse numerum incumbentium Mysticæ Theolo- „giæ & Contemplationi, cum sint tamen innumeri Viri pii & Re- „ligiosi,divinæ gratiæ consortes, & donis Spiritus Sancti præditi: „crescitque admiratio, expensâ ratione habitus, qui quò nobilior „est, eò majorem confert potentiæ operandi facilitatem. Cùm „sit ergo in omnibus justis habitus sapientiæ, quæ est donum Spi- „ritus Sancti, cur è tot millibus vix unus reperitur rerum divina- „rum Contemplator? profectò mirum est hoc, & possumus cum „Propheta plorare, & dicere: *Viæ sion lugent, eò quod non sint, qui ve-niant ad solemnitatem.*

Card.Bona Via Comp. adDeum c. 10.

Thren.14.

Hujus

„Hujus rei causas subtilius indagare majoris otii & volu-
„minis foret. Nonnullas breviter attingam. *Calaguritanus*, qui hoc
„dubium proponit, causam potissimam esse putat, non serio vita-
„re tenuiores culpas, nec perennem cordis alere puritatem: si enim
„hæc exquireretur, in cordibus puris facilè Divina cerneretur
„imago: Hæc ille verissimè. Nam & sapientes ethnici hanc verita-
„tem cognoverunt. Hierocles tunc hominem posse fieri divinum
„ait, cum exverit quidquid humanum est. Musonius apud Ari-
„stidem *Ejicè* inquit *quod est in anima mortuum, & DEum agnosces.* Pla-
„to mentem à corpore separandam asserit, ut Deo jungatur. Alii
„causam rejiciunt in naturalem corporis & temperamenti dispo-
„sitionem, ratione cujus nonnulli ad mysticas functiones inepti sunt:
„Nam teste *Magno Gregorio* sunt quidam ita inquieti, ut sedere cum
„Maria ad pedes Christi minimè valeant. Sed ut observat Sanctæ
„memoriæ *Episcopus Genevensis*: Debent qui sunt hujusmodi, natu-
„ram vincere ope divinæ gratiæ, quæ omnibus invocantibus ad-
„est, & volenti nihil difficile. *Ludovicus à Ponte* aliam assignat ra-
„tionem, singularem DEI providentiam in Ecclesiæ gubernatio-
„ne, in qua diversa officia & gradus sunt: Quare debet unusquis-
„que suam attendere vocationem, & invitantis vocem sequi,
„omnia removendo impedimenta. Præclarè S. Bernardus: *Omnes no-
bis causamur deesse gratiam, sed justius forsitan ipsa sibi queritur gratia deesse
nonnullos. Nempe res cordis est gratia devotionis ista, quam quærimus, &
hoc munere ipse se fraudat, qui internum ei dissimulat receptaculum exhibere.*

Media perveniendi ad Mysticã Theologiam hæc breviter ac-
cipe: plura fusiùs suis locis. 1. Richardus inquit: *Absq; dubio, sine in-
genti exercitio, sine frequenti studio, sine ardenti desiderio ad perfectam sci-
„entiæ hujus altitudinem mens non sublevatur.* 2. Antonius Monelia Or-
„dinis Minorum, Vir magnus inter Mysticos, sed ferè incognitus,
„sex esse catenas docet, quibus ligatur anima, nè ad Mysticã The-
„ologiam ascendat. *Prima* est negligentia circa Spiritualia, quia
„homo non vult se exercere & mortificare. *2da*: Evagatio sensu-
„um. *3tia*: Curiositas intellectus circa scientias. *4ta*: Inordinatus
„amor erga temporalia. *5ta*: Impuritas in operationibus. *6ta*: Oc-
cupatio circa exteriora. 3. Joannes à JESU ait: *Divina & intelligere
& experiri cupienti, nullum brevius vitæ puritate, animiq;
demissione, compendium est.*

Ioan. à IESV Maria Mysti. Theol. c. 3.

Initio carminum Pitag. Aristit. 6. sacr. serm. tom. 1. Greg. 6 moral. c. 17. Fran: Sales de Diu. Amor. lib. 12. c. 1. Ducis Spirit. tr. 3. cap. 2.

Bern. Serm. de tripli. custodia.

Richardus de præparat. ad Contempl. cap. 79.

Ant. Mon. in Myst. Theol. Dionys. cap. 1. citatur. à Card. Bona Via comp cap. 4.

Ioan. à IESV. Myst. Theol. c. 1.

SUMMA

Ad pag. 66

SCHEMA I.

Confusionum in varietate Confessionum Dissidentium Neo-Evangelicarum Religionum, ex uno omnium Principio,

Quòd sola & unica S. Scriptura sit adæquata Regula, seu Norma, & Judex Fidei; Ecclesiæ Authoritate rejectâ.

SCHEMA II.

Unius, ejusdemq; inconfusæ Confessionis Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, in Duplici Principio Fidei fundatæ.

Primum. *Deus, (qui essentialis veritas) dixit, seu revelavit credendum.*
Secundum. *Deum revelâsse, Eccl. Catholica docet ac proponit in Conciliis, Sanctis PP. & unanimi ac perpetuo consensu. Ergo credendum.*

Articuli Fidei.	*Confessio Augustano-Lutherana.*	*Confessio Reformato-Calviniana.*	*Confessio Ariano-Sociniana.*	*Confessio Menno-Anabaptistica.*	*Confessio Quackero-Barclaiana.*	*Confessio Evangelica purior.*	*Confessio Ecclesiæ Catholicæ Romanæ.*	
DE DEO. An DEUS sit unus & trinus? seu an in una Divina Natura sit Trinitas Personarum?	*Affirmat.* Ecclesiæ apud nos magno consensu docent, DEUM trinum & unum credendum esse. Art. 1.	*Affirmat.* In simplici essentia Divina subsistunt tres Personæ, Confess. Gall. Art. VI.	*Negat.* Deum trinum in Personis. Confess. & Catechis. Rakoviensis. pag. 14.	*Tacet.* Sed ex eorundem oris Confessione constat, quòd Trinitatem Personarum negent; quia ajunt, nihil de hoc Script. in Exam. Interrogat. 2.	*Tacet.*	*Negat.* Siquidem ait, nec Trinitatis, nec Personarum in Divinis nomen in Scriptura legitur Thesi 3.	*Affirmat.* DEUM esse unum in essentia, Trinum in Personis, Patrem, Filium, & Spiritum S.	Quia I. Deus revelavit Matth. 3. 16. 17. Matth. 28. 19. Lucæ 1. 35 Joann. 14. 26. Act. 2. 33. Gal. 4. 6. Eph. 3. 14. 1. Petr. 2. 1. Joann. 4. 13. 1. Joann. 5. 6. & aliis locis. II. Deum revelâsse Eccl. docet in Concil. Niceno, Constant. Eph. Calcedon. Symb. Athan. S.S. Patribus Concil. Trid. unanimi ac perpetuo consensu.
DE CHRISTO FILIO DEI I. An sit Persona Divina increata?	*Affirmat.* Quando Decretum Nicen. Syn. de Unitate essentiæ Divinæ & tribus personis admittit. Art. I.	*Affirmat.* Ibidem art. VI. & XIV.	*Negat.* Confess. & Catechismus Rakov. pag. 24. & seq.	*Tacet.* Oris confessione negant, solam humanam personam in Christo concedentes in Exam. Interrog. X. XI.	*Tacet.*	*Tacet.*	I. *Affirmat.* In CHRISTO D. Filio DEI esse increatam, Divinam Personam.	Quia I. Deus revelavit Joann. 14. 4. Lucæ 13. 2. Matth. 16. 17. Matth. 26. 11. 28. 20. & aliis locis. Vide Bellarmin. Jodocum Coccium, &c. II. Deum revelâsse docet Ecclesia Catholica in Conciliis, SS. PP. unanimi consensu.
II. An Christus Filius DEI sit consubstantialis Patri?	*Affirmat.* Art. I.	*Affirmat.* Eodem Art. VI. & XIV.	*Negat.* Christus non habet in se [illegible]uram Divinam, cùm id & [illegible]rationi & Scripturæ [illegible]gnet. pag. 177.	*Tacet.* Sed implicitè negant, negando personam Divinam. In Exam. cit.	*Tacet.*	*Tacet.*	II. *Affirmat.* CHRISTUM DEI Filium esse consubstantialem Patri.	Quia I. Deus revelavit. Psal. 2. 7. Ps. 109. 1. Isaiæ. 7. 14. &c. ex novo Testam. Matth. 3. 16. Matth. 16. 17. Joann. 1. &c. Vide Bellarm. &c. II. Deum revelâsse, docet Ecclesia Catholica. In Concil. Nicen. & aliis, SS. PP. unanimi consensu.
III. An Persona Verbi Filius DEI sit verè incarnatus ex B. V. M. ut verè dicatur *Theotokon* Deipara?	*Affirmat.* Artic. III.	*Affirmat.* Art. XIV.	*Negat.* Quia negat Personam Verbi: etsi dicat Filium Dei genitum, sed non qui sit Deus æternus, increatus, sed qui à cōceptione & nativitate dictus primùm Filius Dei. pag. 54.	*Tacet.* At negat implicitè, negando in Christo personam Divinam. In Exam.	*Tacet.*	*Tacet.*	III. *Affirmat.* Personam Verbi Filium Dei verè incarnatum ex B. V. M. ut verè dicatur Deipara.	Quia I. Deus revelavit Isaiæ 7. 14. &c. Lucæ 2. 6. Joann. 1. 14. & aliis locis. II. Deum revelâsse docet Ecclesia, In Concil. Nicen. Ephes. & aliis, SS. PP. unanimi consensu.
IV. An Verbum æternum Christus carnem sumpserit ex B. V. M. & non aliunde?	*Affirmat.* Art. III.	*Affirmat.* Art. XIV.	*Affirmat.* Veram carnem assumpsisse ex B. V. M. Sed negat ante assumptionem illum fuisse Deum. Ibidem.	*Negat.* Dicit enim solùm in utero B. V. M. conceptum de Spiritu S. sed non ex carne, & sanguine, seu semine ejus Virgineo, art. 2. Conf. & in Exam.	*Tacet.*	*Tacet.*	IV. *Affirmat.* Verbum æternum Christum Carnem sumpsisse ex B. V. M. & non aliunde.	Quia I. DEUS revelavit Isaiæ 7. 14. Lucæ 1. 32. Lucæ 2. 6. &c. II. Deum revelâsse docet Ecclesia Catholica in Concil. Chalced. SS. PP. unanimi consensu.
DE SPIRITU S. An sit verus DEUS?	*Affirmat.* Artic. I.	*Affirmat.* Art. VI.	*Negat.* Siquidem solum Deum Patrem agnoscit summum & unicum Deum, p. 24. & quia nullibi in scriptura expresse vocatur Deus. p. 41.	*Affirmat.* Implicitè negant negando Personam. in Exam.	*Tacet.*	*Tacet.*	*Affirmat.* Spiritum Sanctum esse verè DEUM.	Quia I. Deus revelavit, 2. Reg. 23. 2. Matth. 28. 19. Actor. 5. 3. &c. II. Deum revelâsse docet Ecclesia Catholica in Concil. Constantinop. SS. PP. unanimi consensu.
DE SACRAMENTIS. I. An dentur Sacramenta novæ legis?	*Affirmat.* Licet uti Sacramentis quæ per malos administrantur. &c. Art. 8. Item Art. 13. De Usu Sacramentorum.	*Affirmat.* Art. XXXIV.	*Negat.* Pag. 215.	*Negat.* Solas ceremonias concedunt. In Exam.	*Negat.* Thes. 12. & 13.	*Negat.* Asserit autem unum tantùm Sacramentum Summum esse Verbum incarnatum. Thesi IV.	I. *Affirmat.* Dari Sacramenta Novæ legis.	Quia I. Deus revelavit, ut mox dicetur sigillatim de Baptismo, & Eucharistia. II. Deum revelâsse Ecclesia docet in Conciliis, SS. Patribus, unanimi consensu.
II. An Baptismus sit Sacramentum?	*Tacet.* Quia Non vocat Sacramentum sed ceremoniam: ait enim, de Baptismo docēt quòd necessario sit ad salutē tanquā ceremonia à Christo instituta. art. IX.	*Affirmat.* Art. XXXV.	*Negat.* Solam autem ceremoniam esse dicit quâ baptizati profitebantur olim se Christ. D. pro Domino recepisse, p. 225.	*Negat.* Ceremoniam solam esse confitentur. In Exam. quia inquiunt nihil de hoc Script.	*Negat.* Solum Baptisma Spiritûs & ignis datur. Thes. 12.	*Negat.* Solum Baptisma Spiritûs seu fidei in Christum admittit ex Script. Thesi 5.	II. *Affirmat.* Baptismum esse Sacramentum.	Quia I. Deus revelavit, Matth. 3. 11. Luc. 3. 16. Marc. 16. 16. Joann. 1. 33. Joann. 3. 5. &c. II. Deum revelâsse docet Ecclesia in Conciliis, Nicen. Constantinop. &c. SS. PP. unanimi ac perpetuo consensu.
III. An necessarius ad salutem, ut sine illo nemo salvus fiat?	*Affirmat.* Art. IX. cit.	*Tacet.* Quia Obscurè de hoc loquitur Cōf. passim tamen Calvinistar. sensus est infantes ex fidelibus natos, sine Bapt. mortuos salvari Molin. in Confess. art. 8.	*Negat.* Necessarium ad salutem; ait enim Regnum cœlorum non consistit in Baptismo sed in Justitia, pace, & gaudio in Spiritu S. pag. 226.	*Negat.* Sine illo infantes posse salvari in Exam. confessi sunt.	*Negat.* Implicitè necessarium, negando absolutè baptismum aquæ. Ibidem.	*Tacet.* Negat verò eo ipso quando solùm baptisma Spiritûs seu fidei requirit ad salutem. Ibidem.	III. *Affirmat.* Baptismum ad salutem necessarium, ita ut sine illo nemo salvus fiat.	Quia I. Deus revelavit Joann. 3. 5. Marci 16. 16. &c. II. Deum revelâsse docet Ecclesia in Concil. SS. PP. unanimi consensu.
IV. An infantes sint baptizandi?	*Affirmat.* Ibidem.	*Affirmat.* Art. XXXV.	*Negat.* Nam, inquit, de hoc neque præceptum, neq; exemplum habemus in Scripturis; & neque Chr. pro D. & Redemptore suo confiteri possunt. p. 225.	*Negat.* Quia ait: Christus præcepit ut prius doceantur & credant tum baptizentur. Confess. Clarist. art. 8.	*Negat.* Negando Baptismum, dicitq; esse meram traditionem humanam, cujus nec præceptum nec exemplum in Scriptura exstat. Thes. 12.	*Negat.* Thesi 5.	IV. *Affirmat.* Infantes esse baptizandos.	Quia I. Deus revelavit, Joann. 3. 5. Matth. 28. 19. Actor. 2. 38. &c. II. Deum revelâsse docet Ecclesia in Concil. SS. PP. unanimi consensu.
V. An Cœna Domini sit Sacramentum?	*Tacet.* Quia art. X. non vocatur Sacramentum, sed tantùm Cœna Domini.	*Affirmat.* Artic. XXXV	*Negat.* Cœna Domini est præceptum solùm ad ceremoniam spectans, pag. 215.	*Negat.* Sed solùm est ceremonia ita confessi sunt in examine.	*Negat.* Fractio panis per Christum cum discipulis solum est figura. Thesi XIII.	*Negat.* Ultima Cœna Domini non est Sacramentum & soli Apostoli ad eam sumendam tenebantur. Thesi VI.	V. *Affirmat.* Cœnam Domini esse Sacramentum.	Quia I. Deus revelavit, Matthæi 26. 26. Marci 14. 22. Lucæ 22. 19. Corinth. 11. 14. II. Deum revelâsse docet Ecclesia in Concil. SS. PP. unanimi consensu.
VI. An in Cœna Domini sit vera & realis præsentia, & sumptio Corporis & Sanguinis Christi?	*Affirmat.* Art. X. At cum pane & vino: quanquam in prima Confessione non fiat mentio panis & vini, sed solius Corporis & Sanguinis Domini.	*Negat.* Substantia Corporis & Sangvinis Christi spiritualiter per fidem comprehenditur. Art. XXXVI.	*Negat.* In Cœna fit fractio & manducatio panis, & vini bibitio ad annunciandum mortem Domini donec veniat, pag. 215.	*Negat.* Solùm est commemoratio mortis Christi, Christianum Manuale. Confess. Clarist. Art. IX.	*Negat.* Communio Corporis & Sanguinis Christi est qui spirituale & internum. Thesi XIII.	*Negat.* Agnoscimus manducationem & bibitionem Christi, sed solùm spiritualem per fidem & non sub elementis panis & vini. Thesi VI.	IV. *Affirmat.* In Cœna Domini esse veram & realem præsentiam & sumptionem Corporis & Sanguinis Christi.	Quia I. Deus revelavit præcitatis locis, & insuper, Joan. 6. Cor. 10. 16. II. Deum revelâsse docet Ecclesia in Concil. S.S. P.P. unanimi consensu.
DE MINISTRIS ECCLES. An habeant potestatem clavium ad retinenda & dimittenda peccata?	*Affirmare videtur.* Cùm ait, Absolutio privata in Ecclesiis retinenda est. *Negare videtur*, cùm ait, Quanquam in Confessione non sit necessaria omnium delictorum enumeratio. Art. XI.	*Tacet.* Molinæus autem art. 12. Suæ Confessionis: Ministros solùm præcones gratiæ appellat.	*Negat.* Ligare & solvere esse communitatis seu Ecclesiæ asserendo. pag. 314.	*Tacet.* In examine autem confessi sunt. Unus Clarista ab admonitore in nomine communitatis dimitti peccata. Alter Solicitus oratione communitatis dimitti.	*Negat.* Lumini interno & semini spirituali liberationem ab actuali peccato attribuendo. Thesi VIII. &c.	*Negat.* Solis illam Apostolis datam ait à Domino, ad illos enim solos dictum. Accipite Spiritum Sanctum. Thesi VII.	*Affirmat.* Ministros Ecclesiæ, id est, Sacerdotes habere potestatem clavium ad retinenda & dimittenda peccata.	Quia I. Deus revelavit Lucæ 15. 10. Joann. 20. 22. &c. II. Deum revelâsse docet Ecclesia in Concil. S.S. P.P. unanimi consensu.
DE IMPLETIONE LEGIS. An præcepta DEI servari possint?	*Negat.* Tanta est infirmitas humanæ Naturæ, ut nemo Legi DEI satisfacere possit. Art. VI.	*Negat.* DEUS vult legem suam exactè & severè prædicari, quæ tamen à nemine in hac vita servari potest. Catech. Heidelberg. Quæst. 115.	*Affirmat.* Concedit enim liberum arbitrium homini, quo DEO & ejus voluntati obedientia præstanda sine qua nemo salvari potest. pag. 281. 283. 284.	*Affirmat.* Jugum enim Dei svave est nec nobis DEUS plura imposuit, quàm quæ supportare possimus. In Exam. Uterque Admonitor.	*Affirmat.* Th. VIII. In quibus sancta hæc & immaculata genitura plenè producta est, liberantur ab actuali peccato & legem DEI transgrediendo eoque respectu perfecti sunt.	*Affirmat.* Ex Matth. 11. 29. &c. jugum enim meum svave est, &c. Thesi VIII.	*Affirmat.* Dei præcepta servari posse cum auxilio & gratia Dei & Salvatoris Domini nostri JESU Christi.	Quia I. Deus revelavit in plurimis locis Scripturæ tam veteris, quàm novæ legis, Bell. Cocc. &c. II. Deum revelâsse Ecclesia docet in Concil. SS. PP. unanimi consensu.
DE FIDE & OPERIBUS BONIS. An sola fides sine bonis operibus justificet?	*Affirmat.* Art. XX. Id etiam loquitur declamatum dogma Luther. sola fides sine operibus justificat.	*Affirmat.* Art. XXII. Profitemur bona [illegible] quæ duce ipsius Spir[illegible] mus non respici à D[illegible], ut per ea justificemur. [illegible]	*Negat.* Sed requirit etiam obedientiam, quâ verbo loquendo omnis habitus peccati deponatur & habitus omnium Christianarum Virtutum induatur. pag. 283.	*Negat.* In Exam. Interrog. 36. Præter fidem vivam requirimus obedientiam JESU CHristi & observantiam præceptorum DEI.	*Tacet.* Sed justificationem adscribit ipsi Christo; ait enim per quem S. partum videlicet Christum JEsum intus formatum, opera sua in nobis producentem ut sanctificamur, ita justificamur, Thesi VII.	*Negat.* Cum fide in JESU Christo salvifica etiam opera bona exercenda esse à fidelibus ad salutem & vitam æternam consequendam firmiter tenemus. Thesi VIII.	*Affirmat.* Fidem justificare tanquam id, quod est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis Justificationis. Trid. cap. 6. Sess. 8. *Negat.* Fidem justificare tanquam id quod est humanæ salutis perfectio, complementum, consummatio: hanc enim præstat non fides sola per se, sed & spes, & charitas, bonaque opera ex his virtutibus profluentia Trid. ib. c. 7. &c. quo sensu Divus Jacobus ait: Videtis quoniam ex operibus justificatur homo & non ex fide tantùm. c. 2. 17. & S. Paulus si habuero omnem fidem, charitatem autem non habeam nihil sum, Rom. 6. &c.	Quia I. Deus revelavit Roman. 2. 13. 6. Ult. Eccles. 5. 6. Jac. 2. 17. &c. 2. Petr. 1. II. Deum revelâsse Eccles. Catholica docet in Concil. SS. PP. unanimi consensu.

A. M. D. G.

Summa
THEOLOGIÆ SPIRITUALIS FUNDAMENTALIS,
SEU
SCIENTIÆ SALUTIS,

Bene Beatequè vivendi in Tempore, ac Æternitate.

DE STATU VITÆ CHRISTIANÆ, EJUSQUE OPPOSITO, In Genere, & Specie.

TUM

DE VITA ACTIVA, CONTEMPLATIVA, ET MISTA.

AUTHORE R. P. FELICE SIMPLICI LACKI,
S. Theologiæ Professore, & Priore Monasterii B. MARIÆ V. de Oliva, S. O. Cisterciensis.

SUMMA THEOLOGIÆ SPIRITUALIS.

§ I.

SUmma summarum omniũ thesaurorum Sapientiæ & Scientiæ, ipsa æterna SAPIENTIA, suas opes, creaturæ eum in modum communicare dignatur. Tum in Angelica, tum in Ecclesiastica Hierarchia, viciniores Divinitati, vel sanctitatis & perfectionis similitudine, vel Regiminis publici participatione; clarioribus, plenioribus, universalioribusq; suæ Sapientiæ irradiat splendoribus: remotiores verò minus claris & universalibus, quousq; hæc irradiatio gradatim per superiores & inferiores Ordines resolvatur in particularia lumina ad captum rudium & simplicium in Ecclesia DEI, juxta illud axioma: *Quod est collectum in superioribus, hoc dispersum in inferioribus.* Igitur sancti Doctores, & Magistri Ecclesiæ, Sapientiam, quæ desursùm est à Patre luminum, participantes, eam tum in Summa seu Universali, tum in particulari scriptis suis propalarunt, sparsim tamen, & passim absq; certa Methodo; prout nimirum ferebat impetus Spiritus, qui ubi & quando vult spirat, ac inspirat. Vel si qui eandem Sapientiam cælestem in aliquam formam & ordinem digesserunt, quæ certe sufficeret pro sapientbus, quibus dedisse occasionem, ut sapientiores fiant, satis est: simplicibus tamen, pusillis, & idiotis in Divinis, nisi principaliora vitæ Spiritualis simul in uno volumine proponantur; eaque conformiter ad captum & imaginationem eorum disponantur, lectione variâ librorum Spiritualium videntur non modicè confundi; dum nunc in isto, nunc in illo libro quærunt aliquid ad intelligendum, vel practicandum, & non inveniunt nisi in generalissimis Terminis; vel si unum & aliud elucidatũ repererint, pro notitia tamen aliorum requisitorum vitæ Spiritualis, ab uno ad alium Au-

thorem recurrere coguntur. Deinde dum praxim virtutum modò hanc, modò illam arripiunt, tandem præ animi perturbati tædio & fastidio omnem vel deserunt, vel segnitèr exercent: quia multotiès variatâ lectione & methodo virtutis, totiès variatur harmonia agendorum, coordinata in imaginativa & intellectu, ut ignorent denique perplexi animo, quò vadant, & quâ viâ virtutis eis incedendũ, cum quævis suâ pulchritudine, & præstantiâ ad se trahat, & alliciat: prout id probè experta Seraphica Virgo Teresia, quæ allecta contemplatione Divinitatis, ad eam, ordinariam viam, nempè meditationem Christi Humanitatis, errore decepta, omisit, putans se tali meditatione impediri ad Divina intuenda, cum tamẽ posthæc agnoverit id ostium esse, per quod ingrediendum, & egrediendum ad pascua cælestis Sapientiæ. Quare nos secuti æternam Sapientiam, & Doctores Ecclesiæ, in norma dandi Scientiam salutis; eandem proponimus tum in Summa quadam & totalitate, (universaliora enim juxta Philosophum sunt priora, utpote notiora) tum in distributis Partibus: id quoq; sub singulis ferè capitibus & sectionibus &c. facimus: quando v. g. rei tractandæ essentiam, proprietates, &c. una definitione comprehendentes, eandem in particulis difficilioribus enucleamus: qui modus bonus visus, tum ad captum faciliorem, tum gratiâ juvandæ memoriæ, ac brevitatis, & claritatis tractandorum. Deindè nitimur, ut Discipuli Christi hìc habeant, *& suum Doceri; & Moveri; & Practicare;* Delectari autem lenociniis styli, gravitas materiæ vetat; Quanquàm *Eloquia* DEI *dulciora* sint *super; mel.* Porrò ut occurramus supratactis difficultatibus; Ratio vitæ Spiritualis quidquid magis necessarium, magisque utile requisierit, hìc comparatum inveniet. At, nè Opus in immensum crescat, suusque honor Authoribus Spiritualibus habeatur, sub illorum nomine libros editos hìc indigitamus, ad eorum lectionem fusiorem in materia à nobis tacta, Lectorem invitantes. Methodum quoque & praxim procedendi in via Spirituali ita adaptare nitebamur, prout ordinarius fert cursus Spiritualium, & ipsa rei exigentia postulat, ut nec stultus quidem erret per hanc viam ætheream, modò sequatur Manuductionem Divinæ Sapientiæ, ac Magistrorum Ecclesiæ hìc à nobis propositorum; ubi excipio extraordinarium

Vitæ ejus c. 22. & 23.

Psal. 118.

dinarium agendi modum, quem DEUS cum suis Electis subindè habet. Denique non disponimus hanc Theologiam Spiritualem more Scholastico per quæstiones, objectiones, &c. Quia hic non dubia, sed communi sensu & doctrinâ SS. Patrum vel Doctorum Ecclesiæ conclusa, & probata, proponimus: neque speculari & disputare; sed auscultare, credere, & operari, Theologiæ Spiritualis proprium est.

§ II.

VErùm quia amphibologia æquivocationis latet in his terminis: *Naturalis, Spiritualis*, tum *supernaturalitatis*, & *moralitatis*, ut clarior notitia habeatur, quandoquidē in his magna ex parte totius Operis istius structura fundetur; ideo eorum explicationem sequentibus suppositionibus præmittimus.

SUPPONO PRIMO: Statum humanæ vitæ in ratione moris, ac beatitudinis, dividi in statum puræ naturæ, & in statum elevationis. *Status puræ naturæ* ita dictus, quod importet omnia ad essentiam suam connaturalia; qualia sunt, potentiæ naturales, generalis Divinæ Providentiæ concursus; & excludat omne id, quod ei non debetur ratione suæ essentiæ, sive illud sit bonū, ut elevatio ad finem supernaturalem per dona gratiæ; sive malum, ut peccatum, & reatus pœnæ. Porrò hic status nunquam extitit: quia Angeli omnes, primi Parentes, Beatissima Virgo, creati sunt in gratia; cæteri homines producti, & producendi sunt in delicto Originali. Est tamen idem status possibilis: quæ enim implicantia? *Status verò elevationis* in eo situs est, quod natura humana elevetur seu ordinetur tum extrinsecè nempè per decretum & providentiam DEI, tum intrinsecè nempè per dona supernaturalia gratiæ, ad finem supernaturalem gloriæ. Hic Status quantùm ad extrinsecam elevationem, communis est justis & peccatoribus: quia hæc exterior gratia elevationis, cum sit denominatio extrinseca à decreto DEI solùm afficiens extrinsecè peccatorem, compatitur ejus peccatum, quod est quid intrinsecum: à fortiori compatitur actus naturales moraliter bonos justorū sive peccatorum. Quantùm autem ad intrinsecam elevationem, hæc vel fit in ordine ad finem supernaturalem primæ gratiæ per actus supernaturales actualium gratia-

Vide Becanum Tract. de auxilio gratiæ disp. 2.

Vide ibidē quæst. 4.

rum & ista quoque elevatio non disconuenit peccatoribus; quia privatio gratiæ habitualis est compatibilis cum dispositione ad formam gratiæ inducendam: Vel fit in ordine ad secundam gratiam, & gloriam æternam per actus supernaturales hominis in gratia habituali existentis: & ista elevatio est propria solis justis; quia gratia habitualis de facto est incompossibilis cum peccato lethali. Status præfatus elevationis duravit ab initio creaturæ, durabitque iu finem sæculi. Et *primò* in Angelis fuit extrinsecè & intrinsecè; quia fuerunt mox conditi in gratia. *Secundò*: Status Protoplastorum ante peccatum præter elevationem extrinsecam & intrinsecam, includebat *naturæ Integritatem*, in eo sitam; quod natura humana haberet omnia quoad suam essentiam, & ex ea facultates promanantes, cum carentia peccati quoad reatum culpæ & pænæ, ac absoluto dominio partis superioris supra inferiorem perfectè subjectam. Quæ snbjectio etiam *justitia* vocatur; quia faciebat hominem justum, & apte compositum in hoc, quod subiiciebatur sine contradictione Corpus Spiritui, Spiritus Deo. Cæterùm etiam pronùnc existens Natura humana potest vocari integra: quia etsi sit imperfecta negativè, id est carens aliquâ perfectione naturali ipsi plurimùm consentanea, scilicet interiore concordia suorum appetituum: non est tamen imperfecta privativè, quia non caret aliquâ perfectione ipsi debitâ. Deinde idem status elevationis Protoplastorum ante peccatum includebat *Innocentiam Originalem*, ita dictam, quod fuisset transfundenda in posteritatem originatam ab Adam, si ipse non peccasset. Porrò hæc innocentia ejusmodi prærogativis ditabatur: nempe immunitate àb errore seu deceptione; quia error & deceptio, imò ignorantia eorum, quæ sciri debent, pæna quædam est, consecutiva culpæ, quæ durante innocentiæ statu, non supponitur: Item immunitate à peccato veniali: Item immunitate ab omni molestia & afflictione: Item immunitate à morte corporis, quamdiu homo gravitèr non peccaret. *Tertiò*, status elevationis cum differentia extrinsecæ & intrinsecæ elevationis in natura lapsa (ita dicta, quod per Capitis sui nempè primi Parentis nostri inobedientiam ex felici & sublimi statu gratiæ, innocentiæ, & integritatis, prolapsa sit in nimis vilem & infelicem conditionem) duravit sub lege naturæ, quod tempus fuit

Vide Becan. ib. quest. 2.

Vide Becan. ib. quæst. 3. A 1. & 2.

ab

ab Adam usque ad Moysen; Tum sub lege scripta permansit, nempè à Moyse ad Christum; Tum durat, & durabit sub Lege gratiæ, cujus tempus est à Christo usque in finem mundi.

SVPPONO SECVNDO. *Ens supernaturale est id, quod est naturæ creatæ & creabili indebitũ tũ determinatè*, sicut v. g. ex suppositione productionis animæ rationalis debetur ei potentia intellectiva: *tum indeterminatè*, sicut ad perfectionem totius generis humani, debetur eidem v. g. pulchritudo, sive robur eximium non omnium hominũ, sed indeterminatè aliquorum. Neutro autem hoc modo Ens supernaturale debetur naturæ. Item *Entitas Supernaturalis est, quæ existit supra omnem exigentiam, exceditq̃ vires omnis substantiæ seu naturæ creatæ & creabilis*. Ratio est, quia id debetur naturæ, sine quo perfectio naturæ esse nequit: Atqui perfectio naturæ quà talis, potest esse sine donis supernaturalibus sive determinatè, nempè à quolibet individuo naturæ v. g. humanæ exigente; qualia sunt, gratia habitualis, habitus infusi &c. Sive indeterminatè ab aliquo individuo postulante, quale est donũ unionis Hypostaticæ: Ergo naturæ non debentur hæc dona, adeoque non potest exigere ut suæ perfectioni debita Entia supernaturalia. Ens supernaturale aliud est *quoad Substantiam tale* v. g. unio Hypostatica, gratia habitualis, actualis, habitus infusi, actusque virtutum, characteres sacramentales, lumen gloriæ, visio beatifica. Aliud *quoad modum est Supernaturale*, nempè id, quod etsi absolute sit juxta exigentiam substantiæ alicujus creatæ, non tamen hìc & nunc in istis circumstantiis; v. g. Illuminatio cæci. Item Ens supernaturale aliud est *Theologicum*, nimirum quod est ab intrinseco ordinativum creaturæ rationalis ad visionem DEI beatificam: v. g. Gratia habitualis, & actualis, aliaque supra enumerata. Aliud est Ens supernaturale *Philosophicum*, quatenus procedit à DEO dispensante in legibus naturæ: talis est v. g. Actio in consecratione Eucharistica, ubi DEUS dispensat in natura accidentium exigentium subjectum. Quia sicut Theologus explicat Ens supernaturale per ordinem ad Visionem beatificam tanquam finem ultimum aliorum Entium supernaturalium: ita Philosophus attendit ad ordinarium cursum naturæ, quæ positis prærequisitis omnibus, vel non producit suum effectum ob defectum concursus Divini, vel alium producit extraordinarium

ordinarium, supplente Causa prima defectum causæ secundæ: sicut contigit in igne Babylonico non urente sed rorante.

SVPPONO TERTIO. Ex communi acceptione quidam *Primo* appellantur Personæ spirituales; & hæc appellatio iis cōpetit, qui sunt in statu Ecclesiastico, & Religioso, dedicato specialiter in DEI sortem, & cultum, ad Spiritualibus rebus intendendum. Unde Apostolus: *Nemo militans DEO, implicat se negotiis sæcularibus*: Ergo Spiritualibus, *ut ei placeat, cui se probavit*. *Secundò*: aliqui dicuntur homo, vir, aut fœmina, Spiritualis; & id convenit illis, sive Ecclesiastici, sive Religiosi, sive Sæculares sint, qui excellunt gratiâ ac donis Spiritus Sancti, & vitæ sanctimoniâ. *Tertiò* vocantur *Spirituales*, qui præstant aliqua ex gratiis gratis datis, quæ ordinariè annectuntur statui personarum Spiritualiū ratione alicujus officii vel ministerii in Ecclesia DEI, per accidens verò conceduntur & aliis. Taliū gratiarū una est v. g. Discretio spirituū: unde dicitur; *Spiritualis autem judicat omnia*. Verumtamen *Rari sunt* (ut ait B. Laurent. Justinianus) *qui spirituales re & nomine censendi sint, vocabulum hoc denuntiationis sortiuntur multi, effectum verò ipsius pauci.* Notandum autem, nos hoc Opere nomina ista Christianum, Spirituale, Supernaturale, frequenter pro eodem accipere, unumque aliud supponimus includere: v. g. dum dicimus status vitæ Christianæ: ubi sub Ly Christianæ intelligimus vitam Spiritualem, Supernaturalem; & econversò.

Tim. 2.

1. Cor. 15.

Lib. de Obedient. c. 16.

SVPPONO QVARTO. Quanquam communiter Morales virtutes dicuntur quæ sunt in Appetitiva potentia; Tum quia ratio moris seu inclinare appetitum ad agendum, illis convenit; Tum quia Moralitatē seu honestatem in se includunt: Tamen & intellectuales virtutes possunt dici quodam modo Morales participativè. Tum propter connexionē intimam cum virtutibus appetitivæ, seu per denominationem extrinsecam à voluntate movente, sicut externus actus dicitur liber ab interno; Tum quia & ipsæ veram & propriam habent honestatem. Quod & de Theologicis dicendum. Unde in hoc Opere dum dicimus Actus vitæ Spiritualis vel Supernaturalis in ratione vel in genere moris, intelligimus ibi includi etiā rationem moralitatis: quia appetitus rationalis per quid nisi per honestatē virtutum inclinatur? Deinde intelligimus inclu-

di Actus

di Actus virtutum tum intellectus tum voluntatis. Eosdem quoque Actus in ratione moris supernaturali, frequenter in hoc Libro nominamus Actus vitæ Spiritualis; quandoquidem Actus morales supernaturales à Spiritus S. gratia proveniant.

§ III.

PRiusquam vero accedamus ad ipsam Materiam Theologiæ Spiritualis in Summâ seu totali suo Esse tractandam, quoniam prius est animale, quam quod spirituale: & in hac rerum providentia Deus & Natura ab imperfectioribus ad perfectiora progrediuntur: tum ut Theologus Spiritualis discernat inter pretiosum & vile, inter gemmam & vitrum, etiã in moralibus: operæpretium fuit præmittere caput primum de statu vitæ in ratione moris ac beatitudinis naturali, atq; de horum oppositis caput secundum, post hæc de supernaturali. Verùm quia à naturali & ejus corruptivo ad supernaturale non potest transiri nisi per medium: quo assurgatur de scintilla rationis naturalis, aut de tenebris peccati & umbra mortis, in diem claritatis supernaturalis, vitæque perennis, capite tertio & quarto, id Medium, ejusque Oppositum statuimus. Tandem capite quinto de statu vitæ Christianæ seu supernaturalis suisque oppositis in genere, ac deniqúe capite 6to de eodem statu in specie agimus.

CAPUT I.

De Statu vitæ humanæ in ratione moris ac beatitudinis naturali.

DICO. *Hic status est permanentia in exercitio (orto ex principiis naturalibus, juxta dictamen luminis naturalis, ad finem bonum:) virtutum, tum contemplationis summi Entis veri & boni.* Explicatur & probatur assertio. Dicitur; *permanentia:* Quia hæc est de ratione status. Dicitur; *in Exercitio virtutum:* Quia cum ex virtute agere sit præcipuum bonum naturæ rationalis, utpote ejus per hoc maxime distinctivum ab irrationali; & conservativum in suo Esse luminis naturalis non extingvendi saltem quoad actum

2dum: Hinc multùm inclinatur (quod est de ratione Moris seu Consvetudinis) ad exercitium virtutum, qui sunt actus moralitèr boni. Dicitur; *Tum contemplationis summi Entis Veri & Boni*: Quia ratio humana cum sit capax universalis Veri & Boni, tamdiù non exsatiatur, seu non quietatur; quamdiù non explet capacitatem suam illo Summo Vero & Bono: quæ exsatiatio naturali modo adeoq; non plenè acquisita, est de ratione beatitudinis naturalis. Dicitur; *ex principiis naturalibus* &c. Per quod differt hic status vitæ naturalis à supernaturali.

V.D.Thom. 1.2.q.2.a.8.

Ejusmodi status etsi possit extrinsecè dici supernaturalis; quia per decretum Dei elevatus est ad finem supernaturalem: intrinsecè tamen est naturalis; quia ex meris principiis naturalibus elicit actus suos.

Triplicis generis sunt homines, qui magis vel minus contingunt Statum præfatum. *Primò sunt Infideles*: Quorum opera honesta sunt naturalia, non supernaturalia; cùm ex aliquo principio supernaturali minimè promanent. Nisi dum disponuntur per auxilia Dei actualia ad gratiam habitualem; tum enim ad formam supernaturalem inducendam, datur quoq; dispositio supernaturalis *Secundò sunt peccatores sed fideles; tum justi sed rudes in spiritu, aut tepidi*; qui rarò supernaturaliter operantur; quia aut ignorant, aut negligunt ex motivo supernaturali operari, dum operantur. *Tertiò sunt Iusti ferventiores, & eruditi à DEO vel homine*, qui rarò naturaliter, ferè semper supernaturaliter (si tamen Deus concurrerit) operantur honestè, ob radicem nimirum supernaturalitatis in se manentem, quæ est gratia habitualis, tum ob principia actualium gratiarum, tum ob motivum fidei supernaturale, ex quo suos actus eliciunt. Sin verò ex alio motivo naturali eliciant, erunt actus naturales: quandoquidem objectum Motivum dat Esse actui. Sed de hoc infra fusiùs.

V. part. 2. 2. Theol. Spirit.

Quod concernit præcipuam qualitatem ejusmodi actuum; sic actus supernaturales justorum sunt meritorii de condigno præmii supernaturalis: Peccatorū autem fidelium supernaturales actus solum sunt meritorii de congruo. Actus vero naturales moraliter boni, seu virtutum, qui ex motivo naturali honestatis fiunt,

non

non ſunt meritorii præmii ſupernatnralis gratiæ & gloriæ: quia nulla eſt proportio inter meritum naturale & præmium ſupernaturale. Sunt tamen meritorii præmii naturalis: Siquidem DEVS ut ſupremus author & moderator univerſi, ſicut nullum malum factum decrevit permittere impunitum, ita nullum bonum inſolutum: hoc enim ad conveniens regimen rationalis creaturæ pertinebat. Porrò Actus virtutum, qui ex mera inclinatione complexionis naturalis procedunt: ſunt enim nonnulli complexione v. g. ſangvineâ affabiles, ſinceri, &c. Ejusmodi virtutes naturales, ne quidem præmium naturale merentur, cum non ex motivo honeſtatis; (quod eſt quid arduum adeoque laude dignum) ſed ipſo naturæ impulſu fiunt, planè ſicut ſedere, vel ambulare: ſin vero ex motivo honeſti proceſſerint, verè & formaliter virtutes ſunt, ac meritoriæ præmii proportionati. Denique Actus virtutum ex fine vano v. g. inanis gloriæ &c. exerciti; vel eandem exoptatam mercedem accipiunt juxta illud Chriſti effatum de ſimilibus: *Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam.* Vel ſi non acceperint, alia mercede digni non ſunt, quin imo pænâ plectendi: qui omiſſo ſolido bono honeſti, naturæ rationali maximè conuenienti, apparens & falſum intenderint.

Matt. cap. 6. v. 5.

Beatitudo quoque naturalis ſita in contemplatione & amore naturali ſummi Boni quanquam ſit vera beatitudo creaturæ rationalis, & nulla alia ptæter ipſam; eſt tamen plurimùm imperfecta, difficilis, & multis erroribus per reſpectum ad ſupernaturalem beatitudinem obnoxia.

Quod vero attinet doctrinam Ethnicorum Sapientum de virtute, & beatitudine; placet hic pauca afferre, ut Epicuri ſeu Machiavelli infauſta ſoboles (quæ nullum eligit bonum Honeſtum niſi in ordine ad Utile, & Jucundum vanitatis, carnis & ſangvinis; eandemque hominum cum beſtiis & poſt fata ſortem eſſe ſomniat) erubeſcat gentiliſmum meliùs vidiſſe & ſapuiſſe Cimmeriis in tenebris, quam hi in profuſisſima luce Chriſtianæ veritatis; niſi dixeris noctuas haſce diligentes magis tenebras iuiquitatis quam lucem bonitatis, amiſiſſe oculos ad repercusſionem radiorum refulgentis doctrinæ cæleſtis. Tum, ut qui ſanos habent oculos, comparatione factâ doctrinæ moralis Gentilium cum ſupernatu-

rali sapientia Christianorum, videant quantum inter se differant ut fructus à foliis, gemma à vitro, sol à stella; quàm illa jejuna, nubilosa, hæc omni pingvedine deliciarum spiritus referta, luminosa simul & mysteriosa. Igitur propono hîc septem Græciæ Sapientum cujusque suam Ethicam, seu prudentiæ ac vitæ honestæ præcepta, quæ paucis complexa sententiis, hiscè versibus edidit Ausonius:

Ethica Biantis Prienæi.

Quænam summa boni? Mens, quæ sibi conscia recti.
Pernicies homini quæ maxima? Solus homo alter.
Quis dives? Qui nil cupiat. Quis pauper? Avarus.
Quæ dos matronæ pulcherrima? Vita pudica.
Quæ casta est? De qua mentiri fama veretur.
Quod prudentis opus? Quum possit, nolle nocere.
Quid stulti proprium? Non posse & velle nocere.

Ethica Pittaci Mitylenæi.

Loqui ignorabit, qui tacere nesciet.
Bono probari malo, quàm multis malis.
Demens superbis invidet felicibus.
Demens dolorem ridet infelicium.
Pareto legi, quisq; legem sanxeris.
Plures amicos re secundâ compara.
Paucos amicos rebus adversis proba.

Ethica Cleobuli Lindii.

Quanto plùs liceat, tam libeat minùs.
Fortunæ invidiæ est immeritus miser.
Felix criminibus nullus erit diu.
Ignoscas aliis multa, nihil tibi.
Parcit quisq; bonis, perdere vult malos.
Majorum meritis gloria non datur.
Turpis sæpè datur fama minoribus.

Ethica Periandri Corinthii.

Nunquam discrepat utile à decoro.
Plùs est sollicitus magis beatus.

Mortem optare, malum; timere pejus.
Faxis, ut libeat, quod est necesse.
Multis terribilis, caveto multos.
Si fortuna juvat, caveto tolli-.
Si fortuna tonat, caveto mergi.

Ethica Solonis Athenienſis.

Dico tunc beatam vitam, quum peracta fata ſint.
Par pari jungatur conjunx; quidquid impar, diſſidet.
Non erunt honores unquam fortuiti muneris,
Clàm coarguas propinqvum, quem palam laudaveris.
Pulchriùs multò parari, quàm creari nobilem.
Certa ſi decreta ſors eſt, quid cavere proderit?
Sive ſint incerta cuncta, quid timere convenit?

Ethica Chilonis Lacedæmonii.

Nolo minor me timeat, deſpiciatq; major.
Vive memor mortis, ut ſis memor & ſalutis.
Triſtia cuncta exuperans, aut Animo aut Amico.
Tu benè ſi quid facias, non meminiſſe, fas eſt.
Quæ benefacta accipias, perpetuò memento.
Grata ſenectus homini, quæ parilis juventæ.
Illa juventa eſt gravior, quæ ſimilis ſenectæ.

Ethica Thaletis Mileſii.

Turpe quid auſurus, te ſine teſte time.
Vita perit: mortis gloria non moritur.
Quod facturus eris, dicere ſuſtuleris.
Crux eſt ſi metuas vincere, quod nequeas.
Qvum verè objurgas, ſic inimice juvas.
Qvum falsò laudas, tunc & amice noces.
Nil nimium ſatis eſt, ne ſit & hoc nimium.

Placita Gentilium Philoſophorum de vera Beatitudine.

Non voluptuoſæ in vitæ degendæ rationibus beata vita, ſed in virtuti conſentaneis actionibus officiisq; cernitur, *Ariſt. l.* 20. *Ethic. c.* 6.

Beata vita, ſive in voluptate, ſive in virtute ponenda ſit, ſive in utroque, iis adeſt potius qui ſummis voluntatis animique ornamentis inſtructi ſunt, & modica adjumenta externa, & adventitia habent: quam iis, qui magnis copiis, illi quidem, abundant rerum externarum; ſed his verbis bonis carent, *Ariſt. l. 7. de Repub. cap. 1.*

Quoniam in Beata vita ſummum bonum eſt, eaque in virtutis actione uſque profectò conſiſtit: ita fit, ùt quidam ejus fieri poſſint compotes, alii aut parum, aut nihil. *Ariſt. l. 7. de Repub: c. 8.*

Quod ſi divitias veſis, rem bonum eſſe ſcias, nec omnino in te ſitam. Si vero beari, id & bonum eſt, & penes te. Opes enim fortuna ad tempus commodàto dat. Beatitudo autem à noſtra voluntate procedit. *Epictetus.*

Beatus eſſe ſine virtute nemo poteſt. *Cic. de nat: Deor:*

Beati ſunt, quos nulli metus terrent, nullæ ægritudines exedunt, nullæ libidines cruciant, nullæ futiles lætitiæ exultantes langvidis liquefaciunt voluptatibus. *Cic: 5. Tuſc.*

Anaxagoras interroganti cuidam, quisnam eſſet beatus? Nemo, *inquit*, ex iis quos tu felices exiſtimas: ſed eum in eo numero reperies, qui à te ex miſeriis conſtare creditur. Non erit ille divitiis & honoribus abundans, ſed aut exigvi æris, aut non ambitioſæ doctrinæ fidelis ac pertinax cultor in ſeceſſu, quàm fronte beatior. *Val: Max, L. 2. Bruſon. L. 2. 36.*

Ethnicorum Sapientum ſenſus de futura Beatitudine.

Niſi ſtabili & fixo, & permanente Bono, beatus eſſe nemo poteſt: nihil enim inveteraſcere, nihil extingvi, nil cadere debet eorum, quæ in vita beata conſiſtunt. Nam qui timebit, ne quid ex his deperdat, beatus eſſe non poterit. *Cic. 5. Tuſc.*

Claud. 2. de raptu Proſerpinæ.

Amiſſum ne crede diem: ſunt altera nobis
Sidera, ſunt orbes alii, lumenq́; videbis
Purius: Elyſiosq́; magis mirabere campos,
Cultoresq́; pios; illic pretioſior ætas:

Aurea

Aurea progenies habitat, semperq; tenemus,
Quod superi merVere semel: nec mollia desunt
Prata tibi, Zephyris illic melioribus halant
Perpetui flores, quos nec tua protulit Ætna.
Est etiam lucis arbor prædiVes opacis.
Fulgentes Viridi ramos curVata metallo.
Hæc tibi sacra datur, fortunatumq; tenebis
Autumnum, & fulVis semper ditabere pennis.

Ex his conclude ad PRAXIM: mutandum esse ejusmodi statum vitæ humanæ in ratione moris ac beatitudinis naturalem: qui ob arduitatem virtutis perquàm laboriosus; ob exigvitatem, & tenuitatem naturalis præmii, tum imperfectionem naturalis beatitudinis haud tantoperè æstimandus. Et festinandum Medio infra videndo, ad statum vitæ supernaturalem, in quo & virtus jucundior, & ejus præmium, nec non beatitudo Viæ & Patriæ digna omni pretio & acceptione.

CAPUT II.

De Opposito Statui vitæ humanæ in ratione moris ac beatitudinis naturali.

DIco: *Id Oppositum est serVitus Vitiorum, & positus ultimus finis in apparenti beatitudine rerum temporalium: inquantum hæc serVitus, & finis intentus, cognoscuntur esse difformia dictamini luminis naturalis.* Dicitur; *serVitus Vitiorum:* qui est status quidam moraliter malus, contrariè oppositus statui moraliter bono. Quia sicut status moralitèr bonus, importat in Ratione exercitium permanens suæ libertatis à dominatu passionum, per actus virtutis, quod est proprium & præcipuum bonum naturæ rationalis quà talis: ita status moraliter malus, importat Rationis per consensum permanentem servitutem Appetitui sensitivo per actus vitiosos, quod est summum malum naturæ rationalis quà talis. Dicitur; *& positus ultimus finis* &c. Quia sicut ponere ultimum finem in vera beatitudine contemplationis, amorisque summi Boni, ut est convenientissimum Naturæ rationali, cum hoc sit ejus ultimatè perfectivum: itaècontra ponere ultimum finem in appa-

apparenti beatitudine rerum temporalium; v. g. honorum, divitiarum, corporis deliciarum &c. disconvenit naturæ rationali: tum quia possessione horum bonorum, utpotè particularium non expletur, nec completur capacitas quædam infinita in animo ad summum & universale bonum: tum quia ad idem bonum assequendum homo per bona temporalia summè impeditur.

Quantùm autem sit malum naturæ rationalis hærere in præfato statu servitutis vitiorum, apparentisque beatitudinis, inde liquet. Nam per servitutem vitiorum evertitur status naturæ rationalis, dum Ratio ipsa Domina & Regina subjicitur imperio sui servi Appetitus sensitivi, ejus obsecundans passionibus, difformibus dictamini sui luminis naturalis. Hinc sequitur talem hominem, jam non præseferre hominem seu animal rationale, sed potius jumentum insipiens, cum ejus more non se regat ratione, sed agatur impetu irrationali Appetitus sensitivi. Per quod insuper alia innumera mala incurrit, tum interna à perturbatione gravissima passionum, tum externa â contrarietate sibi adversantium hominum, quibus malè convivens, experitur non placentia sibi. Per apparentem quoque beatitudinem illuditur, & eluditur natura rationalis: quandoquidem hoc modo in vanum laborat assequendi suum ultimum finem veræ beatitudinis, quinimo ab eodem, obice præposteri finis retinetur. Quæ certe privatio veræ beatitudinis seu summi Boni, non potest non esse nisi summum malum naturæ rationalis: cum hæc diù noctùque inquietìssima maneat, & per ferrum, per ignes magno impetù feratur obtinendi summum Bonum, tanquam potentissima flamma suum sphæræ centrum; sive illud bonum implicitè apprehendatur, sive explicitè, quod est DEUS Ter Optimus Maximus.

Hinc Deus Author humanæ naturæ, ejus (tanquam suæ prænobilis imaginis amator) injuriam hanc gravem naturæ illatam, severissimè vindicat: ut prænominati Servi vitiorum, rebelles, illusores, eversoresque naturæ rationalis, à tanta nequitia retrahantur, aut pro ea mulctentur; per lumen rationis supremis Gubernatoribus Reipublicæ humanæ, indidit dictamen ad statuendas & exequendas leges pænales. Quin & ipse Deus per se, hæc mala naturæ in perversis ulciscitur, tum in præsenti temporali-

bus

bus pœnis, tum in futuro æternis. Quod cæca quoque Gentilitas discursu naturali agnovit, dum à suo Jove fulmina & ignes vindices malorum è cælo paveret.

Et Val: Flac: 3.

Quisq; nec in ventos, nec in ultima solvitur ossa,
Ira manet, duratq; dolor.

Claud: 2. Ruf.

Est locus infaustis, quo conciliamur in unum
Cocytus, Phlegetonq; vadis inamœnus uterq;
Alveus: hic voluit lachrymas, hic igne redundat.
Turris per geminos flammis vicinior amnes
Porrigitur, solidoq; rigens adamante sinistrum
Proluit igne latus, dextra Cocytia fundit
Æquora, triste gemens & fletu concita plangit.
Huc post emeritam mortalia secula vitam
Deveniunt, ubi nulla manent discrimina fati,
Nullus honor: vanoq; exutum nomine regem
Perturbat plebejus egens.

Bion dicere solebat: facilem esse ad inferos viam. *Laert. lib. 4. cap. 7.* Unde Virgil.

Facilis descensus Averni:
Noctes atq; dies patet atri janua Ditis. &c.

Ex his omnibus apud temetipsum seriò conclude; si adeò infelici statu vitiorum ac vanitatum opprimeris, & in periculo æternæ damnationis existis, conaberis exinde eluctari in beatissimum supernaturalitatis statum, Medio, quod jam sequitur.

CAPUT III.

De Medio transeundi à statu opposito statui Supernaturali aut Christiano seu Spirituali, ad eundem.

AXioma eſt: *Ab uno contradictorio ad aliud contradictorium, non datur tranſitus niſi per medium.* Ergò & à non ſupernaturali ſtatu, qui eſt naturalis in genere moris & beatitudinis, multò magis vitioſo, ad ſupernaturalem ſtatum vitæ humanæ, debet dari tranſitus per medium. Hoc autem medium eſt, tum diſpoſitio naturalis ad diſpoſitionem ſupernaturalem, tum diſpoſitio ſupernaturalis ad formam ſupernaturalem, per cujus effectum formalem, conſtituitur idem ſtatus in Eſſe formali ſupernaturali. Hæc itaque ut ſingula attingamus.

Primum Medium naturaliter diſponens ad diſpoſitionem ſupernaturalem & per eam ad ſtatum ſupernaturalem, in hoc ſitum eſt: Quando nimirùm quispiam Adultus ſubſidio gratiæ naturalis collatæ extrinſecè & per accidens per Chriſtum, aliquamdiu vivit ſecundùm legem naturalem, exercendo Actus naturales moraliter bonos, DEVS infallibiliter providebit illi auxilium gratiæ intrinſecè ſupernaturalis, quæ ſit efficax, aut moraliter & proximè ſufficiens ad ſalutem; Idq́ ex pacto inito cum Chriſto: attentâ etiam aliquâ congruitate operum naturalium honeſtorum.

Vide Card. Pallavic. L.2. Aſſert. Theol. c.5.

V. D. Thom. quæſt. 14. de verit. art. 11.

„Probatur imò authoritate S. Thomæ docentis: Si, *inquit* „*ille*, aliquis in ſylvis enutritus, ductum naturalis rationis ſequere„tur in appetitu boni & fuga mali, certiſſimè eſt tenendum, quòd „ei DEUS vel per internam inſpirationem revelaret ea quæ ad „credendum ſunt neceſſaria, vel ad eum fidei Prædicatorem diri„geret: Sicut miſit Petrum ad Cornelium. Atque ita crederet verum DEUM, & per illius amorem ſuper omnia, juſtificaretur. Quod idem ſentiendum eſt & de illo, qui Barbarus vel Infidelis inter infideles inculpatè viveret. Ex quibus patet gratiam efficacem fidei ordinariè dari ad præſcriptum naturalis rationis viventibus.

Probatur Secundò communi axiomate: *Facienti quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam* ſcilicet intrinſecè ſupernaturalem, conducibilem ad finem ſeu ſtatum ſupernaturalem. Jam verò vivens aliquamdiu ſecundùm legem naturalem, facit quod in ſe eſt: quia obſervantia Legis naturalis ad gratiam tum negativè diſponit, removendo ſcilicet prohibens gratiam, quod eſt peccatum: tum poſitivè diſponit, in hoc ſenſu, quatenùs obſervantia Legis naturalis qualificat animum remotâ quâdam aptitudine & ſimilitudine in ratione virtutis generica ad ejusdem habitus ſupernatu-

rales

rales suscipiendos, etsi in ratione specifica supernaturalitatis, à naturalibus virtutibus differentes. Ultra quam dispositionem alia naturaliter haberi nequit. Ergò sic facienti homini quod in se est, & secundùm quod potest, Deus non denegat gratiam.

Verùm quando gratia solùm sufficiens ejusmodi hominibus, qui videntur vivere juxta dictamen luminis naturalis, adeòque facere quod in se est, datur, utpotè cùm videntur mori in sua perfidia, quid ad hæc? *Respondetur*; Vel tales homines inculpatè vivere videntur ob aliquod commodum temporale, v.g. propter vanam gloriam; & sic recipiunt mercedem suam, nec digni sunt gratiâ speciali: vel viventes innocenter, videntur tibi nocenter nempè in sua perfidia mori. Dico, *videntur*. Nam quod si Deus talem hominem in ultimo agone illuminet ad veram fidem, & ille credat, eliciatq; amorem DEI super omnia? (quæ omnia possunt fieri imperceptibiliter ab astantibus agonizanti) nunquid ejusmodi, ut infidelis coram Deo morietur?

Dicitur supra in assertione: *Idq; ex pacto inito cum Christo.* Quia ex suppositione, quod Christus hunc in modum liberè voluerit redimere nos, nempe ut Adulti vitantes infernum, simul consequerentur gloriam visionis beatæ, conjunctam cum vitatione inferni: Jam vero cùm Adultis propter observantiam legis naturalis aliquo tempore, ex una parte deberetur vitatio inferni, sicut talibus deberetur idem & in pura natura; ex altera verò parte, cùm nequeat obtineri Visio beata viribus naturæ: Hinc sequitur quod CHRISTUS applicuit merita sua, iniitque cum DEO pactum, ut aliquamdiu secundùm luminis naturalis ductum viventi tribuerentur gratiæ supernaturales ad consequendam visionem beatificam. Ratio autem hujus pacti est: quia homo in reparata natura deterioris foret conditionis, quàm in pura natura. In pura quippè natura faciens quod in se est per vires naturæ, evaderet infernum, descenderetque ad limbum puerorum: Homo autem reparatus faciens quod in se est per naturam, damnaretur in infernum; quia non consequeretur visionem beatificam, conjunctam simul cum vitatione inferni.

Dicitur item in Assertione: *Attentâ etiam aliquâ congruitate operum naturalium honestorum.* Quæ congruitas operum non intelligitur se habere per modum cujusdam meriti, aut conditionis, sine

qua non, aut occasionis à nobis datæ, sed potiùs à DEO acceptæ: quatenùs scilicet suppositâ liberalitate DEI, & pacto cum Christo dandi gratiam, non quidem omnibus, sed tamē plurimis, congruum fuit, & decebat Deum, illā dare infallibiliter his potiùs, qui viribus naturæ aliquamdiu tenuerunt observantiam legis naturalis, quam aliis. Sicut volens Rex eligere rusticum in Senatorem, congruum est, ut potiùs eligat prudentiorem. Sicut item congruum est, ut magister discipulo potiùs illi proponat subtiliora artis, vel scientiæ, qui se diligenter perfecit in rudioribus, quàm illi, qui suâ negligentiâ vel malitiâ Rudimentorum imperitus manet: quia sicut ille primus aptum se facit ad altiora, etsi ad hæc ut promoveatur ulterior gratia magistri requiritur, ita hic secundus indignum & ineptum. Atque quòd ille promoveatur, non tam suæ aptitudini quàm Magistri gratiæ adscribere debet: ita hic quod non promoveatur, suæ indignitati & ineptitudini. Simili modo, naturali virtute pollens, etsi ob hanc remotissimâ quadam dignitate & aptitudine qualificetur adeò, ut ex sua parte vix aliquē respectū in genere habeat ad supernaturalitatem: Tamen potiùs congruum est vi pacti Christi, & ex parte DEI liberè eligentis, tali quali aptitudine præditum ad supernaturalia eligere, quàm alium, qui non se aptificaverit, quin potius peccatis magis vitiaverit.

Secundum Medium supernaturaliter disponens ad formam & statum supernaturalem, aliud est intrinsecum, aliud extrinsecum. Intrinsecum, sunt *Actus supernaturales*. Dicitur; *Actus*: quia Status supernaturalis, cum importet formam gratiæ habitualis: sequitur ad eandem gratiam debere hominem disponi quibusdam Actibus convenientibus. Gratiam quippè nolenti, vel negligenti, haud expedit obtrudere: sed potiùs eam æstimanti, exoptanti, ad eamque sese præparanti, conferre. Dicitur; *Supernaturales*: quia dispositio debet proportionari suæ formæ: sed gratia habitualis, utpotè fundamentum statûs supernaturalis, est forma supernaturalis: Ergò & Actus ad eam disponentes debent esse supernaturales.

Ad præfatos Actus supernaturales efficiendos, tum integrandos, concurrit partim DEUS cum gratiis actualibus supernaturalibus, partim homo cum sua cooperatione libera. Quia Actus supernaturalis, siquidem excedit vires naturæ, juvandus est

concur-

concursu & principio supernaturali: Deinde cùm sit humanus, exigit esse liber & voluntarius, quod citra consensum & cooperationem liberam hominis esse nequit.

Dicti actus supernaturales, alii negativè, alii positivè, disponunt ad statum supernaturalem. *Negativè quidem*; sed horum aliqui *remotè & insufficienter* id præstant, quales sunt v.g. Actus pœnitentiæ imperfectæ, uti Attritio : Aliqui *proximè*, qualis est v.g. perfecta Contritio, vel cum Sacramento Attritio, ubi ex Attrito fit Contritus. His enim & similibus Actibus ex parte peccatoris, retractatur peccatum, & fit aversio à Creatura, & conversio ad Creatorem. Actus *positivè disponentes*, alii sunt remotè alii proximè dispositivi ad statum supernaturalem. *Remotè dispositivi*, sunt opera v.g. pietatis, misericordiæ, &c. *Proximè dispositivi*, sunt Actus fidei, & maximè charitatis DEI super omnia dilecti, sive Actus charitatis sit formaliter in se spectatus prosecutionis, aut fugæ, v.g. uti est in Contritione, sive æquivalenter, prout est in Attritione cum Sacramento. Ratio horum est: quia Actus Charitatis proximè in similitudine proportionatur Gratiæ DEI habituali, quæ vel ipsa est Charitas, vel radix principalissimi habitus Charitatis, Reginæ & Moderatricis omnium Virtutum, seu Actuum vitæ supernaturalis: quam similitudinem cum Gratia alia Virtutum opera nonnisi remotè habent, nempe in remotis prædicatis Virtutis, v.g. Qualitatis bonæ, &c. Etsi sint proximè similes in prædicato supernaturalitatis. Jam verò universaliter dispositio, quò fuerit magis vel minus similis formæ, eò proximiùs vel remotiùs cooperatur ad inducendam formam in subjectum. Et hoc in physicis seu naturalibus fit necessariò; in supernaturalibus verò liberè ex decreto DEI. Unde interdum contingit, quòd DEUS non attendens ad prædictas dispositiones remotas naturales vel supernaturales, pessimis peccatoribus misericorditer conferat proximas dispositiones supernaturales : Et ita salvantur compendio. Quanquam ordinariè ab inferioribus incipit, dando gratias naturales benè vivendi, quibus si probè usus fuerit homo, tum tribuit gratias supernaturales remotè disponentes: si & his fuerit cooperatum ex parte hominis, tandem dat gratias proximè dispositivas, & inductivas gratiæ sanctificantis. In tali enim

coordinatione ſupernaturali rerum, relucet Divina Sapientia, attingens à fine usque ad finem fortiter, & diſponens omnia ſvaviter. Sap. 8.

Extrinſecum medium ſupernaturaliter diſponens ad ſtatum ſupernaturalem, ſunt Sacramenta, à Chriſto Domino inſtituta. Quia etſi intrinſecum medium ſitum in Actibus ſupernaturalibus internis, ſufficeret ad ſalutem; quia tamen eandem ob certas congruentias Chriſtus annexuit ſignis ſenſibilibus Sacramentorum, ideo illis neceſſariò ex inſtitutione & beneplacito Chriſti utendum eſt.

Utrumque medium intrinſecum & extrinſecum, ſubdividitur in medium de neceſſitate medii, & in medium de neceſſitate præcepti ad ſalutem. *Medium de neceſſitate medii* eſt, ſine quo nullatenus ſalus æterna acquiri poteſt, etiamſi interveniat ignorantia invincibilis: Tale medium eſt v. g. Pro infidelibus non baptizatis, Baptiſmus. *Medium de neceſſitate præcepti* eſt, à cujus uſu, vel ignorantia invincibilis, vel impotentia, excuſat, quod poſſit aliquis abſolutè conſequi ſalutem: Ejusmodi medium eſt v. g Confirmationis Sacramentum. Iterum hoc utrumque medium neceſſitatis ſubdiſtingvitur vel in Re, vel in Voto; *in Re* eſt, dum Sacramentum aliquod actualiter ſuſcipimus: *In voto* eſt; idque aut explicitè aut implicitè. *Explicitè Votum* fit, quando infidelis v. g. elicitâ Contritione, vel Amore DEI ſuper omnia, expreſſè deſiderat Baptiſmum; *implicitè Votum* fit in actuali exercitio Contritionis, vel Amoris DEI ſuper omnia.

Viſo medio veniendi ad ſtatum ſupernaturalem in genere & ſpeculativè, nunc videndum eſt in ſpecie, & commodandum ad praxim. Sciendum tamen cumprimis eſt, quod ſumma Bonitas Divina, cum velit omnes homines ſalvos fieri, providerit quoque ex parte ſua omnibus ſufficientia media ad æternam ſalutem, modò homo non deſit ex parte ſua. Quia alioquin hæc volũtas Dei non eſſet efficax ex parte ſubjecti ſeu ipſius Dei, quod falsũ eſt, eſt enim ſemper efficax, etſi ex parte Objecti ſeu hominis non ſit ſemper efficax, dum ſcilicet homo non vult cooperari gratiæ DEI. Itaque.

Primò; pro Infantibus proviſum eſt medium Sacramenti Baptiſmi, ubi in perſona Eccleſiæ, vel Patrinorum diſponitur Infans actibus ſupernaturalibus abrenunciationis Sathanæ, & omnibus

pompis

pompis ac operibus ejus, tum actibus fidei, &c. Tandem *2dùm* ipsam rei essentiam principaliter & proximè disponitur satisfactione & meritis Christi, sibi per actionem Baptismi Sacramentalem applicatis: quibus positis mox infans transit de statu peccati originalis, in statum gratiæ supernaturalis. Hæc verò dispositio infantis per alios facta, est conveniens: quia si infanti nocuit culpa aliena, cur ei non possit prodesse retractatio & satisfactio pro Originali peccato aliena? Etsi in alio nempe Protoplasto demeritoriè perdidit gratiam, cur quoque in alio nempe Christo eandem gratiam non mereatur? Pronior enim Deus ad miserendum, quam ulciscendum. Quòd verò Baptismus pro omnibus natis Adæ sit necessarius necessitate medii salutis ad renascendum in vitam æternam, insinuat Christus dicens: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest introire in regnum Dei.* Ioan. c. 3. Quoad Praxim administrandi Sacramentum Baptismi, videatur Rituale Romanum. *2dò*: Informentur Obstetrices à Curatoribus animarum, quomodo in periculo vitæ infantis gratia Baptismi conferenda. *3tiò*: Moneantur Parentes, ne diutiùs differant Infantes ferre ad Baptismum. &c.

Secundò; Pro infidelibus non baptizatis uti Paganis, Judæis, &c. Medium est, *1mò*: Actus eliciti Fidei Christianæ: quia ut Apostolus loquitur; *Sine Fide impossibile est placere DEO.* Hebr. 11. *2dò*: est Baptismus in re, vel in voto, explicito, aut implicito. Ita namque Christus docet: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.* Marc. 16. Sed Baptismus in re, ne fiat informis, debet illum præcedere Pœnitentia, seu Contritio, vel Attritio, universaliter de omnibus peccatis commissis, tum propositum de non committendis: vel si Baptismus est in voto tantum, utpotè cum haberi non possit in re, tunc elicienda est Contritio, aut Amor DEI super omnia dilecti; alioquin sine horum aliquo, nullâ ratione pertinget ad salutem æternam, neque illum ulla ignorantia etiam rudissimum in hoc passu excusabit. De Fide & Pœnitentia dicta confirmat Apostolus de se loquens: *Testificans* ait *Judæis atque Gentilibus in Deum poenitentiam, & fidem in Dominum nostrum IESVM Christum.* Act. 20.

Tertiò: Pro Infidelibus baptizatis, quales sunt Hæretici, Athei, Theistæ, & alia Sectariorum monstra, similiter necessitate medii est Fides Catholica, & Pœnitentia necessaria. Nam etsi hæretici

aliqua

aliqua credunt, quæ & Catholici, aliqua tamen discredunt, vel aliter credunt, quàm Catholici, adeoque aliam fidem sibi formant, quàm sit Catholica. Cùm tamen Apostolus dicat: *Unus Dominus, una fides*, (nempe Catholica, ut infrà videbimus de fide) *unum Baptisma*. Atheistis verò illud Apostoli potissimùm servit: *Credere oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus se remunerator sit*. Porrò Pœnitentiam similibus, quales erant in veteri lege Pharisæi, docentes & transgredientes mandatum DEI, propter traditionem suam instar hæreticorum sub nova lege; tum Saducæis non credentibus *esse Resurrectionem, neq; Angelum, neq; Spiritum*, adeoq; proximè accedentibus ad Atheismum; ejusmodi ergò ad se accedentibus quasi conversionis gratiâ, prædicat Joannes Baptista inquiens: *Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere à ventura ira? facite ergò fructum dignum poenitentiæ.*

Epist. Eph. cap. 4.
Epist. ad Hebr. c. 11.
V. Matth. cap. 15.
Act. c. 23.
V. Corn. à Lap. in Matth. c. 13 vers. 7.
Matth. c. 3.

PRAXIS autem infideles non baptizatos, baptizatosque deducendi ad suscipienda hìc prædicta sibi proportionata æternæ salutis media, est. *Primò*: Oratione, aliisque piis operibus, pro Conversione talium apud DEUM instare, qui potens est ex lapidibus istis, seu lapideis cordibus eorum, facere filios fidelis Abraham, qui est Pater moralis omnium verè credentium, sicut est Pater Judæorum secundùm carnem. *2dò*: Exemplo bono virtutum præire juxta monitum Apostoli: *In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum sanum irreprehensibile: ut is qui ex adverso est, vereatur nihil habens malum dicere de nobis.* Ne scilicet prædicatot cùm dixerit se nosse DEUM, factis eum neget, adeoque factis Gentilizet, aut Atheizet. *3tiò*: Infidelibus, qui existentiam DEI negant, quales sunt Athei, tum Gentilibus qui unitatem veri DEI non admittunt ob pluralitatem falsorum Deorum: talibus persuadendum est naturalibus rationibus ex Metaphysica, & aliundè conquisitis, DEUM Esse, eumque unum, verum, bonum, providentiam universi gerentem, vindicem malorum, præmiatorem bonorum, omnipotentem, &c. Qui verò infideles unum DEUM confitentur; tum & istis, & Atheis, ac plurium Deorum cultoribus proponenda sunt motiva credibilitatis seu signa evidentia veritatis fidei Catholicæ, & falsitatis infidelium. Deinde particulares errores illius perfidiæ detegendi, &

Tit. 2.
Vide infra par. 3 Theol. spirit. trac. ult. c. 1. § 2.

& veritas Articulorum fidei oſtendenda. Si ſecta Sacram Scripturam rejicit, (quales videntur eſſe Theiſtæ, qui opinantur DEUM coli debere ſecundùm naturalem rationem, & nihil ultrà eſſe credendum, & agendum) hujus authoritas Divina cumprimis probanda. Si admittit, ſcripturæ authoritate agendum.

Quodſi ſcripturæ dubius locus fuerit, & tam veræ fidei, quàm falſæ Sectæ aſſertor, uterque in ſuam partem ſenſum traxerit, tunc convincendus eſt primò Sectarius debere admitti univerſalem Regulam, ſeu judicem decidentem credenda à non credendis juxta ſcripturæ genuinum ſenſum. Et hanc univerſalem Regulam ſeu judicem iterum per motiva Credibilitatis &c. oſtendat Catholicus non alium eſſe, quàm Eccleſiam Dei, idque in ſuo ſupremo Capite, Summo Pontifice Romano, utpotè tenente locum DEI, & Vicario Chriſti. Atque ita directè, tum indirectè profliganda falſitas; defendenda, manifeſtandaque fidei veritas. Denique ad hæc citiùs amplectenda, permovendus eſt infidelis tum terrore, tum blanditiis quatuor Noviſſimorum. Sicut ille Felix Præſes, D. Paulo coram ſe *diſputante de juſtitia, & Caſtitate; & de Iudicio, tremefactus fuit.* Et, *qui timent Dominum non erunt incredibiles*: id eſt increduli verbo illius. Tandem ſi infidelis manus dederit veritati; Catechizandus eſt, & juxta Rituale Romanum per Media ſupraſcripta ſibi proportionata nempè fidei, pœnitentiæ, & baptiſmi, (qui non eſt baptizatus) ad ſtatum ſupernaturalem Gratiæ DEI promovendus. Sin verò in ſuo errore permanſerit, tunc ſuadendum eſt hujusmodi. 1mò: Ut inculpatam & probam vitam agat juxta dictamen luminis naturalis: quia hoc pacto DEO miſerante poterit venire ad cognitionem veritatis, ut ſuprà inſinuavimus. 2dò: Infidelis DEUM ſæpè humili prece invocet, ut illum deducat in viam rectam. Quia ſcriptum eſt: Quod *quicunque invocaverit Nomen Domini, ſalvus erit.* 3tiò: Saltèm manè & veſperi, ac maximè dum gravē culpam admiſerit, mox conetur elicere de omnibus ſuis peccatis Actum Contritionis ex motivo Dei ſuper omnia dilecti. Ita enim facienti quod in ſe eſt, Deus non denegabit gratiā Converſionis.

V. infra l.2. tra. 2. c. 1. ſub fide de Regula fidei.

Actor. c. 24

Eccl. c. 2.

Rom. 10.

Quartò: Pro fidelibus ſed peccatoribus ſeu in culpa lethali exiſtentibus, Medium eſt Pœnitentia quà Virtus, & quà Sacramentum. Pœnitentia quà virtus lapſis poſt Baptiſmum, neceſſaria eſt neceſ-

ſitate Medii, tum necesſitate Præcepti, ſive pœnitentia requiratur ut pars Sacramenti pœnitentiæ, ſive extra Sacramentum, dum hoc
Luc. c.13. haberi nequit. Quandoquidem Chriſtus dicit: *Niſi poenitentiam habueritis, ſimiliter omnes peribitis.* Et Trident: ait: *Motum Contritio-*
Seſſ. 14. *nis & doloris de peccatis ſemper fuisſe neceſſarium ad ſalutem.* Ubi par-
cap. 4. ticulæ Ly *omnes* & *ſemper* denotant necesſitatem Medii: Præceptum
Matth. autem Divinum eſt: *Poenitentiam agite, appropinquabit enim Regnum*
cap. 4. *Cælorum.* Deinde Lex Naturæ dictat amandum eſſe bonum, fugiendum malum; jam verò pœnitentia eſt fuga & receſſus à ſummo malo peccati, & acceſſus ad ſummum Bonum, DEUM. Porrò extra Sacramentum pœnitentiæ neceſſaria eſt Contritio, qui eſt perfectus actus Pœnitentiæ, quia inperfectus ſeu Attritio non eſt ſufficiens medium ad ſalutem: ſiquidem non perfectè diſponit hominem in converſione & acceſſu ad ultimum finem, DEUM, ſuper omnia in ſe & propter ſe diligendum. Hæc autem Contritio vel debet eſſe formalis, id eſt actualis deteſtatio, & dolor de pec-
Proverb. catis, vel virtualis nempè incluſa in formali actu Charitatis. Quia
cap. 10. ut habetur: *Univerſa delicta operit Charitas.* Et Chriſtus de Magdale-
Luc. c. 7. na dixit ad Phariſæum: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Pœnitentia quoque ut eſt Sacramentum, eſt neceſſaria necesſitate medii ad Salutem, tanquàm ſecunda tabula poſt naufragium. Pro ratione ſtat voluntas & inſtitutio Chriſti, qui pro materia Sacramenti pœnitẽtiæ præcepit actus pœnitentiæ, dum non dixit, ut ſolùm pœniterent, ſed etiam pœnitentiam agerent; pro forma autem hujus Sacramenti determinavit abſolutionem à pecca-
Matth. c. tis dicens Petro: *Tibi dabo claves regni cælorum; & quodcunque ligaveris*
16. *ſuper terram, erit ligatum & in Cælis, & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cælis.* Hæc pœnitentia quà Sacramentum ſi non poteſt haberi in Re, ergo ſaltim in Voto explicito, cum actu Contritionis, vel Charitatis Dei ſuper omnia conjuncto, vel implicito in iisdem actibus virtualiter incluſo, habeatur.

Praxis convertendi peccatores à Via ſua prava eſt, tum fervens oratio pro ipſis ad Deum, tum bonum exemplum, tum minæ, & promisſiones quatuor Novisſimorum.

V. infra de Modus autem eliciendi Contritionem; tum ſuſcipiendi,
pænitentia ac adminiſtrandi Sacramentum pœnitentiæ, obvius habetur apud Morales Theologos.

Quin-

Quintò. Pro Fidelibus in ſtatu quidem ſupernaturali gratiæ Sanctificantis exiſtentibus habitualiter ſed non actualiter, id eſt per neglectum exercitium actuum ſupernaturalium: dum ferè omnia bona ex uſu & conſvetudine faciunt ſine directione intentionis ad DEUM: Pro talibus inquam fidelibus illud ſervit Apoſtoli: *Qui parcè ſeminat*, id eſt actus meritorios, qui debent eſſe ſupernaturales, *parcè & metet* manipulos præmii cæleſtis. Ejusmodi autem ignavis vel ignaris medium ſupernaturalizandi actus oſtenditur infrà. 2. *Cor.* 9. 1. 2. *tra.* 1. *c.* 1. & 2. 2.

CAPUT IV.

De Medio, ſeu præcipitio, quo fit lapſus è ſtatu Supernaturali Chriſtiano ſeu Spirituali, ad eidem Oppoſitum.

QUemadmodùm ſcire medium, quo fit aſcenſus ab infimis & malis naturæ rationalis, ad Sublimitatem ac felicitatem ſtatûs ſupernaturalis, eſt beata hujusmodi ſcientia: ita pariter noſſe medium ſeu præcipitium, quo fit deſcenſus Averni, magna equidem ſapientia eſt. Hinc dicitur: *Sapientis oculi in capite ejus*, quibus videat nunc ſurſum vias vitæ, nunc deorſum vias perditionis: *ſtultus* autem *in tenebris ambulat*, ut neſciat quò vadat, & in foveam interitus cadat. Porrò, ſicut nemo repentè ſummus ita nec infimus, niſi aſcendat, vel deſcendat intermediis gradibus: quanquam difficilis aſcenſus ad Superos, facilis deſcenſus Averni. *Eccl. c.* 2.

§ I.

De primo gradu, ſeu præcipitio intermedio deſcenſus Averni.

IS *gradus eſt deliberata peccata venialia.* Ratio eſt: quia etſi peccata materialiter venialia, imò & imperfectiones, diſponant ad deliberata venialia; Etenim habitus acquiſitus materialiter

venialium, adveniente cognitione expressâ, quod sint verè peccata, difficultatem præstat eis resistendi, facilitatem consentiendi. Sicut & Imperfectiones (maximè ut si tales advertantur, non adsit conatus eas vitandi, adeoque nec cura & progressus ad majorem perfectionem) viam parant ad deliberata venialia; quoniam in via salutis non progredi est regredi. Deindè in pænam neglectæ gratiæ, quâ homo illustrabatur, & inspirabatur, ad cavendam imperfectionem, & nitendum ad perfectiora, DEUS subtracto specialiori gratiæ auxilio, quo potuisset homo præservari à peccato, tribuit nonnisi sufficiens auxilium, cui ex sua parte non cooperans homo, ruit in culpas veniales deliberatas. Verùmtamen peccata venialia indeliberata, & imperfectiones, non sunt immediatè gradus descensus Averni: quia non sunt contraria statui supernaturali, sed potius disparata, & cum eodem statu compatibilia. Jam verò peccata venialia deliberata, sunt primus gradus descensus Averni. Etenim *qui spernit modica, paulatim decidet.* Et ratio est: Quia homo per hæc peccata recedit secundùm quid ab Esse status supernaturalis, eum non augendo vel conservando omnimodè: & accedit tum ad non Esse secundùm quid ejusdem status, nempè in eo fervorem charitatis diminuendo, etsi forma & radix Charitatis maneat: tum accedit ad Esse contrarium secundùm quid statui supernaturali, scilicet peccatum.

Eccl. c. 19.

§ II.

De secundo gradu, seu præcipitio intermedio descensus Averni.

E*Jusmodi gradus est voluntariè perpetratum peccatum mortale.* (Nam de materialiter lethalibus eadem ratio subindè valere potest, quæ data supra de materialiter venialibus.) Ratio est: quia peccatum mortale absolutè privat gratiâ habituali, quæ est radix & forma statûs supernaturalis.

Verùm placet cernere in hoc secundo gradu peccati, triplex genus hominum. *Primi* sunt, qui ut ceciderint in mortiferam noxam, ibi diuturnam moram haud patiuntur, sed veræ pœ-

nitentiæ

nitentiæ mediis ad ſupernaturalem ſtatum regrediuntur. *Secundi* ſunt, qui poſtquàm lapſi fuerint, aut diutiùs procraſtinant pœnitentiam, vel ſi fecerint, plerumque minimè veram & ſinceram, utpotè ſæpè recidivantes. *Tertii* ſunt, qui usque ad periculum vel articulum mortis differunt converti ad Dominum. Quoad primos, de his bona ſpes affulget; plerumque enim fiunt cautiores, humiliores, ac ferventiores poſt lapſum, dignis fructibus pœnitentiæ expiatum. De ſecundi & tertii generis peccatoribus dicendum, quòd tales ordinariè in ſequentia mala labuntur; primò accumulant peccata peccatis, & ita theſaurizant ſibi iram in die iræ juſti Judicii DEI; unum enim peccatum trahit poſt ſe aliud, ſicut in catena annulus annulum, ut tandem ſceleribus concatenati tanquam mancipia diaboli & ſervi peccati, vi tyrannicâ trahantur ad omnem voluntatem ejus. Secundò ejusmodi habituati peccatores, cùm ex una parte nolint ſe à miſerrima ſervitute peccati utpote apparente eis dulci & amabili, expedire, & ex altera parte atrocibus vermis conſcientiæ lancinantur morſibus, quid faciunt? ſopiunt illum vermem conſcientiæ quibusdam ratiunculis v. g. promittendo ſibi diutinam vitam, exaggerando Divinam miſericordiam, afferendo excuſationes in peccatis, illa vel eſſe tantùm levia, vel nulla abſolutè peccata, ſed inutiles ſcrupulos &c. Atque hoc pacto quietant ſaltem ex parte non modica illum cordis ſui eviſceratorem carnificem, præconem tremendi judicii DEI, Conſcientiam. Quæ denuò ne evigilet, refugiunt Concionatorum tubam, ſilentium ponunt ſacris colloquiis, & ſicut aſpides ſurdæ obturant aures ſuas ad monita Sapientum. Ita lethargo confoventes implacabilem ſuæ nequitiæ domeſticum adverſarium, Eja! liberiùs jucundiùsque habenas laxant concupiſcentiæ, & abeunt poſt deſideria & adinventiones cordis ſui, quas ut aſſequantur, plerique pro medio pſeudopoliticum *Machiavellum*, os & inſtrumentum Principis mundi hujus, tenebrarum harum, in Magiſtrum ſapientiæ mundi & carnis, ſibi *adſciſcunt*: Omnia jura naturæ, Divina, humana, invertere ſtudentes, modò ſui Ratio ſtatus non tam publici quàm privati emineat.

Tertiò tandem vis noſſe, quales diſcipulos hæc ſchola Machiavelli, vera ſynagoga ſathanæ producat? Similes utique in mo-

ribus patri suo diabolo, ut quemadmodum ille, ita & ipsi cùm in profundum peccatorum venerint, obstinati contemnant, & absque ullo timore perpetrent mala, ejusmodi infelices hominum:
Prov: c:2. imo, *lætanrur cum malè fecerint, & exultant in rebus pessimis.* Hæc tamen omnia ita moderantur, & intorquent, ut quamvis Deum ab intra videantur non timere, homines tamen saltèm in aliquibus revereantur, nè absolutè pro publicanis & peccatoribus habeantur, nisi, ut Methodus fert hujus sæculi, æstimentur pro Politicis, Statistis, atque hoc turpi-specioso pallio contegant suam ignominiam, & colluviem nequitiarum, ac abominationum.

§ III.

De tertio gradu, seu præcipitio descensus Averni.

HIc gradus est *Apostasia à statu vocationis suæ Ecclesiastico, vel Religioso, & à Fide.* Quia quantùm ad Spirituales; cum hi sint deputati in sortem DEI, ad cultum ejus, strictioremque mandatorum & consiliorum ipsius observantiam; quæ insuper arctiori Ecclesiasticarum legum circumscribitur sphæra; hinc laxantes fræna suæ cupiditati & nequitiæ, dum non permittuntur à legibus suæ vocationis pro libitu agere, vel corde vel etiam corpore revertuntur in Ægyptum; nempe vel desiderio mundi contabescunt, & quantum fas est, conformant se huic sæculo nequam, vel actu ipso & habitum, & habitaculum, & vitam, Deo consecratam relinquentes, revertuntur ut canis ad vomitum vitæ carnalis & mundanæ. Cùm verò non permittatur tam insolens status, & vitæ mutatio intra Ecclesiam DEI, prorumpunt demum extra eam, ad eas sectas, ubi quod libet, licet, viles Apostatæ facti à vocatione Sancta, & à Fide. Sciendum tamen, quòd hoc tempore in maligno posito mundo, tam in Spiritualibus aliquib9 personis, quàm in sæcularibus plerisque, Apostasia à sua vocatione, & à Fide, potiùs est interna, quàm externa, idque derivata ad Ethnicas sectas antiquorum Philosophorum, qualis est Theismus, imò hoc pejorem, qualis Atheismus. Ad quam perfidiam, aliaque infidelitatis monstra

ſtraſternit viam Machiavelliſmus: & primò quidem in peccatoribus ſed fidelibus, dum ſopito verme conſcientiæ non ſentiunt Deum per eundem vermem, ſeu potiùs præconem, ſuis iniquis operibus contradicentem, & terrentem, immerſi peccatis, & hujus mundi curis, ſenſim obliviſcuntur DEI. Et quia talibus communiter res proſperè ſuccedunt, etſi ſecundùm principia Machiavelli contra omne jus & fas; incipiunt dubitare, an, & ubi ſit DEUS, tantas peccatoribus intentans minas & non exequens. Tandem Atheorum & Pſeudopoliticorum dementibus ratiunculis infaſcinati, tum vehementiâ concupiſcentiæ, & conſvetudine peccatorum in profundiora mala pronisſimi, obcæcante eos crasſioribus Ægypti tenebris Principe tenebrarum, & ſubtrahente DEO ſpecialiora gratiarum lumina propter ipſorum grandia demerita: incipiunt ejusmodi dicere inſipientes in corde ſuo; *Non eſt DEUS*: tum ore ſaltèm ſilenti ad virtuoſorum hominum perpesſiones quærere; *Ubi eſt Deus eorum?* tum movere quæſtiunculas (ad quos non pertinet, nec ſuo loco,) nimirùm patinas inter & pocula; an ſit Deus? an providens Univerſo? an vindex malorum, præmiator bonorum &c: Et quidquid veritatis tali reſponderis, tamen ſtultus decem ſapientibus plus ſe intelligere arbitrabitur: unde potiùs reſpondendum ſtulto (qui non vult ſapere) ſecundùm ſtultitiam ſuam, & non ſecundùm ſapientiam Divinam. Porrò hæretici hujus ævi, quomodo & Machiavelliſmo dederint occaſionem, & per ſuas ſectas vergant in Atheiſmum bene advertit *Leſſius* dicens: „Etſi autem complures ſint hodie, qui Divinitatem „omninò negent, non tamen ita pasſim ſunt noti. Premunt enim „ſilentio hoc myſterium metu legum, nec auſi evulgare, niſi a„pud familiares. Occaſionem maximam prebuêre hujus ævi „hæreſes, quæ ferè omnes ad Atheismum ducunt. Ubi enim „diſceſſum eſt à religione Catholica, nihil invenitur ſolidi, in quo „animus posſit acquieſcere: quo animadverſo, ſtatim incidit dubi„tatio de toto Religionis negotio, & incipit homo ambigere ſit„ne res confiĉta ad populum metu Numinis & prætextu pietatis „in officio continendum. Hinc fit, ut plerique qui inter hæreti„cos ſunt prudentiores, majoreque prædíti ingenio, de ſumma „Religionis ambigant; & vel nullum eſſe Numen putent, vel an„cipites

Pſal: 13.

Pſal: 78.

De provi-den. Num. & contra Atheos & Polit. lib. 1. cap. 1.

„ cipites hæreant, parati ad quamlibet Religionem, prout ad statum suum retinendum vel abjiciendum visum fuerit opportu-„ niùs. Hos passim Politicos vocamus, quia omnem Religio-„ nem ad Politiam sive statum politicum referunt; & quatenùs „ religio aliqua ad hunc conducibilis videtur, eatenùs eam æsti-„ mant & usurpant. Ex horum numero non postremas tulit Nico-„ laus Machiavellus, ut ex libris, quos Italicè conscripsit & inpri-„ mis ex libro de Principe, qui multorum manibus teritur, constat.

Hunc tertium gradum esse secundò proximiorem ad interitum, & hæc probat ratio: quia etsi pessimus sit peccator, modò retineat fidem, spes tamē restat major salutis in eo, quàm in infideli. Habet enim in seipso semen DEI habitus fidei, quod rore auxilii cœlestis imbutum, potest excrescere in fructum gratiæ, & gloriæ. Jam verò per infidelitatem ablatum hoc semen & radix fidei, quid restat, nisi ut homo infelix tanquam arbor inutilis succidatur, & in ignem æternum mittatur?

§ IV.

Explicatio in particulari, & Confirmatio dictorum toto hoc capite.

Eccl. c. 10. vers. 15. Vid. D. Tho: 2. 2. quæst. 162. A. 7.

QUæritur; quænam sint peccata, quæ à statu supernaturali incipiunt hominem in descensum Averni præcipitem dare? Respondet Scriptura: *Initium omnis peccati est superbia*; non modò ut est generale vitium, situm in aversione à DEO, quæ includitur in omni peccato, verùm etiam ut est speciale vitium, positum in appetitu inordinato propriæ excellentiæ potest esse principium omnium peccatorum. Sicut defactò plerumque contingit in perfectioribus, qui deficiunt. Nec immeritò: ab Aquilone enim panditur omne malum; quippè cùm Princeps tenebrarum, & Rex super omnes filios superbiæ, elegerit latera Aquilonis ad ponendum in eo solium suum, ut foret similis Altissimo; hinc tenebrosus, turbidus, & frigidus Aquilo iste flat, inflat, & exsufflat primò fervorem & lucem Charitatis; deinde ipsam formam, inducens tenebras, algorem, ac multiplices turbines malitiæ.

Et percurramus breviter singulos gradus incipientium, proficientium, & perfectorum in quolibet statu, an non ut plurimùm fuerit initium defectus ipsorum in via spirituali Superbia, ab initio quidem modica, sed posthæc variis perpetratis sceleribus, crescens in immensum? Rex Saul initio humillimus, postea elatus, inobediens, datus est in reprobum sensum. Rex Salomon, qui amabilis Domino, sibi præsumptuosè fidens, & Divini mandati incurius circa copulam mulierum alienigenarum, ex sapientissimo fatuus idololatra effectus est. Certè Origenes, & Tertullianus luminaria Ecclesiæ Christi, viri quà doctrinâ, quà virtute admirandi, dum sensim despectis aliis, plus æquo suo volunt apparere ingenio, tandem miserè prolapsi sunt in hæresim. Denique quid tot viros in Ecclesia DEI præclaros, qui inter cæli sydera posuerunt nidum suum, quid inquam sensim detraxit in terram, & gehennam, nisi propria ac tumida sui ipsius complacentia & quæsitio in bonis Domini? nisi appetitus inordinatus propriæ excellentiæ ex talentis DEI? quam dum incipiunt quærere, mox festinant cum Lucifero de Cælo in Orcum ruere. Incipientes quidem etsi non habeant unde intumescant de bonis Spiritualibus, nisi de temporalibus eleventur, & in Spiritualibus superbiâ ac inobedientiâ rebellizent, utique à superbia initium defectus eorum? ita Filii Israel egressi de Ægypto, gens electa, & populus acquisitionis, quia tamen duræ cervicis, in quæ non prolapsi nefanda? denique indigni facti sunt terrâ promissionis. Proficientes verò, medii inter incipientes & perfectos participare possunt superbiam utrinque, ac ita perire.

Reg: 1. *Reg: 3.*

Gradualem â statu gratiæ & virtutis, per imperfectiones & venialia in mortalia idque ut plurimùm per superbiam, ex eaque orta vitia, ruinam & præcipitium in profundum peccatorum, ac tandem in ima Averni, accipe delineatam calamo *D. Bernardi.* qui in Cant. ita disserit: Non sine causa ab heri, & nudius tertiùs in-„ vasit me langvor animi, & mentis hebetudo, insolita quædam„ inertia spiritus. Currebam bene: sed ecce lapis offensionis in„ via: impegi & corrui. Superbia inventa est in me: & Dominus„ declinavit in ira à servo suo. Hinc ista sterilitas animæ meæ, &„ devotionis inopia, quam patior. Quomodo ita exaruit cor me-„ um,

Bern. serm. 54. super Cant. post Med.

„um, coagulatum est sicut lac, factum est sicut terra sine a-
„qua, nec compungi ad lacrymas queo, tanta est duritia cordis:
„meditationes solitas non invenio. Ubi illa inebriatio Spi-
„ritûs? ubi mentis serenitas, & pax, & gaudium in Spiritu
„Sancto? ideò ad opus manuum piger, ad vigilias somno-
„lentus, ad iram præceps, ad odium pertinax, lingvæ & gulæ in-
„dulgentior, segnior & obtusior ad prædicationem. Heu
„omnes montes in circuitu meo visitat Dominus, ad me autem
„non appropinquat. *Et infrà:* Volo vos non parcere vobis,
„si vel ad modicum tepere gratiam, virtutem langvescere,
„deprehenditis. *Et post:* Hoc facere hominis est, qui curi-
„osus circumspector est sui, & scrutator viarum suarum,
„ac studiorum, atque in omnibus semper suspectum ha-
„bet arrogantiæ vitium, ne subrepat. In veritate didici, nil æq;
„efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam, & recupe-
„randam, quàm in omni tempore coram DEO inveniaris non
„altum sapere, sed timere. Beatus homo qui semper est pavidus.
Ecce superbia Acediam adeoque imperfectiones & negligentias,
Acedia verò quid pariat, eodem Sancto Assertore confirmatur,
S. Bernardus Serm. 63. in can. „qui ait: Hoc frigus, *inquit*, si semel animam, animam quidem
„(ut assolet) incuriâ Spiritus dormitantem pervaserit, ac nemine
„deinde (quod absit) inhibente ad interiora ejus pervenerit, de-
„scenderit in viscera cordis & sinum mentis, concusserit affectio-
„nes, occupaverit consilii semitas, perturbaverit judicii lumen,
„libertatem adduxerit Spiritus; mox (ut in corpore solet evenire
„febricitantibus) subit quidam animi rigor, & vigor lentescit, lan-
„guor fingitur virium, horror austeritatis intenditur, timor solli-
„citat paupertatis, contrahitur animus, subtrahitur gratia, protra-
„hitur longitudo vitæ, sopitur ratio, spiritus extinguitur, deferve-
„scit novitius fervor, ingravescit tepor fastidiosus, refrigescit fra-
„terna charitas, blanditur voluptas, fallit securitas, revocat consve-
„tudo. Quid plura? Dissimulatur lex, abdicatur jus, fas proscri-
„bitur, derelinquitur timor Domini: dantur postremò impuden-
„tiæ manus, præsumitur ille temerarius, ille pudendus, ille turpis-
„simus, plenus ille ignominiâ & confusione saltns de excelso in a-
„byssum, de pavimento in sterquilinium, de solio in cloacam, de
coelo

cœlo in cœnum, de claustro in sæculum, de paradiso in in-„ fernum.

Vide infrà fusiùs per gradus Superbiæ ejusmodi præcipitium, ubi tanquam in speculo cernere poteris, quantùm corrueris, ac inde revocare gradum. *V. infrà de Superbia.*

CAPUT V.

De statu vitæ Christianæ Supernaturalis seu Spiritualis, ejusque Opposito in genere.

HUjus status, ad eumque pertinentium, ut exactior notitia habeatur: ac quomodo singula suo ordine collocentur; quàmve sit pulcherrima, licet diversarum materiarum Spiritualium, connexio & harmonia; oculis subjicimus Schemate erecto. In quo Exercitator virtutis cernere queat penè cuncta, quæ hoc in Opere Theologiæ Spiritualis fusè tractamus, ad punctum veluti sub unum intuitum esse reducta. Ac proinde quisque studiosus profectus sui in Regia cæli via, non modo intellectu, verùm & sensu externo percipere possit; *Quo* ei progrediendum, & *Quomodò*; An proficiat, vel deficiat, & similia. Quod ad evitandam confusionem imaginativæ (quæ confusio vel sola tædium, torporem, & defectum in progressu virtutis parere solet) eamque stabiliendam in ordinata dispositione, juxta ipsam quasi naturalem exigentiam constitutivorum & requisitorum status virtutum, tum gratiâ facilioris propriæ recollectionis, scilicet unde quis exciderit à tramite perfectionis, qualitervè ad eam regrediendum, in eaque proficiendum: quòd inquam præfixo Schemate hujusmodi proponantur, nemo est qui ambigere possit, id factum esse causâ summi commodi fructusque Magistris ac Discipulis virtutis, omnibus denique cupidis amatoribus suæ salutis. Sed jam ad explicandum schema procedamus. Igitur Litera:

α Seu Alpha intra radios ut à Deo in ratione gratiarum de-

V. Epiſ: ad ſcendentes in Cor humanum eſt ſignum, DEUM. T. O. M. eſſe
Rom: c. 11. *Principium Ex Quo* (ſeu A Quo) *omnia* requiſita ad ſtatum vitæ
v. 36. Chriſtianæ Bonæ & Beatæ proveniunt.

ω Seu Omega, denotat DEUM eſſe ultimum *Finem, in quem*
V. ibidem *omnia* pertinentia ad ſtatum vitæ Chriſtianæ referri debent. Un-
juxta in- de ponitur per transverſum radiorum ut à Corde humano proce-
terpr; dentium, ſimul & per flammam ab eodem corde vibratam; ad in-
ſinuandum teneri hominem actibus intellectus & voluntatis ſem-
per ferri in DEUM, ut centrum ſuum, illique Uniri.

μ Eſt litera media Alphabeti Græci, deſignans Chriſtum
Tim: 2. v. Dominum eſſe medium ſeu *Mediatorem, Per Quem omnia* ſpectan-
Epiſ: ad tia ad ſtatum vitæ Chriſtianæ condita & reparata ſunt, dantur-
Rom: c: 11. que nobis. Eadem litera ponitur intra radios quatenus à corde
v. 36. humano per Chriſtum ad DEUM aſcendentes: quia per Chri-
ſtum omnia quoque in DEUM referri debent, ſi velis, ut illi ſint
Cor. c: 12. grata. Addito Deum eſſe *In quo omnia*; Sequitur ex dictis DEUM
& c: 15. Unum & Trinum eſſe *omnia in omnibus* ſtatus vitæ Chriſtianæ
Bonæ & Beatæ.

A. Deſignat ſtatum vitæ Chriſtianæ, ejus gradus, & diviſi-
ones. De quibus hic *in Summa Theologiæ Spiritualis* tractatur.

B. C. D. Notæ ſunt Cauſæ efficientis vitam Chriſtianam. De qua totâ *primâ parte* hujus *Theol. Spirit:* agimus.

B. Inſinuat Cauſam moraliter efficientem in homine actus ſalutares virtutum. Eſt verò hæc Cauſa I. DEUS, primum principium omnis doni & boni. II. JESUS, MARIA, JOSEPH; qui ſunt quid moraliter unum cum JESU, per Quem, (à DEO) & ejus Matrem dona derivantur per Hierarchiam Cæleſtem in Hierarchiam Eccleſiæ. III. Angelus Cuſtos irradians, inflammans, & defendens à jaculis tentationum. IV. Superior, tum Magiſter ſeu Pater Spiritualis, & alius quivis Miniſter Eccleſiæ illuminans, & accendens, ac protegens animam à ſuis adverſariis; cujus ſignum eſt ſcutum defendens, & vitrum uſtivum radiis Solis juſtitiæ illuſtrans, & amore Dei maxime ex Crucifixo & Euchariſtiâ ac æternorum incendens. De hac multiplici cauſa morali agitur *in prima parte hujus Theologiæ Spiritualis.*

C. Eſt Cauſa phyſica ſeu naturalis, efficienrer concurrens

ad actus ſalutares virtutum: quales cauſæ ſunt Intellectus, & Voluntas; ſub ſigno Cordis, principali parte hominis. Porrò Cor humanum in Cruce figuratur; quia Chriſtianus omnis unicè curare debet Conformitatem ſeu Transformationem vitæ ſuæ in Chriſtum maximè ut Crucifixum. Hoc autem Cor ſagittis ſeptem peccatorum capitalium impetitur, verùm multiplici defenſione Divinâ, (per multiplicem gratiam, virtutes, dona:) Angelicâ, humanâ protegitur. Alioquin ſi pravo ſuo conſenſu ad ſuggeſtionem tentationis vulneratur, eo ipſo ſolvitur vitalibus vinculis timoris Dei, ſpei, vel amoris; quibus ligabatur in Cruce, & cadit in præcipitium patentis abysſi infernalis, ſtagni illius ardentis igne & ſulphure, cadit inquam in præſenti vita moraliter, in futuro ſeculo etiam realiter. De hac cauſa 1. *parte hujus Theol. Spirit.* tractatur.

D. Notat cauſas ſupernaturales efficientes actus ſalutares: Quæ cauſæ ſunt: Gratiæ actuales, Gratia habitualis, Habitus Virtutum, & Dona Spiritus S. Harum gratiarum & habituum præſidio protegitur Cor armaturæ fortisſimæ adinſtar contra tela inimici. Reducuntur huc quoque Gratiæ gratis datæ, quæ ex cooperatione præcedentium gratiarum & habituum producere poſſunt actus ſalutares etiam ipſi Operanti. Porrò de præfatis cauſis vide 1. *part: hujus Theol: Spiritual:*

E. Significat Productum Cauſæ efficientis, tum materialis, formalis, exemplaris, finalis, ſcilicet Actus ſalutares virtutis. De quibus in genere 1. *tractatum* vide 1. 2. *hujus Theol: Spirit:* Deinde in ſpecie ſequentibus.

F. Radii prominentes â Corde, & penetrantes ad inacceſſum usque Numen, duplicem habent ſignificationem. *Primò*; Ex parte Dei, à quo tanquam à Sole juſtitiæ omne bonum ſupernaturale influit in corda mortalium modo Spirituali, ſicut ſol ſenſibilis modo Phyſico ſuorum radiorum influxu omnia inferiora colluſtrat, calefacit, vivificat, lætificat, ſibi proportionatè asſimilat. *Secundò*; Ex parte hominis, cujus intellectus actibus habituum intellectualium, radiorum adinſtar, diſponitur circa ultimum Finem, aliosque fines ſupernaturales, tum circa Media. Ejusmodi actus diſpoſitivi circa Finem ultimum ſunt actus Fidei Theologicæ,

gicæ, & Donorum Spiritus S. nimirum Intellectus, Sapientiæ, Scientiæ; circa Media verò actus disponentes Intellectum sunt virtutis Prudentiæ. Porrò ex horum actuum habitibus, alii actus prodeunt, uti Memoria Dei & Divinorum, (quæ recipitur in intellectu cum & ipsa potentia Memoriæ solo tantum officio distingvatur ab intellectu) deinde Lectio, Meditatio, Contemplatio: Igitur hi actus ut sunt, aptè esse locati censentur. De his omnibus, & similibus, 1. 2. *Theol. Spirit.* agitur.

Ideò verò ponitur primò Memoria Dei & Divinorum, ut quisque sit semper memor præsentiæ Dei, tum practicandæ lectionis, meditationis, contemplationis Divinorum per actus fidei, intellectûs, sapientiæ, scientiæ circa ultimum Finem, nec non per actus Prudentiæ, circa media ad eundem Finem.

G. Timor, tum Spes, & Charitas, quibus voluntas æstuans flammis amoris, fertur vivaci impetu, omniaque infima & suprema superans, desinit in Centrum suum, ultimum Finem DEUM, ejus tandem beatissimâ unione dulciter quieta & tranquilla. Vide infra 1. 2. *tra. 2. c. 2. & 3.* Sed quia Timor Domini est initium sapientiæ; ideòque hìc primo loco ponitur, quàmvis revocetur ad virtutem Spei, tanquam suus actus.

H. Fundamentales & Universales sunt Virtutes, Resignationis sui in Dei voluntatem, Obedientiæ, Contemptus mundi, Humilitatis odii & contemptus sui, Pœnitentiæ, & Mortificationis, Innocentiæ, Patientiæ, Rectitudinis actuum indifferentium; virtutes item Cardinales Justitiæ, Fortitudinis, Temperantiæ: Quibus disponitur voluntas in ratione Mediorum ad finem supernaturalem. His adnectunturGratiæ gratis datæ in actu consideratæ ad rectum usum & fructum, tumOperantis,tum sui Proximi. Vide infra de his. 1. 2. *tra: 2. cap. 5. 6. 7. 8. 9.*

I. Ponitur Causa Objectiva seu Materialis,Formalis,& Exemplaris actuum salutarium, præcipuè in formam & exemplum tum aliarum virtutum, tum maximè Amoris, proponitur Christus in Cruce, ac in Eucharistia, Materque ejus dolorosa; unde etiam vibrantur flammæ amoris ad incendium cordis, Christus inquam Crucifixus, Objectum Materiale & Formale hujus Theologiæ Spiritualis, specialiter exponitur. De quibus infra *secunda secundæ part hujus Theol: Spirit:*

K. In-

K. Insignitur Causa Finalis, seu Finis supernaturalis Gloriæ inchoatæ in via respectu Operantis, & sui Proximi. V. infra *parte 3. Theol. Spirit. tract: 1.*

L. Denotatur Finis in Patria respectu Operãtis & sui Proximi, respectu Cælitum, respectu JESU, MARIÆ, JOSEPH, & tandem ultimus Finis DEUS T. O. M. Posui verò locum Beatitudinis tuæ inter præcipuos Sanctos & Seraphinos; quia supposità voluntate Dei, quantùm ex se operans Sibi & suo Proximo, talem ac tam altum locum in Gloria æterna intendere, & ad eam possidendam contendere debet: quandòquidem Christus jubet nos imitari (quantùm homini est possibile cum gratia Dei) etiam perfectionem ipsius Patris Cælestis. Cui quò fuerimus similiores in perfectione ac sanctitate, eò quoque futuri sumus proximiores in perrenni felicitate. *Matt: c: 5.*

Porrò figuram Gloriæ cælestis delineavimus pro humano modo concipiendi, habente aliquod fundamentum in SS. Scripturis, vel Patribus. *Primò* quidem DEUS Trinus & Unus, cùm is Spiritus sit, sub Hierogliphico triangulari cum inscriptione Nominis Divini efformatur. *Secundò*: Christus Dominus, qui ascendit super omnes Cælos sedetq; in gloria Dei Patris, Rex regũ & Dominus dominantium. *Tertiò*: Deipara juxta illud Psal: *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate: Quartò*: S. Joseph sponsus Virginis Matris ad sinistram proximus Christo, sicut ad ejusdem dexteram Beatissima Virgo obtinet sedem, prout infra *primâ parte cap*: 1. *sect*. 2. *subs*: 2. deducimus. *Quintò*: M. Litera M. designat septem Angelicorum Spirituum primos Principes, qui adstant ante Thronum Dei: De quibus *infra* 1. *par*: N. *c*. 1. *Sect*: 1. *Sextò*: litera N. insinuat Senatum Sãctorũ Apostolorũ. O. *Septimò*: litera O. denotat viginti quatuor Seniores (*de quibus in Apoc: c*. 4. *vide apud Alcazar com*. 2.) Sanctos nimirum Patriarchas & Prophetas. *Octavò*: Per circum Empyrei Cœli ab inferioribus ejus partibus ad superiores gradatim ascendendo delineantur Novem Chori Angelorum in quorum consortium Sancti & justi homines recipiuntur. *Nonò*: Infimum Cœlum, quod & decimum vocatur, habetur pro infantibus, & illis, qui nihil meruêre in vita præsenti. Sic declarato Schemate, jam procedamus ad discurrendum *Psal. 44.*

dum de ſtatu vitæ Chriſtianæ ſupernaturalis ſeu ſpiritualis in genere.

Igitur Eccleſia ſponſa Chriſti tanquam Regina in veſtitu deaurato gratiæ & charitatis, circumdata ornataque multiplici Statuum varietate, dupliciter accipitur. *Primò Materialiter*, ſeu prout habet aliquid commune cum aliis infidelium congregationibus, aut rebus publicis; & ſic accepta ſecundùm Suarez: *Eſt quædam hominum congregatio, in qua ſunt plura temporalia regna ad naturalem finem, & commoditatem ordinata.* In qua congregatione ſunt diverſi ſtatus Regum, Principum, Nobilium, Plebeiorum; tum varia officia competentia cuilibet horum ſtatuum. Verùm de his non agimus hic, niſi ſubinde in genere, quatenus munia horum officiorum & ſtatuum ex intentine Chriſtiana dirigenda ſunt ad finem ſupernaturalem. *Secundò* Eccleſia Chriſti accipitur *Formaliter*, ſeu prout habet aliquid ſpeciale diſtinctivum ab aliis commnnnitatibus, nempe ut Chriſti Eccleſia eſt: atque ita Eccleſia dividitur in Militantem & Triumphantem. *Militans, eſt quædam ſpiritualis ac ſupernaturalis Res publica & unum Myſticum corpus, Fide, ejusq; profeſſione ac Sacramentis munitum, ſub uno capite Chriſto, ejusq; Vicario; ad æternam felicitatem per media congruentia tendens.* In hac Eccleſia eſt, qui & vocatur ſtatus Viæ; de quo mox infra. *Eccleſia Triumphans, eſt Cætus Sanctorum & Beatorum in Patria cæleſti, qui devictis animæ hoſtibus Mundo, Carne, Diabolo, cum ineffabili tripudio & applauſu, perrenni gloriâ & honore coronantur.* In hac Eccleſia eſt qui dicitur ſtatus Termini, nempè ſtatus Beatitudinis, qui per Antonomaſiam nomen ſtatus meretur, cum in eo perfectisſimè conditiones ſtatus reperiantur. Huic opponitur ſtatus damnationis, cui quamvis competat ratio permanentiæ ob ſuam perpetuitatem, non tamen convenit ei ratio vitæ Chriſtianæ, ſed potius ratio alicujus vitæ naturalis, imò mortis. In purgatorio vero ut eſt locus pænæ non cenſetur eſſe ſtatus; quia eſt in tranſitu & ad breve tempus: ut vero ad ſtatum ſalutis pertinet, propter ejus certitudinem & perpetuitatem quædam eſt ſtatus beatitudinis inchoatio.

De virtute & ſtat. Relig. lib. 1. c. 2. n. 2.

Suarez ibid:

Collector

Suarez Ibidem c: 1.

Sectio

SECTIO I.

De Statu vitæ Christianæ Supernaturalis seu Spiritualis, in genere.

DE Statu vitæ Christianorum quà viatorum, in Ecclesia Christi formaliter spectata hìc nobis agendum; ad quem Statum reducemus & statum Termini, eique Oppositum, prout hi status ex intentione Christiana rationem fugæ vel prosecutionis habere debent.

§ I.

Quid Status vitæ Christianæ Supernaturalis & Spiritualis?

RElpondetur: Est ratio aliqua vivendi stabilis & firma, ad „ salutem gratiæ in hac vita, & gloriæ in futura consequen- „ dam, ordinata & instituta. Seu: *Est Permanentia in Ecclesia Christi, quoad actuale exercitium virtutum, ortum ex libero arbitrio hominis, & gratia Dei supernaturali, per aliquod motivum fide Divinâ propositum, ad obtinendum finem supernaturalem.* Explicatur & probatur assertio. *Ita Suarez de Relig. virt. & statu l. 1. c. 2. Collector.* Dicitur; *Permanentia*, seu Immobilitas, quæ est de ratione Status: Jam verò hæc permanentia in vita Christiana habetur; tum ex parte Ecclesiæ Christi, in firmissima petra fundatæ, ut portæ inferi non prævaleant adversus eam; tum ex parte singularum personarum Ecclesiæ Christi, seu cœtus fidelium; qui ex vi cujusdam professionis factæ in baptismo obligantur permanere in fide, & modo vivendi Christiano: vel insuper vi voti alicujus obstringuntur ad perfectiorem vitæ Christianæ rationem. Deinde status exigit conditionem servitutis, vel libertatis: quæ maximè in exercitio virtutum invenitur; his enim à servitute peccati liberamur, & servi Dei efficimur, juxta illud Apostoli: *Liberati à peccato, servi facti estis justitiæ.* Et iterum ibidem: *Liberati à peccato, servi autem facti Deo.* *Epistola ad Rom. c. 6. Ibidem.* Dicitur: *Quoad Exercitium Virtutum, ortum ex libero arbitrio hominis, & gratia Dei supernaturali.* Quia, sicut vita Physica seu naturalis est duplex, nempe radicalis, & actualis; ità & vita Christiana supernaturalis est duplex, primò Radicalis, fundata tum

in potentia cognoſcitiva & volitiva, à quibus actusvirtutum accipiunt vitalitatem, &c. tum in ſupernaturali gratia habituali, & actuali, habitibusque infuſis virtutum, & donorum Spiritûs S. à quibus actus vitæ Chriſtianæ ſortiuntur ſupernaturalitatem, ſicut & per aliquod motivum fide Divinâ propoſitum ſupernaturalizantur. Secundò Actualis vita Chriſtiana, ſita eſt in ipſo actuali exercitio virtutum, qui ſunt motus intrinſeci & extrinſeci, inſinuantes animam vivere ſpiritualiter, ſicut motus corporis externi manifeſtant ejusdem vitam internam. Dicitur; *ad obtinendum finem ſupernaturalem* id eſt *Viæ, & Patriæ.* Finis ſupernaturalis Viæ, & Patriæ, reſpectu ipſius Operantis, eſt propria Perfectio, Sanctitas, & Beatitudo, ſeu Gloria. Reſpectu Proximorum finis ſupernaturalis Viæ, & Patriæ, eſt ipſis ab Operante intenta ſimilis Perfectio, Sanctitas, Beatitudo, ſeu Gloria. Reſpectu Cælitum finis ſupernaturalis Viæ, & Patriæ, eſt ab Operante intenta Gloria ipſorum. Reſpectu Dei T. O. M. finis ab Operante intentus in Via, & Patria, eſt Gloria ipſius. Probatur hæc deſcriptio ſtatus Vitæ Chriſtianæ ſupernaturalis eſſe bona: quia datur per omnia genera cauſarum: Primò per cauſam efficientem, quæ eſt potentia liberi arbitrii & gratia Dei cum habitibus infuſis: Secundò per cauſam objectivam ſeu materialem & formalem, nec non finalem, à quibus ſuum Eſſe, actus vitæ ſupernaturalis participant. *Sed de hisfuſiùs infrà ſuis locis. p. 1. & 2. 2. & 3.*

§ II.

Qui Gradus Status Vitæ Chriſtianæ Supernaturalis & Spiritualis?

R*Eſpondetur*. Gradus prædicti ſtatus accipiuntur dupliciter: *Primò*, reſpectu Status, & officiorum, in Eccleſia Chriſti altiorum, & inferiorum. *Secundò*, reſpectu Virtutis circa media, & finem ſupernaturalem, prout convenire poteſt omni Chriſtiano: Reſpectu ſtatus & officiorum Eccleſiæ Dei accepti, S. Dionyſius Gradus ejusmodi ad triplicem Hierarchiam Eccleſiaſticam revocat, ita dicens: *Ergo hoc à nobis concluſum eſt, Sancta quidem*

dem mysteria esse expiationem, illustrationem, ac perfectionem: ministros autem, Ordinem eum qui expiandi, sacerdotes qui illustrandi, divinos Pontifices qui perficiendi, vim habent: Ordinem verò qui expiatur, eum qui sancti aspectus & communionis est expers, quod etiam expietur: Ordinem qui spectat, sanctum populum: Ordinem qui perficitur, eum qui est singularium Monachorum: Ita enim hierarchia nostra ordinibus, qui à Deo traditi sunt, sanctè digesta, cælestibus hierarchiis est similis, si suas Deum imitantes quantùm hominibus fas est, divinasq; figuras & notas obtinet. De Eccles. Hierarch. cap. 10.
Quia sicut in Cælesti Hierarchico statu, suprema Angelicorum Spirituum Hierarchia, immediatè ab ipso Deo perficitur summis cognitionis splendoribus, & amoris Divini ardoribus; atque facultatem alios perficiendi accipit: Media hierarchia à suprema illustratur, vimque cæteros illustrandi acquirit: Infima denique hierarchia à media purgatur ab ignorantia, potentiamque alios purgandi habet. Ita & in Ecclesiæ statu Hierarchico, Episcopi & Prælati similes Episcopis in Jurisdictione, statuuntur in perfectorum gradu supremo, ad alios perficiendos: Sacerdotes, & Religiosi, in medio gradu, ad dandum amplius lumen scientiæ salutis aliis ministris Ecclesiæ, & populo Dei: Ministri Ecclesiæ in infimo gradu, ad Catechumenos depurandos ab ignorantia fidei deputantur. Porrò respectu Virtutis circa media, & finem supernaturalem, quòd & hæc habeat se in mente humana proportionatè ad altiores, vel inferiores Ordines Hierarchiæ Cælestis, idem divinus Areopagita insinuat, dum inquit: *Hoc quoq; non immeritò possum addere, Vnamquamq; & cælestem & humanam mentem seorsum proprios in se continere, & primos, & medios, & ultimos ordines atq; facultates, quæ eodem modo, quo superiores singularum Hierarchiarum illustrationum proprii ductus enuntiantur: quibus unaquæq; mens pro suo captu quàm nitidissimæ purgationis, copiosissimi luminis, absolutæq; perfectionis fit particeps. Nihil est enim per se absolutèq; perfectum, ad quod omnino perfectionis non indigeat, nisi id quod revera absolutè perfectum est, & perfectionis est principium.* S. Dionysius Cælest. Hierarch. cap. 10.
Sed adverte comparationem Hierarchiæ status Ecclesiastici, & Vitæ Christianæ, cum Hierarchia Cælesti, non absolutè, verùm suo modo, accipiendam esse. Etenim v. g. in Ecclesiastica infima Hierarchia & qui purgant, & qui purgantur, utique non à sola ignorantia veritatis (sicut contingit An-

gelis in ultimo ordine Cælestis Hierarchiæ) sed etiam à sordibus peccatorum ministerio sacræ Doctrinæ, & Sacramentorum; quod nefas cogitare de simili purgatione Angelorum, aliquâ peccati maculâ immundorum. Atque sic facito convenientem proportionem comparationis utriusque Hierarchiæ & in aliis punctis. Verùm ad clariorem notitiam, & compendium memoriæ, schemate proposito prædictos gradus in Hierarchias, & suos Ordines, discretos, erigimus. Ex quibus, tum aliis, constat, unde traxerit originem apud Spirituales applicata ad Vitam Spiritualem ratio denominationis Viæ Purgativæ, Illuminativæ, & Unitivæ; nempè à distinctione Hierarchica Angelorum, quorum alii purgantur, alii illuminantur, alii singulariùs præ aliis uniuntur Deo per amorem. Tum undè provenerit denominatio Incipientium, Proficientium, & Perfectorum, in vita Christiana; nempè per respectũ ad perfectionẽ ejusdem Vitæ Christianæ, in qua perfectione alii sunt Incipientes, qui dispositiones perfectioni contrarias, uti sunt vitia & peccata, eliminant: alii Proficientes, qui dispositiones inductivas positivè ejusdem perfectionis, quales sunt Actus Charitatis & Virtutum aliarum, adhibent: denique Consummati in perfectione, qui eandem acquisierunt. Cæterùm nil restat, nisi, qui culmen veri honoris quærimus, & immensos thesauros, ac delicias, possidere gestimus, Deum utique nostrum, in quo omnia eminentissimè continentur; in Curia Cælesti adscribi festinemus, ubi quò altiùs inter Ordines Hierarchiarum ascenderimus, eò magis futuri participes summi Boni erimus. Sed quoniam ad mensuram ascensus Hierarchiæ vitæ Christianæ, paratur nobis ascensus Hierarchiæ Angelicæ, ideo summis conatibus cum superno auxilio ad culmen delineatorum in schemate graduum vitæ Christianæ enitendum. Ubi tanquam in speculo quotidiè in sui examine clarissimè quisque animadvertere potest, quantùm profecerit, vel defecerit in Puritate, Virtute, Contemplatione & Amore Dei, & consequenter in Perfectione, Sanctitate, & Beatitudine hujus vitæ, & futuræ. His enim nempè Puritate, Virtute, Contemplatione & Amore Dei, Perfectio, & Sanctitas nostra subsistit, Beatitudoque acquiritur, ut *infra* videbimus.

P: 3. Theol: Spirit: trac: 1.

§. 3.

§ III.

Quæ Motiva ad vivendum convenienter statui Christiano?

RΕspondetur: *Primum Motivum* est obligatio consurgens ex vi Professionis Christianæ, quâ homo in Baptismo abrenunciavit Sathanæ, & omnibus pompis, ac operibus ejus; suscepitque veram Fidem; tum per ipsum Baptismum subdidit se Legi Evangelicæ, secundum quam viveret, & Authorem ejus nempè Christum imitaretur, unde nomine Christiani voluit appellari. Hinc probatur: Quia *qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, & ipse ambulare.* Et: *Non vocavit nos DEVS in immunditiam, sed in Sanctificationem.* Et: *Vt abnegantes impietatem & secularia desideria, sobriè, & justè, & piè vivamus in hoc seculo, exspectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni DEI, & Salvatoris Nostri* JESV *Christi.* Confirmatur: S. Cyprianus inquit; *Christianismus est mors criminum, & vita virtutum.* Nyssenus quærit, quid sibi velit nomen, & professio Christiani? ubi inter cætera hæc ait: *Christianismus est imitatio Divinæ Naturæ; Christianismi professio est, ut homo reducatur ad pristinam & antiquam felicitatem: Christianismus est participatio Christi: cùm ergo Christus sit justitia, puritas, & veritas; Christianus esse nequit, qui illorum communionem & societatem in se non ostendit.* Et Cornelius à Lap. inquit: Christianismus non est a-„ liud quam Professio Sanctitatis. Ad hoc enim venit Christus „ & Christianismum instituit, ut sine timore de manu inimicorum „ nostrorum liberati, serviamus illi in Sanctitate & justitia o-„ mnibus diebus nostris, ut canit Zacharias. Undè & Apostolus „ Paulus in suis Epistolis Christianos toties vocat Sanctos.

[1. Ioan. c. 2. — 1. Theß. c. 4. — Tit. cap. 2. — Epist. 2. ad Donatū — Tract: de eodem. — Com: in Ep: ad Cor. c: 1.]

Confirmatur: Quia juxta Apostolum: *Quicunque sine lege peccaverunt, sine lege peribunt; & quicunque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur.* Ergo & Christiani sub lege Evangelica constituti, secundùm eam judicabuntur, an ei conformiter aut difformiter vixerint, ut sublimentur in Regnum Cælorum, vel detrudantur in profundissima Inferni. Unde patet obligatio Christianorum vitam suam regendi ad normam Legis Evangelicæ. Roman. 2.

Secundum Motivum est ab Exemplis. Etenim si in Lege Naturæ illa obscurissima nocte lucis Divinæ, Noe, Abraham, Isaac, Jacob, Ioseph, Job, virtute præcellentes coram DEO fuêre: unde ad Abraham DEUS inquit: *Ambula coram me & esto perfectus*: Tum, *Gen. c.* 17. si in Lege scripta, Moyses, Rex David in mediis Regni curis & bellis, aliique Patriarchæ & Prophetæ, uxorati licet, liberis, & opibus aliqui abundi; tamen in omni virtutum genere perfecti evasêre: imò & toti Israelitico populo mandavit DEUS: *Deut.* 18. *Perfectus eris, & absq; macula cum Domino DEO tuo*: Quantò magis sub Lege gratiæ, Lege rutilantissimi luminis & amoris cælestis, in affluentia illa gratiarum Divinarum, Sacramentorum, occasionis ad bonum, &c. Christianos gentem Sanctam, populum acquisitionis, *Iacobi c.* 1. vocatos vocatione Sanctâ DEI, necessarium est, *ut sint perfecti & integri, in nullo deficientes?* *Epist.* 1. Et juxta Principem Apostolorum: *In omni conversatione Sancti sint, quoniam scriptum est: Sancti eritis, quoniam ego Sanctus sum?* *cap.* 1. Quæ Christiana Sanctitas in ipso Exemplari omnis perfectionis DEO-Homine, Deipara, Apostolis, ac Primitiva Christianorum Ecclesia mirè emicuit, singulisque seculis Ecclesia, quà ex Spiritualibus, quà ex Secularibus personis Sanctos protulit, adeo ut inexcusabiles sint omnes Christiani tepidi & inertes, quantò magis omni nequitiâ pleni, thesaurizantes sibi iram in die iræ justi Judicii DEI, qui exclusos à Regno beatitudinis, mittet in ignem æternum. *Alia Motiva* allectiva ad Christianè Vitam instituendam, passim hoc in toto Opere invenies, ubi de Virtutibus in genere, & specie, de Perfectione, Sanctitate &c.

Verùm quid ad hæc pleriqüe seculares Christiani? Virtus, Perfectio, vitæ Sanctitas, ut eam sectentur, illis est ridiculum; ad Claustra & Collegia Religiosorum ipsam remiserunt, sibi vitia reliquerunt, & tamen O stupendam hanc infelicium dementiam! in peccatis & concupiscentiis, ut in volutabro luti computrescentes, syderea Regna & indefectibiles Cœli delicias, sibi promittere præsumunt. Sed audiant Os illud aureum *S. Chrysostomum* sacris Scripturis comprobantem seculares Christianos æquè ac Monachos Præceptis Divinis non modò Decalogi, verùm & aliis sublimioribus, debere morem gerere, illisque vitam perfectam

& san-

& ſanctam inſtituere. (Etſi ſeculares ad Conſilia Evangelica trium votorum Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ, aliosque ritus & Regulas à Fundatoribus & promotoribus Religionum adinventas, non obligentur: ut ita appareat hæſitanti animo in quo debet eſſe convenientia ſtatûs Secularis cum Religioſo, & in quo eſt diſconvenientia, quod magis apparebit ſequenti. *Cap. 6. Sect. 1.*) Alitèr verò agentibus nullam ſpem æternæ beatitudinis, quin potiùs perennes inferni cruciatus reſtare. Sic igitur hic Magnus Conſtantinopoleos Patriarcha diſcurrit. *Tom: 5. lib. 3. adver: vituper: vitæ Monaſt:*
„ At, inquies, ejusdem criminis non eſt, eum qui ſeculo addictus
„ ſit, peccare, & eum qui ſemel ſe ac penitus DEO devoverit, re-
„ ligionis propoſito excidere, neque enim ambo eadem ex alti-
„ tudine decidunt, ita nec eadem quidem vulnera ſuſcipiunt. Fal-
„ lis teipſum prorſùs ac decipis, ſi putas aliud à Secularibus viris,
„ aliud à Monachis requiri. Hæc enim ferè ſola eſt in utroque
„ genere vitæ differentia, quòd illi quidem Matrimonii ſe vinculis
„ conſtringunt, hi verò his liberi perdurant; in reliquis verò com-
„ munis atque eadem ab utrisque vitæ totius ratio requiritur, e-
„ iſdem pro culpis pœna una omnibus debetur. Nam qui Fratri
„ ſuo iraſcitur ſine cauſa, ſive ille Secularis, ſive Monachus fue-
„ rit, Deum ſimiliter offendit. Atque is qui mulierem reſpicit,
„ & concupiſcit eam, quolibet in vitæ ſtatu fuerit, eâdem adulterii
„ plectetur pœnâ. Imò verò ut aliquid ex nobis addere, quod ra-
„ tioni conſentaneum videatur, audeamus; magis ſine ulla ſpe
„ veniæ peccabit, qui ex ſeculo id ſcelus admiſerit. Neque enim
„ par facinus admittere videtur, qui uxoris ſolatio ſubnixus, de-
„ core mulieris irretitur, atque is qui ejusmodi auxilio, & infir-
„ mitatis remedio deſtitutus, hac interdùm peſte corripitur. Rur-
„ ſus qui jurat, ſive hoc, ſive illud fuerit, pari omninò pœnæ ſub-
„ jacebit. Neque enim Chriſtus, cum de his monita ederet, le-
„ gesque ſtatueret, ita diſtinxit, ut diceret, ſiquidem is qui jurat
„ Monachus ſit, à malo jusjurandum eſt: ſin verò Monachus non
„ fuerit, non jam à malo eſt: ſed abſolutè omninò dixit: Ego au- *Matt. 5.*
„ tem dico vobis, ne juretis penitus. *Rurſumq;* cùm diceret; Væ *Luc. 6.*
„ ridentibus! non addidit, Monachis: ſed abſolutisſimam ſenten-
„ tiam de omnibus tulit. Atque idem in cæteris mandatis ſuis
maximis

Matth. 5. „maximis & admirandis facit. Cum enim dicit: Beati pauperes
„spiritu, beati qui lugent, beati mites, beati qui esuriunt & si-
„tiunt justitiam, beati misericordes, beati pacifici, beati qui per-
„secutionem patiuntur propter justitiam, beati qui fanda, & in-
„fanda propter me & meum Nomen ab his qui sunt foris, pati-
„untur: nec Monachi nec Secularis nomen adjecit. Cæterùm
„ista distinctio ex hominum æstimatione introducta est. Sacræ
„verò Literæ nihil horum penitus noverunt, sed omnes Mona-
„chorum vitâ & instituto vivere volunt, etiamsi uxoribus fuerint
„adjuncti. Audi denique quid Paulus moneat, quem cum no-
„mino, rursùs Christum prædico. Hic itaque cùm scriberet u-
„xoratis hominibus, filiosque nutrientibus, omnem ab illis Mo-
„nasticæ vitæ diligentiam requirit. Namque delicias omnes pe-
„nitus abscindens, sive quæ ad cultum vestium, sive quæ ad ci-
1. Tim: 2. „bos pertinent, his verbis admonet: Mulieres in habitu ornato,
„cum pudore & castitate semetipsas ornare, non in tortis crini-
1. Tim. 5. „bus, aut auro, aut margaritis, aut veste pretiosâ. *Et rursus*: Quæ
„autem in deliciis degit, vivens mortua est. *Et rursùs*: Habentes
„cibos & tegumenta, his contenti simus. Quid amplius posset
„aliquis à Monachis exigere? Rursùs verò cùm alios lingvam
„continere admoneret, severissimas leges constituit, & tales le-
„ges, quales Monachis ipsis implere, negotii non minimi est:
„Non enim turpitudinem tantùm ac stultiloquium damnat, ve-
„rùm ipsam quoque scurrilitatem severissimè castigat & jugulat.
„Neque iracundiam solùm, & furorem, & amaritudinem, sed
„ipsum etiam clamorem ab ore fidelium arcet, & resecat. Omnis
„enim, ait, iracundia, & furor, & convitium tollatur à vobis cum
„omni malitia. Num ista tibi parva videntur? Ergo paululum
„exspecta, dum his longè majora referamus, quæ de tolerantia
1. Thess. 5. „malorum omnibus præcipit. Sol, inquit, non occidat super ira-
„cundiam vestram. Videte, ne quis malum pro malo cuiquam
„reddat, sed semper quod bonum est, persequimini invicem,
Rom. 12. „& in omnes. *Rursumq;*: Noli vinci à malo, sed vince in bono
„malum. Vidistine Philosophiam, & longanimitatis magnitudi-
„nem ad ipsum supremum culmen ascendentem? Audi, quid
„de Charitate etiam loquatur, quæ caput bonorum omnium, &
summa

summa est. Cùm enim illam vehementer extolleret, ejusque „ merita insignia prosequeretur, eandem se à seculi hominibus „ exigere ostendit, quàm à Discipulis Christus. Ut enim Salva- „ tor hunc, tandem extremum ait esse charitatis finem, si quis ani- „ mam suam pro amicis ponat: ita Paulus quoque idipsum si- „ gnificavit, cùm diceret: Charitas non quærit quæ sua sunt; atque „ 1. Cor. 13. ejusmodi Charitatem sequi nos jubet; quid igitur hac Philoso- „ phiâ majus, aut dignius inquirere possemus? Cùm enim & „ furore, & iracundia, & clamore, & pecuniarum cupiditate, & „ ventris ingluvie, & magnificentiâ vestium, & inani gloriâ, & „ aliis seculi rebus superiores esse nos jubeat: nihilque commune „ habere cum terra; cumque mortificare membra nostra præci- „ piat: constat profectò ipsum non minorem à nobis vitæ dili- „ gentiam requirere, quàm requirat à Discipulis Christus. Us- „ que adeo verò peccatis esse mortuos jubet, ac si jam & mortui „ & sepulti simus. Idcirco enim ait: Qui autem mortuus est, „ Rom. 6. jam justificatus est à peccato. Nonnunquam verò ad ipsius „ Christi imitationem summa vi exhortationis inducit. Cùm e- „ nim nos diligere admonet, inde potissimùm sumit exempla: „ ita cùm ad malorum quoque tolerantiam, atque ad humilitatem „ hortatur. Cùm itaque non Monachos tantùm, vel Apostolos, „ sed etiam ipsum Christum imitari nos jubeat, eisque qui non „ imitantur, supplicia maxima intentet, quâ tu tandem ratione il- „ lam dicis esse majorem altitudinem? Eandem enim omnibus „ ascendere propositum, & imperatum est. Sed hoc planè est „ quòd evertit Orbem universum, quòd summâ vitæ benè agendæ „ diligentiâ Monachis opus esse arbitramur, cæteris negligenter „ vivere licere. Non ita sanè, non ita est, sed eadem ab omnibus „ Philosophiæ ratio requiritur: atque id equidem vehementer „ affirmaverim, imò verò non ego, sed ipse Judex omnium Chri- „ stus. Sin verò tu adhuc hæres & titubas: agè rursus tibi eisdem „ verbis aures repleamus, ut omnis abs te & malitia, & infidelitas „ fugetur. Faciam autem hujus rei documentum ab ipsis cru- „ ciatibus diei illius horribilis, nimiumque metuendæ. Dives „ profectò ille, non quòd Monachus crudelis fuerat, idcirco ve- „ hementiùs cruciabatur: sed si quid loqui ex nobis audeamus, „

„ quod tamen veritati contrarium non ſit, ideo exurebatur maxi-
„ mè, quod ſeculo deditus cùm eſſet, & in divitiis ac delitiis dege-
„ ret, & purpurâ operiretur; Lazarum ſupremâ inopiâ vexatum,
„ aſpernatus eſt. Virgines item, quia clementiâ & humanitate
„ carverunt, ideo cœleſti thalamo excluſæ ſunt: & ut ipſe aliquid
„ adjiciam, quod veriſimile exiſtimo, non ſolùm cruciatus illis ad-
„ diti non ſunt Virginitatis gratiâ, ſed ob eandem ipſam mitiores
„ quoque pœnas exceperunt. Neque enim illis dictum eſt: Ite
„ in ignem æternum, diabolo & angelis ejus præparatum: ſed ſo-
„ lùm, Non novi vos. Sin verò dicat aliquis, hoc idem eſſe quod
„ illud eſt, neque ego contendam: quod enim mihi nunc maximè
„ incumbit id profectò eſt, ut oſtendam Monachorum vitam gra-
„ viora non attrahere ſupplicia, verùm iisdem quoque peccantes
„ ſeculi homines obnoxios fieri. Is etiam qui ſordidis veſtibus
„ amictus fuit, quique centum nummos ſummâ improbitate re-
„ quiſivit, non quòd Monachi fuerunt, ea paſſi ſunt, quæ paſſi re-
„ feruntur: ſed alter ob fornicationem; alter quòd non donaſſet
„ injurias, perierunt. Sed & alios quoque dum punirentur, ſi
„ quis inquirat diligentiùs, pro peccatorum tantùm meritis eos
„ cruciatus perpeti animadvertet. Neque verò in inferendis ſo-
„ lùm cruciatibus, ſed etiam in ſanciendis legibus id Chriſtum fe-
Matth. 11. „ ciſſe reperies. Etenim cùm dicit: venite ad me omnes qui la-
„ boratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos: tollite jugum me-
„ um ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde,
„ & invenietis requiem animabus veſtris: non Monachos tantùm
„ alloquitur, ſed & omne prorſus hominum genus. Itemque
„ cùm jubet per anguſtam viam ingredi: non iſtos modò, ſed o-
„ mnes omnino homines hoc imperio convenit. Cumque odiſ-
„ ſe animam ſuam in hoc mundo, atque cætera ejusmodi juberet,
„ nullum hominum genus excepit. Cùm verò non omnes allo-
„ quitur, neque jura & leges omnibus conſtituit, hoc ipſe nobis
„ inſinuat aptiùs. Denique cum de Virginitate loqueretur, ad-
Matth. 19. „ junxit: Qui poteſt capere, capiat: neque *Omnis* adjiciens, ne-
„ que id *in præcepti Ordine* ſtatuens. Ita Paulus quoque (nam o-
„ mnibus locis Magiſtrum imitari deprehenditur) cùm in hanc
„ decidiſſet materiam, ajebat: De Virginibus autem præceptum

Domini

Domini non habeo. Itaque quod ad eandem vitæ diligentiam „ supremumque perfectionis fastigium per Divinas leges pariter „ & Secularis, & Monachus cogantur: quodque ambo si ceciderint, „ æqualia sint excepturi vulnera, neminem jam quantumlibet ille „ sit contentiosus, & impudens, contradicturum existimo. *Et* „ *paulò infra*: Quid igitur? Omnesnè qui Matrimonii vinculis ad- „ stricti sunt, peribunt? Non equidem id dico, sed majoribus, „ ut servari possint, laboribus eis opus esse confirmo, ob immi- „ nentem necessitatem. Nam eo qui ligatus fuerit, is qui solutus „ est & faciliùs longè & expeditiùs curret. Num ergo majore „ ille idcirco mercede donabitur, illustrioribus coronis? Mini- „ mè verò; sibi enim ille hanc necessitatem conscivit, cum liceret „ effugere, si vellet. *Hactenus S. Chrysostomus.*

Officia & actus vitæ Christianæ patent plerique ex dictis. Sed quia status non modo Secularium verùm & Religiosorum, ac Ecclesiasticorum continentur sub statu vitæ Christianæ, itaque ejus Actus dividuntur in Actus vitæ Activæ, Contemplativæ, & Mistæ, de quibus & eorum praxi ibidem infra.

SECTIO II.

De Opposito statui Vitæ Christianæ Supernaturalis sive Spiritualis in genere.

DIco Primò: *Id Oppositum est Permanentia in servitute vitiosa Peccatorum, ut hæc sunt difformia dictamini practico rationis proponenti Primam Regulam morum, quatenus lumine fidei cognita.*

Dicitur; *permanentia in servitute* &c. quæ particulæ sunt de ratione status. Unde dicitur: *Servi corruptionis: à quo enim quis superatus est, hujus & servus est.* Quia peccatum suo pondere quodammodo premit, & ad alium vel similem actum peccati iterandum, multùm inclinat, & trahit hominem, ut se difficultèr ab ejus jugo excutiat, nisi specialis gratia succurrerit. Dicitur; *Ut hæc sunt difformia* &c. *quatenùs lumine fidei cognita* Per quod differt ab Opposito statui in ratione moris naturali: quia in hoc plerumque spectatur peccatum Philosophicum (utpote ex ignorantia veri DEI vel ejus mandatorum proveniens) sicut in opposito statui vitæ Christianæ

2. Pet: c: 2. v. 19.

ſtianæ ſpectatur peccatum Theologicum, cujus etiam notitia etſi ex principiis naturalibus poſſit haberi, ſupernaturaliter tamen ex principiis fidei accipitur.

Dico Secundò. *Motiva ad deſerendam Vitam, ſtatui Chriſtiano oppoſitam, hæc proponuntur.* Quia difformiter viventes ſtatui Chriſtiano Primò comparantur arboribus infructuoſis, immundis

Serm. de S. Benedicto Abbat.

„ beſtiis, unum fiunt cum dæmone, Ita D. *Bernardus*: ſunt *inquit*, „ Arbores infructuoſæ, ut quercus, & ulmus, & ſylveſtres aliæ „ arbores: ſed hujuſmodi nemo plantat in horto ſuo, quia non faciunt fructum, & ſi quem faciunt non humano eſui aptus eſt, ſed „ porcino. Tales ſunt Filii hujus ſeculi, agentes in commeſſationibus & ebrietatibus, in crapula & voracitate, in cubilibus, & „ impudicitiis. Hæc namque porcorum cibus ſunt, quos Judæus verus prohibetur comedere, quia Chriſtianus his non debet „ adhærere. Sicut enim caro porcina cùm comeditur, adhæret „ carni, ut jam ſit una caro: ſic tranſgreſſor præcepti Dominici, „ ſpurcos ſibi ſociat Spiritus, & adhærendo eis unus cum eis efficitur Dœmon. Nam & idcirco in ſacrificiis prohibetur animal „ illud offerri, quod ſpurcos ſpiritus immundosque deſignet; qui „ relictâ omni munditiâ, ſolis ſibi ſpurcitiis complacentes, vitiorum & criminum ſemper cœno delectantur involui.

S. Bernard. ſerm: in Cant.

Secundò. Mali Chriſtiani ſunt perſecutores Chriſti. Hinc „ citatus *S. Doctor* ait: Inteſtina & inſanabilis eſt plaga Eccleſiæ, & „ ideo in pace amarisſima, ſed in qua pace pax eſt, & non eſt, pax à „ paganis, pax ab hæreticis, ſed non profectò à filiis. Vox plangentis Eccleſiæ, etiam tempore iſto: filios enutrivi, & exaltavi, „ ipſi autem ſpreverunt me, ſpreverunt, & maculaverunt me. „ Nunc fruſtra clamat Chriſtus de levitate oneris ſui, ſine cauſa jugum ſuum ſuave prædicat; quandoquidem & ab ipſis, qui Chri-

Serm. 1. in Convers, S. Pauli.

„ ſtiano cenſentur nomine onus diaboli, & jugum carnis, atque ſeculi hujus delectabilius reputatur. *Et alibi idem Sanctus*: Sicut ipſum Chriſtum perſeqvuntur, qui ab eo utique „ Chriſtiani dicuntur; amici tui DEUS & proximi, adverſum te

Salvian. lib. 4. de Providentia.

„ appropinquaverunt, & ſteterunt; conjuraſſe videtur contra te „ univerſitas populi Chriſtiani à minimo usque ad maximum.

Tertiò. Sunt Opprobrium Chriſti. Unde *Salvianus*: Fruſtra

ſtra nobis de prærogativa & nomine Chriſtianitatis blandimur, „
qui ita agimus ac vivimus ut hoc ipſum quod Chriſtianus popu- „
lus eſſe dicimur, opprobrium Chriſti eſſe videatur. *Et mox:* „
Ubi eſt Lex Catholica, quam credunt? Ubi ſunt Pietatis & Ca- „
ſtitatis præcepta, quæ diſcunt? Evangelia legunt, & impudici „
ſunt: Apoſtolos audiunt, & inebriantur: Chriſtum ſeqvuntur, „
& rapiunt: Vitam improbam agunt, & probatam legem habere „
ſe dicunt, &c. In nobis Chtiſtus patitur opprobrium, in nobis „
patitur Lex Chriſtiana maledictum, dum dicitur: Ecce quales „
ſunt qui Chriſtum colunt; falſum planè eſt quod ajunt ſe bona „
diſcere: ſi enim bona diſcerent, boni eſſent. Talis profectò ſe- „
cta eſt, quales & ſectatores: hoc ſunt absque dubio quod do- „
centur: Sancta à Chriſtianis fierent, ſi Chriſtus ſancta docuiſſet. „
Æſtimari itaque de cultorihus ſuis poteſt ille qui colitur. Quo- „
modò enim bonus Magiſter eſt, cujus tam malos videmus eſſe „
diſcipulos? Ex ipſo enim Chriſtiani ſunt, ipſum audiunt, ip- „
ſum legunt.

Ecce qualia Infidelium Paganorum contra Chriſtum ob Chriſtianorum malitiam dicteria! quidni ſimilia Schismatici, Hæretici, adverſus ſanctam Catholicam, Apoſtolicam, Romanam Eccleſiam evoment probra ob improbitatem plurium Catholicorum? Væ mundo Chriſtiano, Catholico, à ſcandalis! Væ per quos blaſphematur Nomen DEI, & ſincera ac ſancta veritas fidei! Equidem tales fiunt duplo gehennâ digniores. Potiùs igitur juxta monitum Principis Apoſtolorum: *Converſationem Veſtram inter gentes* (& hæreticos) *habentes bonam, ut in eo quod detrectant de vobis, tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos conſiderantes, glorificent DEUM in die Viſitationis.* **1. Epiſt. cap. 2.**

Quartò. Quia paucisſimi ſalvantur. Unde *S. Chryſoſt.* ad **V. Tubas orbis Chriſt: apud Merlo Horſtium.**
ſui temporis populum Antiochenum loquitur: Quot eſſe pu- „
tatis in Civitate noſtra qui ſalvi fiant? infeſtum quidem eſt quod „
dicam, dicam tamen: Non poſſunt in tot millibus centum inve- „
niri, qui ſalventur: quin & de his dubito. Quanta enim in ju- „
venibus, quæſo malitia? quantus in ſenibus torpor? „

Quintò. Quia quod Chriſtus Judæis ſuam doctrinam audientibus miracula cernentibus, minùs tamen ea curantibus eſt

comminatus, id equidem & Christianis improbis pavendum ne eveniat, nempe judicium severius, damnatio atrocior & profundior infra Gentiles aliosque Infideles.

Prima Comminatio: *Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista, & condemnabunt eam; quia poenitentiam egerunt in prædicatione Jonæ: & ecce plùs quàm Jonas hic:* Nempè Christus Dominus personaliter quidem Judæis, Christianis verò sui benedicti Evangelii, & plurium Sanctorum Doctorum, Prædicatorum verbis prædicans pœnitentiam, non temporalem Ninive, sed æternam cujusque Animæ denuncians subversionem, seu in locum ignis ardentis & sulphuris mersionem; Ninivitæ tamen ad unius hominis vocem asperam ducentes pœnitentiam suo exemplo condemnabunt impœnitentes Judæos, & Christianos.

Matth: c: 12.

Secunda Comminatio: *Regina austri surget in judicio cum generatione ista, & condemnabit eam: quia venit à finibus terræ audire Sapientiam Salomonis, & ecce plusquam Salomon hic.* Id est Regina Saba, auditâ famâ sapientiæ Salomonis, licet cum summa difficultate longissimi itineris, & relicti sui Regni, venit tamen præsens audire sapientiam Salomonis. Hæc verò generatio (id est Judaica, imò & malorum Christianorum) cum sine tantis difficultatibus majorem Sapientiam Salomone quia increatam audiat non tamen credit ei (ut fecerunt Judæi) vel credenda non facit, ut Pseudo Christiani. Igitur in extremo judicio Regina Saba non authoritate suâ, sed comparatione sui melioris facti condemnabit hunc incredulum & inobedientem populum. Ut qui noluit discere veram Sapientiam futurus inde gloriosus, pereat in sua stultitia perrenniter ignominiosus.

Ibidem.

Tertia Comminatio: *Væ tibi Corozain! Væ tibi Bethsaida! quia si in Tyro & Sydone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere poenitentiam egissent. Veruntamen dico vobis: Tyro & Sydoni remissiùs erit in die judicii quam vobis. Et tu Capharnaum nunquid usq; in Coelum exaltaberis? usq; in infernum descendes: quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te fortè mansissent usq; in hanc diem. Veruntamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remissiùs erit in die judicii, quam tibi.* An & inter Christianos tot tantæq; Virtutes seu

Matth. 11.

Miracula non sunt patrata, & patrantur, ut suâ multitudine excedant numerum, suâ magnitudine Christi quoque (juxta ejus promissum: *Qui Credit in me. Opera quæ ego facio & ipse faciet, & majora horum faciet*) Signa & ostensa superent? Novit hæc, qui vitas Sanctorum fide dignissimâ conscriptas legerit: Novit qui ubique orbe terrarum Christiano Capellas, Altaria, Imagines, aureis, argenteisque tabellis & similibus monumentis mirabilium DEI, ordinarium cursum naturæ excedentium, èxornatas conspexerit. Videntur hæc, prædicantur hæc, ut firmior fides, clarior DEI notitia, major DEI timor & amor, dignior pœnitentiæ & probitatis fructus sequantur: Ast in cassum. Imò potiùs abundavit iniquitas, refrixit charitas multorum. Quid igitur? Væ malis Christianis! quia Tyriis, Sydoniis, Sodomitis, Turcis, Hæreticis tolerabiliùs erit in illa die iræ. Si enim tanta frequentia miraculorum inter eos contingeret, tot minis judicii DEI, ignis æterni terrerentur, tantis promissionibus perennis felicitatis allicerentur, equidem in cinere & cilicio pœnitentiam agerent, vitam in meliùs commutarent, quod perversi tepidique refugiunt facere Christiani. Porrò profundiorem infra omnes damnationem Christianis imminere patet. Ex altiori quippe gradu gravior ruina, quod in Angelis quoque malis constat, altioris Hierarchiæ detrusis in ima profundi. Et *servus qui cognovit voluntatem Domini sui & non fecit secundùm voluntatem ejus, vapulabit multis: qui autē non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Apposítè hic infertur illa anima Gentilis condemnati, quæ ad S. Macarium Alexandrinum ista protulit: *Major poena subtus nos est. Nos qui ignoravimus* DEVM, *vel ad modicum habemus aliquid misericordiæ, hi verò qui cognoverunt & negaverunt DEVM* (factis autem suis Pseudo-Christiani negant DEUM etsi ore eum fateantur) *neq; fecerunt voluntatem ejus; hi sunt subtus nos.* O infelicem sortem in abysso gehennæ locatorum! qui quò profundiùs ibidem merguntur, eò acriores vindicis flammæ cruciatus experiuntur, amarioriq; æternùm durantis mortis tormento agonizant. Profundiori enim carceri proportionata adeoque major vis malorum correspondere debet.

[Marginal notes: *Joban:* 14. — *Lucæ c.* 12. — *Vide Rosueid dum in vita Patrum.* — *V. Epist: Apost. ad Tit c.* 1. v. 16.]

Praxes & Modos transeundi à Statu peccati ad conformiter vivendum Statui Christiano vide supra cap. 3.

ALIA

ALIA PRAXIS
Reformandi vitam reprobam Chriſtianorum, quæ hiſce perficitur mediis.

PRimò. Si parentes liberos ſuos timore DEI & pietate mox à teneris informent, juxta quod dictum eſt infra de Officiis parentes & inter liberos. Ad quod Curati animarum parentes cohortentur in Concionibus & Confesſionibus. *Secundò.* Si in ſcholis, doctrinâ ſimul & virtute juventus imbuatur. Adnitantur Curati, ut villanorum & rudiorum liberi adminus legere diſcant, & Cathecheſi informentur. *Tertiò.* Si Confraternitates ſanctas v.g. S. Roſarii, S. Scapularis, &c. Chriſtiani aſſumant, & Conſtitutiones expleant. *Quarto.* Si frequentiùs ad Sacramenta pœnitentiæ, & Sanctisſimæ Euchariſtiæ recurrant. *Quintò* deniq; Si zeloſi Curati animarum, earum ſalutem bono exemplo, oratione, doctrinâ publicè & privatim, opportunè importunè promoveant: imposſibilè enim ut tali modo ex Lapidibus ſeu induratis cordibus Chriſtianorum, plures haud fiant filii fidelis Abraham Patris omnium credentium & bene viventium. De Officiis Curatorum vide ſuis locis: Tum de Misſionariis, qui quantum faciunt & facere posſint emolumentum in Eccleſia Chriſti, ibidem animadverte. Ex probis namque Paſtoribus pendet vita ovium Chriſti.

In ſumma Theol: ſpir. ſec: 3. Et par: 1. c. 1. ſec: 2. ſubſ. 8.

CAPUT VI.
De Statu Vitæ Chriſtianæ ſeu Spiritualis, ejusque Oppoſito in Specie.

STatus Vitæ Chriſtianæ ſeu Spiritualis, dividitur in ſtatum ad particulare bonum Spirituale cujusque in ſingulari, ordinatum: & in ſtatum ad publicum bonum Eccleſiæ Spirituale, deſtinatum. Prima Pars diviſionis, ſubdividitur in ſtatum Communis vitæ Chriſtianæ: & in ſtatum Perfectionis aſſequendæ,

dæ, qui est status tendentium ad perfectionem. *Secundà* pars divisionis vocatur alitèr, nempè status Perfectionis exercendæ, seu Perfectorum; & subdividitur non tam in status, quàm in gradus varios. Item status vitæ Christianæ alio modo dividitur in statum vitæ Activæ, Contemplativæ, & Mistæ. Quia ad statum Communis vitæ Christianæ, propriè quidem pertinet Vita Activa, non tamen Contemplativa, & Mista; etsi utriusque subindè exerceantur actus in Vita Communi. Deindè in statu assequendæ perfectionis alii ad eam tendunt per officia Vitæ Activæ, alii per munia Contemplativæ. Quanquàm una vita alterius etiam assumit exercitia, quatenùs sunt necessaria ad gradualem vitæ Christianæ profectum, usque ad ejus culmen perfectionis; Sic status vitæ Contemplativæ prærequirit primò exercitia Activæ, status quoque Activæ non proficit solis suis officiis ad altitudinem perfectionis, nisi mediis actibus vitæ Contemplativæ.

SECTIO I.

De statu Communis Vitæ Christianæ.

EST autem hic status permanentia in Ecclesia Christi quoad exercitium virtutum necessitatis, ortum ex libero arbitrio, & gratia DEI supernaturali, per aliquod motivum fide Divinâ propositum, ad obtinendum finem supernaturalem. Dicitur; *quoad exercitium virtutum necessitatis:* ubi intelliguntur virtutes omnibus Christianis necessariæ, tum necessitate medii, tum necessitate præcepti, ad obtinendum finem supernaturalem. Et ita omnibus Christianis lapsis in peccatum est pœnitentia necessaria ad recuperandam gratiam. Deinde ad eandem gratiam conservandam, & augendam, necessaria est observatio mandatorum DEI, & Ecclesiæ; qualia mandata DEI continentur in Decalogo, tum sparsim in Evangelio v. g. Dilectionis DEI, proximi, etiam inimici, misericordiæ &c. Et universaliter quæ infra ponuntur & probantur sub officiis Vitæ Activæ, & virtutibus infra enumerandis in gradu necessitatis. *Reliquæ particulæ Asserti explicatæ sunt supra. Vocatur autem hic status Communis:* quia omnibus Christianis convenit, & ad æternam salutem est necessarius. Talis autem status est ptoprius Laicorum & Conjuga-

Præced: c. 5. sec: 1. §. 1.

jugatorum: non quòd ipsi in eodem statu non possint, aut de facto non exerceant opera virtutum supererogationis: sed ideo, quòd ad eadem opera aliunde minimè obligentur, sicut obligantur existentes in statu perfectionis.

Quòd verò in hoc statu existentes suo modo obligentur tendere ad perfectionem Christianam innuit illud DEI mandatum: *Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua: Hoc est maximum & primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis universa Lex pendet & Prophetæ.* Ad quam perfectionem ordinariè non pervenitur, nisi per puritatem à mortalibus, & voluntariis venialibus peccatis, & ad minùs per exercitia Virtutum necessitatis, tum aliqua supererogatoria opera, ut fusè patet ex dictis præcedenti *Cap.* 5.

Matth. 22.

Non tamen dicitur hic status Communis vitæ Christianæ status perfectionis assequendæ, ex eo, quòd non obligetur tendere ad eam per actus supererogatorios, à quorum obligatione alii dicuntur esse in statu perfectionis assequendæ per antonomasiam, quòd scilicet tendentia ad perfectionem per actus præcepti seu necessitatis, vix æstimetur propter suam difficultatem, & tarditatem; comparata ad tendentiam per actus supererogatorios, propter suam facilitatem, & velocitatem; quæ difficultas, & tarditas, tum facilitas, & velocitas, provenit à prædictis actibus virtutum necessitatis, & supererogationis. Supererogatoriorum enim actuum est ardens & heroicum exercitium, tum ex sui natura, tum ex vi voti, vel alicujus obligationis; quibus actibus uno agmine prosternuntur omnia impedimenta perfectionis, & facilitatur homo, ut currat imò volet ad culmen virtutis.

Incitamenta ad vitam rectè instituendam in statu Communis vitæ Christianæ eadem serviunt, quæ *præceden: Cap:* 5. *sect:* 1. De Praxi *vide ibidem sect:* 1. & 2.

SECTIO II.

De statu Perfectionis assequendæ, seu Tendentium ad Perfectionem.

AD evitandam æquivocationem præmitto aliud esse statum perfectionis assequendæ, & aliud ipsam perfectionem. Hæc

Hæc enim eſt tanquàm finis ſtatus perfectionis: ad quem finem, ſtatus perfectionis habet ſe in ratione medii. Unde optimè Abbas Moyſes inſinuat dicens: *Noſtra profeſſio* (id eſt perfectionis ſtatus) *habet ſcopum proprium ac finem ſuum, pro quo omnes illius ſtatus labores ſuſtinet.* Porrò hic ſcopus eſt Chriſtianæ vitæ Perfectio. Status itaque tendentium ad perfectionem, *Eſt permanentia in Eccleſia DEI quoad exercitium Virtutum ſupererogationis, ortum &c. Vt ſupra.*

In Collat. 1. Caſſ. cap. 2.

Vide c. 5. ſec. 1. § 1.

Dicitur; *Permanentia in Eccleſia DEI*: Ubi ſupponitur ſtabilis quædam & immobilis ratio vivendi proveniens ex obligatione aliqua alia (nempè vi voti ſolennis, vel privati) ſupra obligationem Communis Vitæ Chriſtianæ. Dicitur; *quoad exercitium Virtutum ſupererogationis*: per quod hic ſtatus diſtingvitur à ſtatu Communi Vitæ Chriſtianæ, tanquam includens ab incluſo: cùm hic ad ſola mandata DEI obſtringatur: ille inſuper præter Divina juſſa, ad Conſilia Evangelica obligetur.

Porrò ejuſmodi ſtatus perfectionis aſſequendæ, in re, eſt idem quod & *ſtatus Religioſorum*, & ſolo nomine differunt. Quia & in fine nempe conſequenda perfectione Charitatis, ac peculiari Cultu & gloria DEI; Tum in mediis, quæ ſunt ultra obſervantiam mandatorum profesſio etiam conſiliorum, (quibus nihil accomodatiùs ad obtinendam Charitatis perfectionem) conveniunt.

Sratus Religioſorum ſeu tendentium ad perfectionem alius eſt completus, alius incompletus, de quibus ſequitur.

SUBSECTIO I.

De Sratu vitæ completo Religioſorum, ſeu Tendentium ad Perfectionem.

DIco Primò: *Is ſtatus eſt, firma & ſtabilis ratio vivendi quoad actuale exercitium Conſiliorum Evangelicorum, Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ, juxta Regulam in Eccleſia DEI approbatam, ex intentione conſequendi perfectionem charitatis, aliosq́ fines ſupernaturales.*

Dicitur; *Firma &c. ratio vivendi*: quia de conditione ſtatus ut ſic, eſt firmitas & ſtabilitas, quæ in Religioſo ſtatu fundatur immobilitèr ex obligatione factæ profesſionis per tria vota Paupertatis,

Castitatis, & Obedientiæ, tum promisſionis servandorum Statutorum, & Regulæ alicujus approbatæ. Dicitur: *quoad actuale exercitium*, &c. Ubi explicantur quæ sunt essentialia & necessaria status Religiosi, seu status perfectionis in genere, nempè Paupertas, Castitas, & Obedientia. Quia si velit quispiam tendere seu progredi viâ aliquâ ad certum terminum, necessariò & de essentia illius progressus est; viæ impedimenta tollere, & positivos gressus formare: ita & in via Spirituali tendens ad perfectionem, nisi hujus viæ obstacula removerit, detinebitur à progressu; & nisi actus perfectionis seu supererogationis virtutum, potisſimùm ex motivo charitatis, quasi gressus quosdam posuerit, minimè perveniet ad perfectionem. Porrò impedimenta viæ perfectionis sunt, Bona mundi hujus, uti divitiæ: Bona corporis, uti voluptates: Bona animi, uti honores: quorum Bonorum appetitus, cura, sollicitudo, à Divinorum contemplatione & amore abstrahunt, & innumeris peccatis ac imperfectionibus implicant. Hæc autem impedimenta, nempe Bona mundi, Paupertas; Bona corporis, Castitas; Bona animi, Obedientia; removent. Unde tali respectu hæ virtutes conducunt negativè ad perfectionem, scilicet removendo prohibens perfectionem. In quo autem gradu perfectionis eadem consilia Evangelica servari debeant, & quæ virtutes accessoriæ ad illorum expeditum exercitium adhibendæ sint, uniuscujusq; Religionis suæ præscribunt Regulæ, & Statuta. Nam V. G. perfectior est gradus paupertatis in Seraphico Ordine strictioris observantiæ, qui renuit etiam dominium in Communi & quoad usum, quàm in aliis Religionibus, quæ idem dominium admittunt. Similitèr actus indifferentes, & virtutes auxiliatrices præfatorum trium Consiliorum, plures vel pauciores, perfectiores vel imperfectiores, unaquæque Religio præscribit, ut v.g. ad exactum exercitium paupertatis aliæ Religiones præscribunt laborem manuum; mendicitatem; ciborum, vestimentorum, suppellectilis extremam vilitatem, & paucitatem, &c. Aliæ verò non ita. Deindè in subsidium Castitatis, apud alias Religiones est strictior clausura, plures abstinentiæ, disciplinæ, cilicia, &c. apud alias verò non ita stricta &c.

Quod autem concernit Virtutes positivè conducentes ad pro-

progressum in via perfectionis, hæ variæ sunt pro varietate Religionum: Nam aliæ sunt quæ præscribunt in suis Regulis Virtutes vitæ Activæ, aliæ vitæ Contemplativæ, aliæ vitæ Mistæ; & quidem in perfectiori vel minùs perfectiori gradu: sicut & Virtutes adjutrices seu accessorias earundem Virtutum. V.G. vitæ Contemplativæ uti solitudinem, silentium, &c. Strictiùs vel minùs strictè præscribunt.

Cæterùm Ohedientia hoc habet præ Paupertate & Castitate, quod non tantùm ut illæ negativè removendo obices proprios, & alienos, per imperium, sed etiam positivè conducat ad perfectionem, imperando virtutes cujusque vitæ juxta Regulas & Statuta cujusvis Religionis. Atque ita omnes Virtutes, & actus indifferentes, in statu Religioso reducuntur ad tria vota Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ: tanquàm accidentalia ad sua essentialia. Castitas verò, & Paupertas, cum aliis, revocantur ad Obedientiam, tanquam membra ad suum caput, Charitate animatum: revocantur autem non quomodocunque sed juxta præscriptum cujusque Regulæ. Secundùm quarum Regularum diversitatem accidentalem, Religiones quoque diversificantur nonnisi accidentaliter. *Secundò*: in eadem descriptione status Religiosi ponitur; *præfatorum trium votorum juxta præscriptum alicujus Regulæ approbatæ actuale exercitium.* Per quod ostenditur, non sufficere ad statum Religiosum, esse obligatum iisdem votis quasi in potentia seu in habitu, sed necessariò requiri hæc vota cum suis accessoriis virtutibus exercere in actu secundo, idque dum se offert occasio exercendi sub obligationibus, Mortali, Veniali, vel sola Pænali, stringentibus ad eadem vota servanda, ac suas accessorias virtutes, juxta præscripta Regulæ. Quia quoad *Primum* frustraneus talis foret status, & nominetenùs materialiterque Religiosus, qui non exiret in actum: Deinde; Tendere ad Terminum aliquem, adeoque & perfectionem, dicit in usu Communi, non tam potentialem, quam actualem tendentiam. Quoad *Secundum* nempè determinando tempus istius tendentiæ, dum scilicet urget obligatio Regularis vitandæ culpæ mortalis; quia hæc absolutè invertit statum tendentium actualiter ad perfectionem, etsi non invertat habitualitèr scilicet vim obligativam: jam verò ad suum statum servandum

Religiosus vi professionis suæ stringitur gravitèr. Item dum urget obligatio sub culpa veniali: quia etsi hanc pro præsenti vita ex ignorantia, aut fragilitate, plerumque cavere nequeamus, ex malitia tamē committendam, sicut & affectum ad venialia, mortificare possumus, & debemus: quia & diminuunt fervorem charitatis, & ad mortale peccatum sunt proxima dispositio; jam verò status perfectionis requirit etiam cavendum proximum suæ eversionis periculum. Item dum urget obligatio legis pænalis, saltem plerumque & ordinariè hæc servanda est, & dum non servatur, ut animus semper sit paratus ad suscipiendam pœnam: quia absolutè, vel rarò nolle servare ejusmodi leges, vel pro earum transgressione nolle recipere pœnas, est abjicere maxima subsidia & fulcra, sine quibus vix aut ne vix quidem servari possunt Consilia Evangelica, ipsa media perfectionis. Porrò dum quis tenetur tueri formam, uti Religiosus tria vota formam status sui, tenetur tueri & accidentia, sine quibus non conservatur forma. Item tenetur ad aliqua extraordinaria opera supererogationis accommoda suo statui, quæ nullâ lege præcepta, aut promissa sunt. V. g. ad aliquas mortificationes, pietatis charitatisque opera, cum facultate tamen Superiorum, vel Spiritualis Patris. Alioquin talis videretur non habere animum, aut saltem pusillum tendendi ad perfectionem Charitatis, cujus acquisitio consistit tum in sui frequentato actu imperante & elicito, tum in propria Filiorum DEI indole, qui in testificationem sui in Patrem amoris, illi placita, etsi non obligati, operantur.

Dicitur in descriptione; *ex intentione consequendi, &c.* idq; vel immediatè operando ex ipso motivo Charitatis, vel mediatè operando ex aliis virtutum motivis, sed tandem ultimatè propter Charitatem, intendendo formaliter, aut virtualiter, ad ejus venire perfectionem. Ratio est: quia deficiente fine, deficiunt & media: v. g. deficiente civitate, deficit via ad ipsam, quia dum ipsa non datur, nec via ad ipsam datur, sed ad aliquem alium terminum. Ita quoque dum perfectio in intentione ad eam perveniendi non datur, non datur quoque in tali persona formaliter status Religiosus, qui est medium & via ad finem perfectionis, vocaturque status perfectionis assequendæ, frustrà autem & esset, & vocaretur status

tus perfectionis assequendæ, quam is status non intenderet assequi sed aliquid aliud, adeoque ex illo alio deberet denominari is status, & non ex ratione perfectionis. Ergo perfectio Charitatis debet semper esse in Intentione, formali vel virtuali, dum quicunq; actus habentur boni vel indifferentes in Executione. Atque ita feliciter perveniet ad intentum culmen Religiosæ Perfectionis. Dicitur; *aliosq; fines supernaturales* nimirum Charitatis perfectionem consequentes, quales sunt Sanctitas, Beatitudo propria, Gloria DEI, & Electorum.

Dico Secundò. *Incitamenta ad vitam statui Religioso conformandi, seu tendendi ad Perfectionem, sequentia dantur. Primum* Constans aliquot assertionibus Theologicis. *Prima Assertio*: obligari sub lethali culpa Religiosum ex vi status seu Professionis suæ, quâ vovit, & promisit servare integrè tria vota Evangelica paupertatis, castitatis, & obedientiæ secundùm sui Ordinis Regulam & cætera omnia specialia præcepta suæ Religionis præter communia, tendere ad perfectionem. Aliæ assertiones ex P. *Eusebio Nierenbergio*: Nimirum *Secunda assertio est*, Religiosum qui non intendit „ perfectionem, sed contentus est solâ præceptorum, & votorum „ observantiâ, quæ obligant sub mortali, nihil ampliùs volens „ proficere, peccare in hoc, & suæ obligationi non satisfacere, & „ hæc etiam est sententia omnium. In specie quidem P. Thomæ Sanchez dicentis: *Peccat quoq; mortalitèr Religiosus contra hoc præceptum tendendi ad perfectionem, si servans Regulam, & vota, intendat non attingere perfectionem vitæ Religiosæ, neq; finem per illam intentum.* Et P. Suarez ait: Vix potest moralitèr contingere, ut homo etiam „ secularis habeat firmum propositum nunquàm peccandi mor- „ taliter, quin consequenter nonnulla opera supererogationis fa- „ ciat, & habeat formale, vel virtuale propositum illa faciendi; „ quia sicut substantia creata non potest sine omnibus accidenti- „ bus conservari: ita nec substantia charitatis, & amicitia DEI po- „ test sine aliquibus operibus, quæ sint extra substantiam ejus, exi- „ stere. Ergo servatâ proportione non potest Religiosus habe- „ re firmum propositum servandi omnia ad charitatem, & perfe- „ ctionem ejus necessaria in tali statu, quin paratus sit multa in „ particulari agere bona & honesta, quæ præcepta non sunt; quia „

Vid. D. Thom. 22. quæst. 186. A. 1. & 2. Item Suar. de Statu Relig. Tom. 4. lib. 1. cap. 4. est communis.

Euseb. Nier. Doctrin. ascet. lib. 1. cap. 34.

Lib: 6. cap. 5. num: 10.

Tom: 4. de Relig. lib: 1. c. 4. n. 12.

„non possunt moraliter hæc ab illis sejuugi. Hæc fundantur in „authoritate *S. Bernardi*, qui ait: Altisſima eſt profesſio veſtra, „Cælos tranſit, par Angelis eſt, Angelicæ ſimilis puritati. Non „enim ſolum voviſtis omnem ſanctitatem, ſed omnis ſanctitatis „perfectionem, & omnis conſummationis finem. Non eſt ve„ſtrum circa communia præcepta langvere. Neque hoc ſolùm „attendere quid præcipiat DEUS, ſed quid velit, probantes, quæ „ſit voluntas DEI bona, & beneplacens, & perfecta. Aliorum „eſt enim DEO ſervire; veſtrûm adhærere. Aliorum eſt cre„dere, ſcire, amare, revereri; veſtrûm eſt ſapere, intelligere, co„gnoſcere, frui. Magnum eſt hoc, arduum eſt hoc, ſed omni„potens & bonus eſt, qui in vobis eſt pius promiſſor, fidelis red„ditor, & indefeſſus adjutor. *Tertia aſſertio eſt:* Religioſum verè contemnentem perfectionem, peccare mortaliter, in hoc etiam omnes conſpirant. *Quarta, & certiſſima eſt:* Teneri ſaltèm omnes Religioſos ad ea media perfectionis, quæ in ſingulorum regulis, & conſtitutionibus præſcribuntur.

Tract. de Vita ſolitar. cap. 2.

Secundum incitamentum. Quia nulla excuſatio reſtat Religioſis, cur ſuo ſtatui nequeant conformiter vivere. Ita *D. Bernardus*, dum ait: Nam de ignorantia Fratres, quænam excuſatio „nobis, quibus nunquam doctrina cæleſtis, nunquam Divina le„ctio, nunquam ſpiritualis eruditio deeſt? Quæcunque vera „ſunt, quæcunque pudica, quæcunque juſta, quæcunque amabi„lia, quæcunque bonæ famæ, ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplinæ, „hæc diſcitis & accipitis, hæc auditis pariter & videtis, in exemplis „videlicet & verbis eorum, qui inter vos ſunt perfecti, quorum „exhortatio, & converſatio pleniùs erudit univerſos. Utinam „autem hæc ut intellectum admonent, moveant & affectum; ne „ſit intùs amarisſima contradictio, & diviſio moleſtisſima, dum „hinc quidem ſurſum trahimur, ſed retrahimur inde deorſum.

Serm. 5. in Aſc. Domini.

Tertium. Quia convenienter Statui Religioſo viventes, mirabiles experiuntur effectus, ut patet ex dictis ejuſdem *Melli„flui Doctoris:* Nimirum *inquit ille*, advertere potes in omnibus „fere Religioſis congregationibus, viros repletos conſolatione, „ſuperabundantes gaudio, jucundos ſemper & hilares, ferventes „Spiritu, die ac nocte meditantes in lege DEI, crebrò ſuſpicientes

Ibidem.

in cœlum, & puras manus in oratione levantes, ſollicitos obſer-„ vatores conſcientiæ, & devotos ſectatores bonorum operum; „ quibus amabilis diſciplina, dulce jejunium, vigiliæ breves, labor „ manuum delectabilis, & univerſa denique converſationis hujus „ auſteritas refrigerium videatur.„

Quartum. Ipſa excellentia & multiplex bonitas Status ſui commonet Religioſum ad omne vitæ decorum. Breviter hoc bonum ſtatus Religioſi, enumerat citatus *S. Doctor* dicens: Bonum „ eſt nos hic eſſe: (*id eſt in Religione*) quia hic homo vivit puriùs: „ cadit rariùs: ſurgit velociùs: incedit cautiùs: quieſcit ſecuriùs: „ irroratur frequentiùs: purgatur citiùs: moritur confidentiùs: „ remuneratur copioſiùs. S. *Laurentius Patriarcha Venetus* de Religioſorum inſtitutis & fælicitate diſſerens, in hæc denique verba prorupiſſe fertur: *Conſultò DEVS gratiam Religionis hominibus occultavit: nam ſi cognoſceretur ejus foelicitas, omnes ad eam concurrerent.*

Serm. ad Fratres de Monte.

Surius Tom. I. in Vita.

Quintum. Ab exemplo mundanorum, quærentium peritura, ut tantâ ſollicitudine Religioſi quærant æternùm manſura, ſic diſcurrente ſæpe laudato *S. Doctore*: Quid enim totâ die ſuper „ id, quod videris habere, inſipienti cogitatione verſaris? eſto ma-„ gis ſollicitus, ut ſcias quid deſit tibi. Hoc enim melius. Utinam, „ Fratres, nos ſic eſſemus cupidi gratiæ ſpiritualis, quemadmodùm „ ſeculares homines pecuniæ temporalis. Debuimus, certè & „ multum debuimus vincere in bono malum, & tantò ampliùs de-„ ſiderare, quantò pretioſius eſt, quod deſideramus, ſed utinam „ vel æquales eſſe poſſimus. Magna enim confuſio, magna val-„ dè, quòd ardentiùs illi pernitioſa deſiderant, quàm nos utilia: „ citiùs illi ad mortem properant, quam nos ad vitam. Quanto „ ergo deſiderio pecuniæ crucietur avarus, quanto gloriæ appeti-„ tu ambitioſus exæſtuet, quàm violenter deniq; ſua trahat quem-„ que voluptas, quis explicet? Videas certè eos, quidquid adepti „ ſunt parvipendere, non attendere quanto labore & deſiderio ea „ vix tandem conſequi potuerunt: quoniam vileſcunt eis omnia „ præ deſiderio minoris fortè rei, quam alteri cœperint invidere.„

S. Bernard. Serm. 36. de perfect. Humilit.

Sextum. A Chriſto Domino abſolutisſima Idea in progreſſu perfectionis, qui *proficiebat Sapientiâ, & ætate, & gratiâ, apud DEVM & homines:* Deindè ſubditus Parentibus usq; ad 30. Annum obe-

Lucæ cap. 2.

dientem, pauperem, & abſconditam ſeu quaſi monaſticam id eſt ſolitariam vitam duxit: Tandem obediens usque ad Crucis patibulum, in illo pauper, nudus, & deſolatus, mortuus eſt. Tum ab exemplo Apoſtolorum; quorum unus, Doctor gentium inquit: *Non quod jam acceperim, aut jam perfectus ſim: ſequor autem ſi comprehendam, in quo & comprehenſus ſum à CHriſto JEſu. Fratres, ego me non arbitror comprehendiſſe. Vnum autem quæ quidem retro ſunt, obliviſcens: ad ea verò quæ ſunt priora extendens me ipſum ad deſtinatum perſequor, ad bravium ſupernæ vocationis DEI in Chriſto JESV.* Tum ab admirando & indefeſſo ſtudio perfectionis Fundatorum Religionum, & earum primævi fervoris. Quibus competit illud Eccleſiaſtici: *Laudemus viros glorioſos & parentes noſtros in generatione ſua.* Et infrà: *Homines magni Virtute & prudentiâ ſuâ præditi.* Et paulo poſt: *Homines divites in Virtute, pulchritudinis ſtudium habentes.* Et illud „apud *S. Joannem Damaſcenum*: Beati iſti, ac ter beati, ut qui DEI „amore flagrarunt, atque ob ipſius caritatem omnia pro nihilo „duxerunt. Siquidem lachrymas profuderunt, diuque ac noctu „in luctu verſati ſunt, ut perpetuam conſolationem adipiſceren„tur: ſeipſos ultrò depreſſerunt, ut illic in altum attollerentur. „Carnes ſuas fame, ac ſiti, & vigiliis confecerunt, ut illic Paradiſi „deliciæ, & exultatio ipſos exciperent. Seipſos mundo crucifi„xerunt, ut ad Chriſti dexteram ſtarent. Nam cum mentis ocu„lis præditi eſſent, horrendum illum diem ſemper proſpiciebant, „atque tum futurorum bonorum, tum futuri ſupplicii contem„plationem ita in corde defixam gerebant, ut ab ipſa nunquàm „divellerentur. Atque hic laborare ſtuduerunt, ut ſempiternæ „gloriæ compotes eſſent. Afferat hic Magiſter Spiritualis quisque in ſua Religione ſuorum Patrum fervorem, rigorem, perfectionem, ſanctitatem prout E. G. de primis Religioſis Claravallenſis Monaſt. S. Ordinis Ciſtercienſis monumenta ejusdem „Cænobii hæc breviter referunt: In Cæmiterio Abbatum conti„nentur etiam oſſa Monachorum, Converſorum, & Novitiorum, „qui in veteri Abbatia ſub Beatisſimo Patre Noſtro Bernardo, in „illis ſeculis aureis, in illo magno fervore, in illa ſancta pauperta„te, & auſteritate, primordialibus vixerunt, & feliciter obierunt.

Epiſt. ad Philipp. cap. 3.

Eccleſiaſt. cap. 44.

In Hiſt. B. Joſaphat cap. 12.

Henriqv: in Menol. Ciſtercienſi.

Quan-

Quando pulmentum eorum de fagorum foliis sæpiùs conficie- „ batur, & panis non tam furfureus quam terreus videbatur. „

Officia & Actus Status Religiosi videre licet ex dictis. Eorum tamen natura, proprietates, & praxis sub statu vitæ Activæ, Contemplativæ, & Mistæ, aliisque in locis enucleatiùs dilucidantur. Hìc interim seriò recolligat se quisque Religiosus, an Paupertatem, Castitatem, & Obedientiam observet secundùm Regulam & instituta sui Ordinis, aliaque specialia Præcepta propriæ Religionis. Sin ita, agat DEO gratias, & in melius proficiat: sin minùs; evigilet tandèm aliquandò è Lethargo animæ, & incipiat sine dilatione agere, quod agendum in æternum expediat.

SUBSECTIO II.

De Opposito Statui vitæ completo Religiosorum, seu Tendentium ad Perfectionem.

DIco Primò. *Ejusmodi oppositum, est permanentia in Vitiis paupertati, castitati, obedientiæ, earumq; accessoriis Virtutibus, tum aliis institutis Regularibus, contrariis, &c. ut supra. Accessoriæ Virtutes* hìc intelliguntur, sine quibus tria Vota vix servari queunt, suntque tanquam formæ accidentales, conservativæ formæ substantialis: Ut v. g. Castitas sine abstinentia, ac multiplici mortificatione, sine ferventi oratione, &c. facilè labitur. *Cap. 5. sec. 2.*

Porrò vitia Pseudo-Religiosorum in Conclusione subaudita Zelotes ille Christi D. *Bernardus* pleraque enumerat & perstringit in sui temporis Religiosis, quæ an & modò vigeant, quisque Superior suam Congregationem, quisque Religiosus suam personam consideret; & si repererit, radicitus extirpet; sin minus, DEUM benedicat. Dicit itaque præfatus S. Pater: Miror unde inter Monachos (*Religiosos*) tanta intemperantia in co- „ messationibus & potationibus, in vestimentis & lectisterniis, „ & equitaturis, & construendis ædificiis inolescere potuerit, qua- „ tenus ubi hæc studiosiùs, voluptuosiùs, atque effusiùs fiunt, ibi „ Ordo melius teneri dicatur, ibi major putetur Religio. Ecce „ enim parcitas putatur avaritia, sobrietas austeritas creditur, si- „ *S. Bernardus in Apologia de vita & moribus Religios.*

„lentium tristitia reputatur. Econtra remissio discretio dicitur, „effusio liberalitas, loquacitas affabilitas, cachinnatio jucunditas, „mollities vestimentorum & equorum fastus, honestas; lecto-„rum superfluus cultus, munditia. Cumque hæc alterutrum „impendimus, charitas appellatur. Ista charitas destruit cha-„ritatem; hæc discretio discretionem confundit; talis misericor-„dia crudelitate plena est, quâ videlicet ita corpori servitur, ut ani-„ma juguletur. Quæ enim charitas est, carnem diligere, & spi-„ritum negligere? Quæve discretio totum dare corpori, & ani-„mæ nihil? Qualis verò misericordia, ancillam reficere, & do-„minam interficere? Nemo pro hujusmodi misericordia speret „se consequi misericordiam, quæ misericordibus promittitur in
Matth. 5. „Evangelio, Veritatis ore dicentis: *Beati misericordes, quoniam ipsi „misericordiam consequentur.* Sed certissimè potiùs pœnam expe-„ctet, quam tali (ut ita dicam) impio misericordi sanctus Job ma-„gis prophetizando quàm affectando, imprecatur: *Non sit* inqui-
Job. 24. „ens *in recordatione, sed conteratur quasi lignum infructuosum.* Dignæ „planè retributionis causam mox subinfert satis idoneam dicens: „*Pavit enim sterilem & quæ non parit, & viduæ*(seu animæ)*non benefecit.* „Et paulo post S. Doctor ait: Sub hac tamen abusione jam ferè u-„biq; sic pro ordine tenentur, ferè jam ita ab omnibus sine querela „atq; irreprehẽsibiliter observãtur, quanquàm dissimiliter. Non-„nulli quippe his omnibus tanquam non utentes utuntur, & ideo „aut cum nulla offensa, aut cum minima. Aliquanti quippe hæc „agunt ex simplicitate, aliquanti ex charitate, aliquanti ex necessi-„tate. Quidam namque simpliciter ista tenent, quoniam sic eis „præcipitur, parati aliter agere, si aliter præciperetur. Quidam „autem ne discorditer vivant ab eis, cum quibus habitant: sectan-„tes in his non suam libidinem, sed aliorum pacem. Alii verò, „quia resistere non valent multitudini contradicentium, qui hæc „utique tanquam pro ordine, liberâ voce defendunt, & quoties „isti aliqua (prout ratio dictat) restringere vel mutare incipiunt, „illi mox totâ eis authoritate resistunt. Quis in principio cùm „Ordo incepit Monasticus, ad tantam crederet Monachos inerti-„am devenire? O quantum distamus ab his, qui in diebus Anto-„nii extitêre Monachi! Siquidem illi cùm se invicem per tempus

ex charitate reviſerent, tantâ ab invicem aviditate panem ani-„ marum percipiebant, ut corporis cibum penitùs obliti, diem ple-„ rumque totum jejunis ventribus, ſed non mentibus tranſigerent.„ Et hic erat rectus ordo, quando digniori parti priùs inſervieba-„ tur: hæc ſumma diſcretio, cùm ampliùs ſumebat, quæ major „ erat: hæc denique vera charitas, ubi animæ, quarum charitate „ Chriſtus mortuus eſt, tantâ ſolicitudine refocillabantur. *Nobis* „ *autem convenientibus in unum* (ut verbis Apoſtoli utar) *jam non eſt* „ *Dominicam coenam manducare.* Panem quippe cœleſtem nemo eſt „ qui requirat, nemo qui tribuat. Nihil de ſcripturis, nihil de ſa-„ lute agitur animarum, ſed nugæ, & riſus, & verba proferuntur „ in ventum. Inter prandendum quantùm fauces dapibus, tantùm „ aures paſcuntur rumoribus, quibus totus intentus, modum ne-„ ſcias in edendo.„ 1. Cor. 11.

Quæritur ad induendum non quod utilius, ſed quod „ ſubtilius invenitur, non quod repellat frigus, ſed quod ſuperbi-„ re compellat: non deniq; (juxta Regulam) *quod vilius comparari* „ *poteſt*, ſed quod venuſtiùs imò vaniùs oſtentari. *Infert deinde S.* „ *Pater de primitiva Eccleſia, quod dividebatur ſingulis, prout cuiq; opus erat*, „ *& dicit:* Non igitur quod quiſque pueriliter geſtire poterat.„ Sanè ubi tantùm quod opus erat accipiebatur, ibi nihil procul-„ dubiò ocioſum admittebatur; quantò magis nihil curioſum? „ quanto magis nihil ſuperbum? Quod inquit opus erat. Hoc „ eſt quantùm ad indumenta, quod & nuditatem tegeret, & frigus „ repelleret. Putaſnè ibi cuiquam galabrunum, aut iſſembrunum „ quærebatur ad induendum? cuiquam ducentorum ſolidorum „ mula parabatur ad equitandum? Putaſnè inquam, cujuſpiam „ ibi lectuli opertorium cattinum, aut diſcolor barricanus operie-„ bat, ubi ſingulis dividebatur tantùm, prout cuique opus erat? „ Non illic arbitror valde curatum fuiſſe de precio, de colore, „ de cultu veſtimentorum, ubi tam indefeſſum inerat ſtudium in „ concordia morum, animorum cohærentia, profectuque virtu-„ tum. *Multitudinis* inquit *credentium erat cor unum, & anima una.*„ Actor. 4.

Dico Secundò. *Incitamenta ad reformandam Vitam Statui Religioſo convenientem, hæc afferuntur. Primum.* Religioſum irreligioſè ſeu ſeculariter viventem, ſive perfectioni aſſequendæ minimè ſtu-

Subs. præc. dentem esse in statu æternæ damnationis, patet ex supradictis.
2.2. q. 89. a. 8. Ratio hæc addi potest: quia juxta D. Thomam *Votum graviùs quàm juramentum obligat.* Igiturcontra vota sua peccantes Religiosi gra-
„ viùs perjuris delinqvunt. Deindead sensum *Dionysii Ribelii* ci-
Lib. 1. Doctr. ascet. cap. 36. „ tati à *Nierenbergio*: Religiosi deformati, in quibus parva, aut nul-
„ la est rigoris, aut disciplinæ observantia, qui carnaliter vivunt, &
„ mundanis vanitatibus pl   it, otiositati, & loquacitati vacan-
„ t es, innumerabilia prorsùs incidunt vitia, non venialia solùm sed
„ & mortalia quoque; imo tota vita eorum est quasi quoddam
„ peccare continuum, præsertim, quia & hæc ipsa bona quæ age-
„ re videntur, tam negligenter, irreverenter & tepidè, tam inordi-
„ natè agunt, ut magis sit offensivum DEI, quàm honorativum, ac
„ reconciliativum ipsius. Tales enim qui in fæcibus suis jugitèr
„ manent, qualiter confitentur, qualiter celebrant, qui se in nullo
„ emendant; imo de multis, quæ mortalia sunt, nullam sibi con-
In Homil. ad Monach. „ scientiam facere comprobantur? *Confirmat* id ex *Eusebio Emisse-*
„ *no*, qui ait: Venire quidem ad claustrum summæ perfectionis
„ exordium est; sed non perfectè in monasterio vivere summa
„ damnatio est. *Iterum inquit*: Habet hoc infelix consvetudo pec-
„ candi, ut quantò ampliùs quis peccaverit, tantò minùs peccata
„ ipsa intelligat, & tantò plùs eum peccare delectet, ut eveniat illi,
Psalm. 9. „ quod ait Propheta: *Non est DEVS in conspectu ejus. Auferuntur ju-*
„ *dicia tua à facie ejus.* Et *S. Augustinus* simile quid habet ad Clerum
Epist. 137. „ & populum Hipponensem dicens: Sicut non vidi meliores his,
„ qui in claustris profecerunt, ita non vidi deteriores his, qui in
S. Hier. in Reg. „ claustris virtuosè se habere non studuerunt. Imò, *S. Hieronymus*
„ in regula sua testatur: sine spirituali charitate, quæ sine humili-
„ tate, mansuetudine, patientia, jûstitia, aliisque virtutibus non ha-
„ betur, claustra sunt tartara, & habitantes in eis sunt Dæmones;
„ cum charitate verò sunt paradisus in terris, & habitatores sunt
„ Angeli.

2.2. quæst. 184. art. 4. ad 2. *Secundum.* Religiosum irreligiosum esse simulatorem, seu hypocritam & mendacem asserit D. Thomas: *Non committit aliquis mendacium vel simulationem ex hoc, quod aliquis non est perfectus, qui statum perfectionis assumit, sed ex eo, quod ab intentione perfectionis animum revocat.*

Tertium.

Tertium. Quia vita Religiosi vitiosa & ingratitudo abigit repellitque gratiam DEI Audi *S. Bernardum*: Sed væ tibi! si forte „ vitiis & peccatis perniciosior successerit ingratitudo. Quid e- „ nim tam evidenter gratiæ adversatur? Tepescimus successu „ temporis à fervore conversationis nostræ, paulatim refrigescit „ charitas, abundat iniquitas, ut consummemur carne, qui spiritu „ cœperamus. Inde enim est ut minùs ea sciamus, quæ à DEO „ donata sunt nobis, indevoti pariter & ingrati. Timorem Do- „ mini relinquimus, religiosam omittimus solitudinem; verbosi, „ curiosi, faceti, etiam detractores & murmuratores, vacantes nu- „ gis, fugientes labores disciplinæ, quoties sine nota id licet; quasi „ verò confestim sit etiam sine nota. Quid ergo tantis repulsam „ obstaculis gratiam nobis deesse miremur? *Et alibi*: Hinc mihi „ Fratres tristitia magna, & dolor continuus est cordi meo, quòd „ nonnullos tam pronos ad levitatem, & risum, & ad scurrilia ver- „ ba tam faciles video: ut pertimescam valde, ne fortè plùs quàm „ expediat Divinæ misericordiæ sint immemores, & ingrati tam „ multis beneficiis suis, aliquando deserantur à gratia, quam non „ ut gratiam venerantur. Nam de eo quid dicemus, qui in mur- „ mure & impatientia obstinato obduratur animo, aut quem pœni- „ tet adhæsisse DEO, & contra morem, & contra rationem bonum „ factum pœnitentiâ comitatur, qui sine dubio miserationibus „ DEI non modò non habet gratiam, sed contumeliam reddit? „ Omnino enim quantùm in se est, parum honorat eum, à quo vo- „ catus est, quisquis ei servit in tristitia & rancore; si tamen servi- „ re ei quis potest in ea tristitia, quæ secundùm carnem est, & mor- „ tem operatur. Putas ergo, quia major illi detur gratia, & non „ magis etiam quod videtur habere, auferatur ab eo? Nonne e- „ nim jure perditum reputatur, quod ingrato donatum est? Aut „ dedisse non pœnitet, quod periisse videtur?

S.Bern.Serm. 3. in Annunc. Domini.

S.Bern.Serm. 2. Dom. 6. post Pentecost.

Quartum. Quia irreligiosi in sui Ordinis laboribus & oneribus desolati, prægustant in præsenti infernum. Unde verò hæc desolatio, ac quomodò ei obviandum mellifluo stylo *S. Bernardi* accipe, qui ait: Non dubito ego intellectum omnium, „ qui estis, illuminatum esse, sed non affectum æque esse purga- „ tum, manifestis approbo conjecturis. Omnes quod bonum est, „

S.Bern.Serm. 3. in Ascens. Domini.

noſtis

„ noſtis, & viam, quâ incedere, & quomodo in ea incedere debea-
„ tis, ſed voluntas non una eſt. Quidam enim ad omnia viæ
„ & vitæ hujus exercitia non ſolùm ambulant, ſed & currunt, imo
„ potiùs volant, ut eis & vigiliæ breves, & cibi dulces, & panni ſva-
„ ves, labores non ſolùm tolerabiles, ſed & appetibiles videantur.
„ Alii autem non ſic, ſed corde arido & affectione recalcitrante,
„ vix trahuntur ad hoc, vix gehennali timore compelluntur: quos-
„ dam nec compellimus quidem, quibus frons mulieris meretricis
„ facta eſt, & nolunt erubeſcere. Sunt iterum multi inter eos, qui
„ de uno pane comedunt nobiſcum, cantant nobiſcum, laborant
„ miſeri & miſerabiles, utpotè ſocii tribulationis, ſed conſolatio-
„ nis non ita. Nunquid abbreviata eſt manus Domini ut omni-
„ bus donare non posſit, qui aperit manum ſuam, & implet omne
„ animal benedictione? Quid ergo in cauſa eſt? illud omni-
„ no quia non vident Chriſtum, cùm tollitur ab eis, id eſt, non co-
„ gitant, quomodò eos orphanos reliquerit, quòd peregrini &
„ advenæ ſint ſuper terram, quòd tamdiu fæculenti corporis hor-
„ rido carcere teneantur, & non ſint cum Chriſto. Hujusmodi
„ autem ſi diu permanſerint ſub onere, aut opprimuntur, aut ſuc-
„ cumbunt, aut quoddammodo in inferno ſunt, ut nunquàm ad
„ plenum reſpirent in lucem miſerationum Domini, nec in liber-
„ tatem ſpiritus quæ ſola facit jugum ſvave, & onus leve. Indè au-
„ tem tam pernitioſa tepiditas emanat, quia affectus, id eſt voluntas
„ eorum nondum purgata eſt, nec bonum ſic volunt, ſicut nove-
„ runt, à propria concupiſcentia abſtracti graviter & illecti. A-
„ mant enim in corde ſuo terrenas conſolatiunculas, ſive in verbo,
„ ſive in ſigno, ſive in facto, ſive in aliquo alio, & hæc interrum-
„ punt aliquandò, non tamen penitus rumpunt. Indè eſt, quòd
„ rarò affectiones ſuas dirigunt in DEUM, & eorum compunctio
„ non continua, ſed horaria eſt. Impleri autem viſitationibus Do-
„ mini anima non poteſt, quia abſtractionibus ſubjacet; quantò
„ magis his evacuabitur, tantò ampliùs illis implebitur. Si mul-
„ tùm, multùm; ſi parùm, parùm; vel certè ſi magis probas; nun-
„ quàm iſtæ illis miſceri poterunt in æternum, quia ubi vaſa vacua
„ non invenit, oleum ſtare neceſſe eſt: Non mittunt vinum novum
„ niſi in utres novos, ut ambo conſerventur. Neque enim ſpiri-

tus

ctus & caro, ignis & tepiditas in uno domicilio commorantur,,, præsertim cum tepidus ipsi Domino soleat vomitum provocare.,, Sic etiã Apostoli adhuc carni Dominicæ inhærentes, quæ sola sancta quia Sancti sanctorum, erat, Spiritu Sancto repleri nequiverunt, donec tolleretur ab eis; tu carni tuæ, quæ sordidissima est,,, diversarũ spurcitiarũ phantasiis repleta adstrictus & conglutinatus, illum meracissimum Spiritum te putas suscipere, nisi carneis,,, istis consolationibus funditùs renunciare tentaveris? Revera,,, cùm inceperis, tristitia implebit cor tuum: sed si perseveraveris,,, tristitia tua convertetur in gaudium. Tunc enim purgabitur,,, affectus, & voluntas renovabitur, vel potiùs nova creabitur,,, omnia quæ primò difficilia imo impossibilia videbantur, cum,,, multa percurrentur dulcedine & aviditate: *Emitte*, inquit, *Spiritum tuum & creabuntur, & renovabis faciem terræ.* Sicut per faciem,,, exterior homo cognoscitur, sic per voluntatem demonstratur interior. Emisso ergo Spiritu creatur & renovatur facies terræ,,, id est terrena voluntas fit cœlestis, parata ad nutum citiùs obedire.,, Beati qui tales sunt, qui non solùm malum non sentiunt, sed in mira quadam cordis dulcedine commorantur. De illis enim quos,,, supra commemoravimus, terribiliter ait DEUS: Non permanebit Spiritus meus in hominibus, quia caro sunt, id est carnales,,, & quidquid in eis Spiritûs fuerat, in carnem evanuit. *Idem alibi.*,, Contra sanè invenire est homines pusillanimes, & remissos, deficientes sub onere, virgâ & calcaribus indigentes, quorum remissa,, lætitia, pusillanimis tristitia est, quorum brevis & rara compunctio, animalis cogitatio, tepida conversatio; quorum obedientia,,, sine devotione, sermo sine circumspectione, oratio sine cordis,,, intentione, lectio sine ædificatione, quos denique (ut videmus),,, vix gehennæ metus inhibet, vix pudor cohibet, vix frænat ratio,,, vix disciplina coërcet. Non tibi horum vita inferno penitus,,, appropinquare videtur; dum intellectui affectu repugnante, necesse habent mittere manum ad opera fortium, qui cibo fortium,,, minimè sustentantur? Socii plane tribulationis, sed non consolationis. Exurgamus obsecro quicunque ejusmodi sumus, resarciamus animas, Spiritum recolligamus, abjicientes perniciosam tepiditatem, etsi non quia periculosa est, & DEO solet (ut in-,,

Psalm. 103.

S. Bernard. Serm. 5. in Ascen. Domini.

„ terdum miserabiliter plangimus) etiam vomitum provocare:
„ certè quia molestissima, plena miseriæ, & doloris, & inferno
„ planè proxima, umbra mortis jure censetur.

Quintum. Quia quod in Seculari levis nævus, hoc in Religioso est gravis macula censore *S. Gregorio Nazianzeno*, dum in-
„ quit: Illud velim ne ignores, rugam unam tibi turpiorem esse,
„ quàm maxima vulnera iis, qui in mundo vivunt. Neque enim
„ tam notabilem, ac conspicuam in sordidis, quàm in puris unius
„ coloris vestibus, labes aliqua fœditatem habet.

Sextum. Quia inertes tepidique Religiosi morem indu-
„ unt asini. Ita *S. Bernardus* inducens ordinem Processionis
„ Christi Domini in Dominica Palmarum dum ait: Ipsum quo-
„ que jumentum cui insidebat, non defuit, quod designat duros
„ corde, & animo quoddammodo bestiales. Verùm non fuit a-
„ nimalium ibi hujusmodi copiosior multitudo, nec oportuit. Ta-
„ les enim magis oneri sunt quam honori, nec propter eos Proces-
„ sio valdè gloriosior est. Hujusmodi namque cantare non no-
„ runt, sed malè sonoros dant rugitus. Ipsi sunt, qui virgâ sem-
„ per & calcaribus egent. Sed si qui tales sunt hìc, quibus gravis
„ sit Ordo, & omnia onerosa: quos pungi frequenter oporteat &
„ urgeri: obsecramus eos, ut studeant de jumentis, si fortè que-
„ ant, in homines commutari, & computari inter eos, ut aut de
„ præcedentibus, aut de adhærentibus & de collateralibus, aut de
„ sequentibus sint. Quodsi non faciunt, obsecro ut vel in eo quod
„ sunt permaneant, & patienter interim ferant quæ salubria sunt,
„ etsi minùs svavia, donec complaceat Domino respicere humili-
„ tatem eorum, & in melius aliquid eos promovere.

S. Bernard. Serm. 2. Dom. Palmar.

Septimum. Quia irreligiosos præ secularibus gravius expe-
„ ctat judicium, & quare, docet *S. Bernardus*; Et ego dico vobis si
„ minùs boni in secularibus invenerit, majorem in eis Dominus
„ habiturus est patientiam, quàm in nobis, quibus cælestium con-
„ solationum pluviam voluntariam segregavit, quibus non sarcu-
„ lus disciplinæ, non paupertatis & vilitatis stercora defuerunt.
„ An non stercora sunt abominationes, *(id est bona mundi)* Ægyptio-
„ rum, quas immolamus DEO nostro, stercora planè vilia ad aspe-
„ ctum, sed ad fructum utilia. *Et paulo post.* Terrenum habenti-

S. Bernard. Serm. 2. in Festo SS. Petri & Pauli.

bus ſterquilinium ipſa quoque cæleſtis non deeſt pluvia, quæ eſt,, orationum devotio, jucunda ruminatio pſalmodiæ, dulcis medi-,, tatio, conſolatio ſcripturarum. Denique & hæc ipſa pluvia eſt,, quam accipitis per os meum, ſi quando de flumine, cujus impe-,, tus lætificat Civitatem DEI, & torrente voluptatis illius aliqua,, ſuper vos, dum de eis loquimur, ſtillicidia ſtillare contigerit.,,

Octavum. Quia laxantes Ordinis diſciplinam citò grave judicium DEI portabunt, & vitia inducentes in Congregationem ſunt Proditores Caſtrorum DEI, exquiſitis cruciandi tormentis. Sic affirmat *mellifluus Doctor*: Omnino proditorem ſeſe noverit,, ſi quis forte (quod abſit) vitia, quælibet in hanc domum, cona-,, tur inducere, & templum DEI ſpeluncam facere dæmoniorum.,, Gratias DEO, non multos hìc invenimus hujusmodi, ſed tamen,, deprehendimus interdum, fortè nonnullos, qui colloquantur,, hoſtibus, & paciscantur fœdus cum morte, hoc eſt moliuntur,, (quod in eis eſt) imminuere Ordinis diſciplinam, intepeſcere,, fervorem, turbare pacem, lædere charitatem. Verùm nos qui-,, dem caveamus ab eis, quantùm poſſumus: ſicut ſcriptum eſt de,, quibusdam; JESUS autem non ſe credebat eis. Dico autem,, vobis, quia licet portentur modò, ſed portabunt citò grave ju-,, dicium, niſi ſe citiùs emendaverint, ſicut grave damnum moli-,, untur inferre. Quid enim frater? vanitati aut tepiditati, ſeu,, cuilibet alteri vitio fidem ſervas operibus, & DEO per tonſuram,, mentiris? Optimum certè caſtrum tuliſti Chriſto, ſi inimicis,, ejus tradideris Claram vallem. Optimos inde ſingulis annis &,, pretioſos in oculis ſuis reditus accipit, & prædam multam, quam,, hoſtibus eripit, in hunc munitionis ſuæ locnm ſolet inducere, &,, habet fiduciam multam in fortitudine ejus. Ecce enim quos,, redemit de manu inimici, & de regionibus congregavit eos, à,, ſolis ortu, & occaſu, ab aquilone & mari. Quibus ergo prodi-,, torem caſtri hujus, poſtquàm deprehenſus & comprehenſus fu-,, erit, (neque enim latere aut fugere poteſt) quibus inquam putas,, exponendum eſſe ſuppliciis? Non utique communi cæterorum,, morte damnabitur, exquiſitis illum neceſſe eſt interire tormen-,, tis. Sed non modò plus immoror circa iſta, credo meliùs dein-,, ceps ab hac execrabili proditione cavebimus ſtudentes de cætero,,

S. Bernard. ſerm. 3. in dedicat. Templi.

„ majori sollicitudine, non attrahere, sed repellere vitia, quæcun-
„ que illa sint, seu carnalia, seu etiam secularia, ne proditorum no-
„ tam, vel pœnam incurrere mereamnr.

Nonum. Quia Irreligiosi major est damnatio in Monasterio quam si mansisset in seculo: Ita S. *Bernardus* asserit: Væ homi-

S. Bernard. serm. 2. in festo S. Michaelis.

„ ni illi per quem scandalum venit. Bonum erat ei, si natus non
„ fuisset homo ille. Natus sanè denuo, natus ad vitam, natus de
„ Spiritu, qui nimirum Carne postmodùm consummatur. Expedit
„ ei (si quis est) qui scandala suscitat in hac domo, in hac Sancta
„ DEO placita, & Angelis ejus admodum grata ac familiari con-
„ gregatione, ut suspendatur in collo ejus mola asinaria, & pro
„ svavi jugo & levi onere Salvatoris, gravi mole terrenæ cupidita-
„ tis humeris ejus impositâ, demergatur in profundum maris hu-
„ jus magni & spatiosi manibus, quod est sine dubio seculum ne-
„ quam. Minùs enim damnabile erat ei in seculo magis perire
„ quàm in monasterio. Perire siquidem necesse est hominem,
„ qui charitatem non habet, etiamsi tradiderit corpus suum, ita ut
„ ardeat.

Dionysius Exig: Abb. Rom: in Vita S. Pachom.

Decimum. S. Pachomio apparuit de Religiosis visio ejusmodi: *Vidit sicut ipse narravit, multitudinem Monachorum in valle quadam profunda satis atq; caliginosa consistere: & alios exinde velle conscendere, nec valere, quia occurrebant ex adverso sibi, nec invicem dignoscere poterant, nec de profundo illo & tenebroso loco prorsus emergere. Alios autem frustra conatos præ lassitudine ruere, atq; ad inferos pervenire: alios autem jacentes miserabili ac lacrymosâ voce deflere: nonnullos verò cum maximo labore conscendere, quibus ascensu ipso lux protinus occurrebat, in qua constituti referebant DEO gratias, quod evadere potuissent.* Hæc visio S. Pachomii. Ex qua colligit *Bellarminus*, primum Principium relaxationis Regularium esse cœcitatem mentis, ut idem Pachomius interpretatur. Ideo enim dicitur multitudo monachorum visa esse in valle profunda, tenebrosa & caliginosa; quia multitudo ex monte perfectionis cecidit ad vallem profundam nimiæ relaxationis, comitante eos caligine mentis: non enim duxit eos stella ad præsepium Christi, id est non traxit eos Divina vocatio ad humilitatem Christi sectandam; sed carnalis sensûs, qui mentem excœcat, duxit illos vel ad vitam commodiorem, cùm essent pauperes; vel ad honores ambiendos

Bellarm. de Gemitu Columbæ, 2. c. 6.

in Religione, cùm in ſeculo non invenirent, quâ viâ poſſent aſcendere; vel alio aliquo humano conſilio veſtem ſanctam induerunt, ſed mores non mutaverunt. Et quid mirum, ſi multi veſtem religioſam induunt, & mores religioſos non induunt, cùm non Spiritus Domini, ſed carnalis ſenſus eos ad Ordinem Religioſum duxerit? Et unde contentiones pro præfecturis, & inimicitiæ ac rixæ in domo DEI, quæ eſt domus pacis, niſi quia plurimi non miſſi ſunt ab eo, qui dixit: *Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde?* Qnare ſi ii, qui præſunt Ordinibus Religioſis velint Ordinem ſuum reformare, & ex valle ad montem ducere, oportet eos diligentisſimè vigilare in exploranda vocatione eorum qui habitum petunt, nec tantùm verbis explorare interrogando, ſed etiam factis exercendo Novitios ſuos longo tempore in mortificatione pasſionum. Sed pergamus in explicanda viſione Pachomii. In valle illa profunda quatuor Monachorum genera S. Pachomius vidit: Primum eſt eorum, qui conabantur aſcendere, ſed impediebantur ab iis qui illis occurrebant, qui inter ſe non noverant. Hoc ſignificat, non deeſſe in Ordinibus relaxatis, qui cupiant aſcendere ad montem perfectionis: ſed impediuntur malis exemplis aliorum, qui verbis & factis à bono propoſito reſilire quodam modo cogunt. Dicuntur autem iſti non ſe invicem cognoſcere, quia putantur amici & fratres, & ſunt hoſtes & inimici. *Matth. II.*

Alterum genus eſt eorum, qui multum laborant in aſcendendo, ſed brevi fatigantur, & corruunt uſque ad inferos. Id verò ſignificat inveniri etiam in Ordinibus relaxatis, qui non ſolùm cupiant aſcendere ad perfectionem, ac plenam regulæ obſervantiam; ſed etiam incipiunt laborare in ſuperandis tentationibus, & extingvendis concupiſcentiis: ſed victi antiquâ conſvetudine, tandem reſiliunt à bono propoſito, & ad ſempiternum interitum ruunt.

Tertium eſt eorum, qui jacentes gemunt ac plorant, id eſt, qui nec conantur quidem ad montem aſcendere, & cum exultatione cantare canticum graduum; ſed jacent in ſterquilinio ſuo torpentes, & asſiduè gemunt ac plorant non peccata ſua, ſed pau-

pertatem

pertatem, vel ignominiam, vel labores, ad quos inviti à Præfecto coguntur. O vitæ genus miserabile! isti sine Divina consolatione affliguntur, & sine bono merito laborant, & sic transeunt à labore ad dolorem, & à mortificatione temporali ad mortem sempiternam: qui si vellent ea, quæ patiuntur inviti, libenter pro Christo pati; jugum svave & onus leve experirentur in terris, & ingens præmium lucrarentur in Cœlis.

Quartum genus eorum est, qui seriò, & invicto animo aggrediuntur ascensionem de valle lacrymarum ad montem Divinæ consolationis, & omnes difficultates forti animo superant, ac tandem ad mortem usque, perfectionem vitæ sectando, perseverant. Istis occurrit lux copiosa, quia paulatim purificatur cor eorum à nebulis errorum, & cognoscitur veritas, & veritas liberat. Sic enim loquitur Dominus: *Cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos.* Qui enim purificante & illuminante Domino incipit intelligere, nihil esse verè magnum nihil verè suave nihil verè utile hominibus, nisi gratiam DEI in hac mortali vita, & in futura vitam æternam; liberatur facilè ab amore & timore mundano, & ingreditur viam pacis, per quam ambulat securus & gaudens, donec perveniat ad Civitatem Sanctam Jerusalem Cœlestem. *Hæc Bellarminus.*

Joan. 8.

In Vita S. Magdalenæ de Paz.

Vndecimum incit. S. Magdalenæ de Pazis in exstasim raptæ Dominus plurimum numerum animarum ostendit, quæ tanquam irretentibilia fulmina in profundum inferni tumultuariè violenterque cadebant. Responsumq; ei, quòd hæ fuissent personæ religiosæ, quæ vivendo juxta placitum in Claustris non observarint vota promissa DEO, & præcipue votum paupertatis religiosæ, propterea sunt damnatæ ad pœnas æternas. Insuper & propterea, quòd habitu religioso tantùm ad vanitatem & levitatem usæ fuerint, non servantes in illo modestiam & decentiam religiosam. Ex tali visione, plena cordiali dolore Magdalena, magno conatu affectus clamabat. O quantò meliùs factum fuisset, si hæ animæ mansissent in seculo! quàm manentes in Religione, non id servassent, quod solemnibus votis jurarunt DEO. Quoniam hoc ipso æternâ dignæ factæ sunt pœnâ & incessabili tormento. Imo quòd perfectioni non studuerint Religiosi, audi quid mereatur di-

cente *venerab.* Joanne *à S. Samsone.* Existimo nos fore profundiùs humiliandos & confundendos ex eo, quòd perfectionis operibus non vacaverimus in statu Religionis, quàm pro omnibus peccatis vitæ nostræ in mundo transactæ. *Theorem: spirit. de vocat. ad stat. relig.*

Duodecimum. Exemplum ethnicorum Religiosorum confundens quosdam perversos Religiosos Christianorum, ad eorum in die tremendi judicii profundiorem damnationem. *Laurentius Beyerlinck* hæc refert: Turci habent Religiosos multos habitu exteriori differentes, & arte diabolicâ miranda facientes: quibus rebus miseram plebem decipiunt. Quidam incedunt nudi, operientes verenda tantùm: tantam præseferentes patientiam, ut impassibiles, neque hyemis sævitiam in frigore, neque æstatis ardorem in calore sentiant: stigmata, cicatrices, incisiones cutis, ulcerationes æque ferentes, si quis faciat, insensibiles penè. Quidam eò deveniunt abstinentiæ, & tantam induunt perfectionem, ut rarissimè cibum ac potum, nonnunquàm penitus sine cibo & potu degant. Alii magnam paupertatem professi nil de terrenis rebus cogitant, nec in crastinum aliquid reservant. Alii rursus perpetuum silentium tenent ut muti, Czamular dicti, nullam cum hominibus conversationem habentes, ac ne provocati quidem summis injuriis ac tormentis ad loquendum cogi possunt. Nonnulli centonibus variegati paupertatem repræsentant. Varios quoq; habent vivendi ritus. Aliqui inter homines conversantur; alii seorsùm congregati in modum villæ; plerique in nemoribus ac locis desertis. Quidam in civitatibus aquam bajulant in utribus, ad bibendum optimam, nihil inde mercedis exposcentes, sed hospitalitatis officium exhibentes. Habitant aliqui circa sepulchra mortuorum, & ex oblationibus populi vivunt. Sunt qui Czosilar appellantur, quasi meditativi vel spiritualibus exercitiis dediti. *Hi quasi* successores Prophetarum, & Patrum, qui hanc *sectam* fundarunt, magnæ auctoritatis habentur; traditiones Patrum allegantes, & per meritum homines salvari asserentes sine gratia & lege, (quod Pereketallach vocant) intenti orationibus particularibus, exercitiis spiritualibus, vigiliis & meditationibus. Nunquàm enim orationem intermittunt continuam, quam ipsi Izillaraitmach vocitant. *Cuspin.* Hæc *Beyerlinck.* Væ! væ! væ! Christianis *Beyerl: in Theat: vit: hum:*

anis

anis Religiosis irreligiosis, acediosis. Cur in impia gentilismi secta plùs valet dœmon & natura, quàm in sanctissima fide Christi quoad improbos Religiosos DEUS & gratia? quia illi instinctibus naturæ & immundi spiritus morem gerunt, isti Spiritum S. cum gratia â se abigunt. Evigilate, evigilate, obcœcati, obdurati ex abysso perditionis vestræ.

§ I.

PRAXIS reformandi vitam irreligiosam, est illam conformare ad Vota, Regulas, pias consvetudines sui Ordinis, per actus vitæ activæ, vel contemplativæ, vel mistæ. *Bellarminus* ostendit ut Ordo Religiosus reformetur ad primam suam originem seu institutionem sex bonis ipsi esse opus, nimirum Humilitate, Paupertate, Castitate, Obedientia, Studio orationis, & Perfectione charitatis.

Vide fusiùs de gemitu Columbæ lib. 3. c. 6.

Porrò P. *Joan. Lezana Carmel.* in *Praxi* reformãdi vitã irreligiosam, & conservãdi Religiosã, hæc media à nobis in compendiũ redacta; in lib: tit. Disciplina Monastica proponit. Cùmprimis juxta „ D. *Dionysium Carthusianum*, quo major est Reformatio Communi-„ tatis, eò ampliùs dependet à DEO, & tantò plùs necessarium est „ speciale subsidium directionis, & cooperationis Spiritus Sancti. „ Abbas ergo sive Superior ad Reformationem suorum subdito-„ rum verè & ordinatè volens procedere, inprimis humiliet se „ profundissimè coram DEO, propriam insufficientiam, totis præ-„ cordiis confitens, adjutoriumque Divinum lacrymosè, affectu-„ osissimè, & indesinenter exorans, ut se illuminet, dirigat, & „ confortet ad exhortandum salubriter, ad agendum exemplari-„ ter, ad consummandum feliciter; subditorumque corda digne-„ tur misericordissimè intueri, mollificare, & aperire ad audien-„ dum, & consentiendum, ad perficiendum quod eis suadetur, & „ dicitur & ad quod tenentur. Deinde potens sit in op ere, exemplo reformandis prælucendo, tum potens ac frequens sermone publicè & privatim exhortando, per Novissima quatuor ad Timore & Spem excitando, Amorem Divinum convenientibus motivis instillando, obligationem status Religiosi monstrando, pericula

D. Dion: carthu: de refor: Claus: c. 11.

Pſeudo-Religioſorum horrenda indigitando,&c: Tum ita concitatis in bonum animis, Media evadendi æternitatis mala & conſequendi bona, ſequentia proponendo.

Media in reformatione Religioſorum adhibenda.

PRimum Medium: *Orationis Exercitium.* Hinc *Seraphicus Doctor* ait: Revera Religioſus orationem aſſiduè non „ frequentans non ſolùm eſt miſer & inutilis; quin imo co-„ ram DEO fert animam mortuam in corpore vivo. *Alibi quoque ſic* „ *fatur:* Vita Religioſi ſine ſtudio devotionis internæ, ſicut favus „ ſine melle, ſicut murus abſque temperamento, & ſicut cibus abs-„ que condimento. *Et rurſus infra:* Omnis Religio arida, & im-„ perfecta eſt, & ad ruinam promptior, quæ Spiritum Divinæ ſva-„ vitatis non quærit, & præcipuum conamen ad ſtudium internæ „ pietatis non impendit. *Nec ſui oblitus eadem ferè repetit alio in loco ſic* „ *dicens:* Cavenda eſt perturbatio ſtudii devotionis, ex qua fulci-„ tur omnis vera Religio, & omne virtutis exercitium impingva-„ tur. Arida eſt omnis Religio, quæ non oleo iſto ſaginatur. In-„ ſtabilis eſt bonorum operum ſtructura, quæ devotæ Orationis „ frequentiâ non compaginatur: Sicut paries lapidum ſine cæ-„ mento. In omni Religione ubi Devotionis fervor tepuerit, e-„ tiam aliarum virtutum machina incipit deficere, & appropin-„ quare ruinæ. Quare ſuperiores Religioſorum omnibus viri-„ bus adnitantur, ut illis dulceſcat oratio mentalis, & vocalis; eaque cum fructu frequentetur, ita enim reformati ab intra, facilè omnem reformationem recipient ab extra.

S. Bonaven: de perfectio: vitæ c. 5.
Idē in opuſc. de pro: Rel: lib. 7. c. 11.
Idem in lib. de ſex alis ſeraph. c. 3.

De Meditatione, Oratione, Contemplatione *vide infra in 1. 2.*

Secundum Medium: *Obſervantia Regulæ, & Conſtitutionum, etiam in minimis.* Audi *Mellifluum Doctorem* dicentem: Ro-„ go vos fratres & multum obſecro, ſic agite, & ſic ſtate in Domi-„ no dilectiſſimi, ſolliciti ſemper circa cuſtodiam Ordinis, ut Or-„ do cuſtodiat vos. *Et S. Bonaventura dum ait:* Optima Religioſi „ perfectio eſt, perfectè communia quæque Conventualia ſervare „ *Item:* Cum diſciplina negligitur, inſolentiæ creſcunt, ac per hoc „ negli-

D. Bernardus epiſt. 321.
In ſpec: diſcipl.

dem in epist. „ negligentia circa exercitationem virtutum exterius procedit in „ scandalum, per eorum patentem ruinam, qui stare videbantur in „ oculis aliorum. Ex quo fit; ut Sanctæ Religionis splendor præ- „ fulgidus in pallorem degeneret, sanctitatis pulchritudo sorde- „ scat, bonæ opinionis odor computrescat, & nomen Domini blas- „ phemetur. *S. Antoninus Florentinus* plurium Religionum mise- rabilem casum referens, dum lamentabilis hujus ruinæ causam tradit, non aliam assignat, nisi minimarum traditionum, & obser- „ vantiarum contemptum, his verbis: Præfatæ Religiones, quæ „ cum magno fervore, & vitæ sanctimonia initium habuerunt, „ minima negligentes traditionum paternarum, in processu tem- „ poris paulatim defluxerunt, & exinanitæ sunt usque ad funda- „ mentum in eis. *Hæc ille.* Ergo Superiores zelosi & discreti, zelent ut minima quoque observentur, negligentes puniant, discretè ta- men, ut etiam nonnulla dissimulent. Ne quid nimis per defe- ctum, vel excessum.

D. Anto: 2. P. t. 1. § 2. c. 23.

Tertium Medium: *Amor Solitudinis.* Etenim si quod vitium Religiosorum nostri & præteriti seculi bonos mores cor- rumpere, fervorem extingvere aut bonam famam perdere potuit, nimia est, superflua prorsus impertinens, & vana extra Monaste- ria vagatio, & per vicos ac plateas Civitatum inquieta circuitio. Nihil magis perfectioni regulari adversum, fini Religiosi status contrarium, honorique Religionum oppositum credo imaginari posse. Si hoc ad Tartara truderetur vitium, cuncti Regulares gravi non urgente causâ Cænobiorum cellis (ut multi ex eis faci- unt) addicti forent, facilè crederem, in pristino nitore Religio- nes omnes esse posse. Hinc etenim Orationis juge exercitium manaret, vitaretur otiositas, & regularis observantiæ amor stu- diumque, in dies magis ac magis succrescens, Cælum usque per- tingeret. Manifestâ quoque innotesceret experientiâ, Sanctos, piosque Religiosos (quorum numerosa pars in Religionibus cer- nitur) ideo tales esse, quòd Monasterii claustra, cellasque assiduè colant. At quantum detrimentum Religionibus, Vagi, Errones, Deambulatoresque regulares (si qui sunt) pariant, ex Patribus advertere licet in sequentibus. Audiatur primus celeberrimus ille primitivæ Ecclesiæ monachus monachorumque Sanctissimus

Archimandrita, Abbas *Antonius*, de quo celebris illa sententia habetur: *Monachus extra Cellam, aut solitudinem, est sicut piscis extra aquam.* Addo *aurea verba Authoris* opusculi vitæ solitariæ ita dicentis: „ Cella autem nequaquam debet esse reclusio necessitatis, sed do- „ micilium pacis, ostium clausum, non latebræ, sed secretum. „ Cum quo enim DEUS est, nunquàm minus solus est, quàm cùm „ solus. Tunc enim liberè fruitur gaudio suo, tunc ipse suus est „ sibi ad fruendum DEO in se & se in DEO. Tunc in luce veritatis, „ in sereno mundi cordis, ultro patet sibi pura conscientia, & libe- „ rè se infundit affectæ de DEO memoriæ: & vel illuminatur in- „ tellectus, & bono suo fruitur affectus; vel se ipsum deflet, hu- „ manæ fragilitatis defectus. Propter hoc secundùm formam „ propositi vestri habitantes in Cælis potiùs quàm in Cellis, ex- „ cluso à vobis toto seculo, totos vos inclusistis cùm DEO. Cellæ „ siquidem & Cæli habitatio cognatæ sunt, quia sicut Cælum, & „ Cella ad invicem videntur aliquam habere cognationem nomi- „ nis, sic & pietatis. A celando enim Cælum & Cella nomen habe- „ re videntur: & quod celatur in Cælis, hoc & in Cellis: Quod „ geritur in Cælis, hoc & in Cellis. Quidnam est hoc? Vacare „ DEO, frui DEO; Quod cùm secundùm ordinem piè, & fideli- „ ter celebratur in Cellis, audeo dicere, Sancti Angeli DEI Cellas „ habent pro Cælis, & æque delectantur in Cellis ac in Cælis. Nam „ cùm jugiter in Cella Cælestia actitentur, Cælum Cellæ & Sacra- „ menti similitudine, & pietatis affectu, & similis operis effectu, „ proximum efficitur. Nec jam spiritui oranti, vel etiam à cor- „ pore exeunti, à Cella in Cælum longa, vel difficilis via invenitur. „ A Cella enim sæpe Cælum ascenditur; vix autem unquam à „ Cella in Infernum descenditur: nisi sicut dicit Psalmista: *De-* „ *scendant in infernum viventes*, videlicet, ne descendant morientes. „ Hoc enim modo sæpe Cellarum incolæ in infernum descendunt. „ Sicut enim assiduè contemplando revisere amant gaudia Cæle- „ stia, ut ardentiùs ea appetant: sic & dolores inferni, ut horreant „ & refugiant. Et hoc est quod imprecantur inimicis suis oran- „ tes, scilicet, ut descendant in infernum viventes. Moriens au- „ tem vix, aut nunquam aliquis à Cella in infernum descendit: „ quia vix unquàm aliquis nisi Cælo prædestinatus, in ea usque ad „

Author apud D. Bernardū de vita soli. ad Fra: de mont DEI.

„ mortem persistit. Filium enim gratiæ, fructum ventris sui Cel-
„ la fovet, nutrit, amplectitur, & ad plenitudinem perfectionis
„ perducit, & colloquio DEI dignum efficit; alienum verò vel
„ suppositititium abdicat à se citiùs & projicit. Unde ait Dominus
Exod. 3. „ ad Moysen. *Solve calceamentum de pedibus tuis: locus enim in quo*
„ *stas, terra sancta est.* Morticinium enim mortuarum affectionum,
„ vel hominem mortuum à corde, locus sanctus, vel terra sancta
„ nequaquàm diu patitur. Cella terra sancta, & locus sanctus
„ est, in qua Dominus, & servus ejus sæpe colloqvuntur, sicut vir
„ ad amicum suum. In qua crebrò fidelis anima Verbo DEI con-
„ jungitur, Sponsa Sponso sociatur, terrenis cælestia, humanis Di-
„ vina uniuntur. Siquidem sicut Templum sanctum DEI, sic
„ Cella est servi DEI. Et in Templo enim, & in Cella Divina tra-
„ ctantur: sed crebriùs in Cella. In Templo visibiliter & figu-
„ ratìvè aliquando Christianæ pietatis Sacramenta dispensantur, in
„ Cellis verò sicut in Cælis ipsâ veritate, ipso ordine, & si nondum
„ ipsa puritatis majestate, vel æternitatis securitate res ipsa omni-
„ um Sacramentorum fidei nostræ assiduè celebratur. *Hæc ille.*

Neque dicas cogi te ad egrediendum frequentiùs de Monasterio, ob procuranda necessaria corporis. *Divus* enim *Bonaventura* experientiâ edoctus testatur, ex inhonesta Regularium deambulatione, non solùm ad eleemosynas illis faciendas seculares non induci, sed potiùs ad odium erga ipsos excitari. Ergo in epistola quadam ad Provinciales sui Ordinis transmissa, in qua de causis relaxationis Religionum loquitur, hæc dicit: *Occurrit evagatio plurimorum, qui propter solatium suorum corporum, gravando eos, per quos transeunt, non exempla post se relinqvunt vitæ, sed scandala potiùs animarum.* Et Thomas de Kempis ait: *Vagus & otiosus Religiosus, qui otiosè circuit, donis Cælestibus indignus efficitur, & aliis est molestus.* Denique meminerit fidelis Christi promissi: *Quærite primùm Regnum DEI & justitiam ejus, & hæc omnia* (necessaria) *adjicientur vobis.* Quod mille millionibus historiarum probatum. Neque ob pietatis prætextum supponas te sæpe evagari foras posse. Audi S. Thomam de villa nova dicentem: *Religiosum & honestum Monachum, sub Charitatis prætextu, ad pacem inter fratres componendam, ad solatium infirmis exhibendum, & alia pietatis opera exercenda extra Cœnobium ducit*

D. Bonaven: Epist. ad Provinc.

Valle lili. c. 18.

Matth. 6.

Beat. Th. de Villa Con. 2. Dom. pri. Quadra.

Sathan;

Sathan; ut sic per plateas vagantem, libidine inficiat, curiositate sauciet, ambitione inflet, curis secularibus disturbet, & à devotionis fervore distrahendo, tepefaciat, & infrigidet. Et alibi: *Non est hæc Charitas sed grandis stoliditas; propriæ vocationis terminos transgredi, propriam lampadem extinguere, ut alienas accendant; seipsos damnationi exponere, ut alios salvos faciant.* Et inferius: *Si accedat mandatum Prælati, ut aliis copiam sui faciat, confidenter obediat.* Quæ omnia si conjungas, elicies sanè Monacho non licere etiam sub prætextu pietatis charitatisque operum Monasteria crebrò exire, nisi in Casu speciali, Prælatique obedientiâ urgente. Alioquin excusatio inutilis putatur à Viro Sanctissimo, Antistiteque celeberrimo. Porrò modum, quo se gerere debet Religiosus in egressu Monasterii, describit S. Basilius dicens: *Si itaq; contigerit te juxta circumstantiam negotiorum aliquando è cella proficisci, armatus pectore, timore DEI, & insertâ in manu charitate Christi, devictisq; per omnem continentiam voluptatum incursibus; statim necessitate expletâ, resili.* Igitur Superiores & rarò, & non nisi probos socios mittant è claustro; prohibeant Commessationes, Compotationes, inutiles Conversationes, quæ maximè trahunt ad vagandum è claustro, ac corrumpunt optimè Moratos. D. Basil. serm. 2. exerc.

Quartum Medium: *Occupatio honesta.* Nihil enim magis cum nimia Regularium extra cœnobium evagatione, vanovè cum secularibus commercio, conjunctionem habet, quàm ipsorum Regularium otiositas: sicut enim illa vitiorum omnium Sentina à Patribus censetur, sic etiam inquietæ deambulationis Monachorum irreligiosæque cum secularibus communicationis initium & causa reputatur. Idipsum experientia testis comprobat; Religiosi etenim Sancti & Devoti, qui ad sui status perfectionem anhelantes, semper alicui operi incumbunt; durè nimis evagationem extra cœnobia, consortiumvè cum secularibus admittunt: qui verò contra otiositati deserviunt (si qui sunt) totis nervis vagam deambulationem, longamvè cum extraneis confabulationum habere contendunt. Hinc Cassianus inquit: *Hæc est apud Ægyptum ab antiquis Patribus Sancta sententia: operantem Monachum, Dæmone uno pulsari: otiosum verò innumeris spiritibus devastari.* Et alibi ait: *Sine opere manuum nec in loco posse Monachum perdurare, nec* Cassian. lib. 10. c. 8.

In Epist. ad Provincial. *adperfectionis culmen aliquando conscendere.* Et Doctor Seraphicus inquit: *Sanè perquirenti mihi causas, cur splendor nostri Ordinis quodammodo obscuratur, Ordo exteriùs inficitur, & nitor conscientiarum interiùs defædatur &c. Occurrit quorundam Fratrum otiositas, quæ sentina est omnium vitiorum, quâ plurimi consopiti monstruosum quendam statum inter Contemplativam, & Activam Vitam, eligentes, non tam carnaliter quàm*

In Oper. S. Bernar. Epist. ad Frat. de monte DEI.

Tho. à Kem. de discipl. Clau. c. 5.

„ *crudeliter, sanguinem comedunt animarum.* Quare *Author* quidam „ *pius*: Nulla unquàm iuveniat Servum DEI non dicam dies sed „ hora, nisi vel in exercitii labore & proficiendi studio, vel in ex- „ perientiæ dulcedine & fruendi gaudio. *Et infra*: Nunquàm o- „ tiosus sit servus DEI, quàmvis à DEO feriatus sit. *Et Thomas à* „ *Kempis*: Tria sunt omni Religioso necessaria; sine quibus non „ diu stare potest in bona vita. Hæc sunt Oratio, Lectio, & Ope- „ ratio: in istis omni die se exercere debet, & semper in aliquo „ horum occupari.

S. Ephrem parœ. 1.

Hier. ad Flor.

Idem ad Rust.

Porrò inter præcipuas occupationes Religiosorum, *Studium sacrarum Literarum* locum obtinere debet. Ita *S. Ephrem* inquit: Exercitatio monachi sit meditatio scripturarum. *Rursus quoq;*: Iners autem est Monachus, qui in his versatus non fuerit. *Et S. Hieronymus*: Ama scientias scripturarum, & carnis vitia non amabis. *Idem ad Rusticum*: Sic vive in monasterio, ut Clericus esse merearis; multo tempore disce, quæ postmodùm doceas. *Item*: post S. scripturas Doctorum hominum tractatus lege eorum duntaxat, quorum fides nota est, quoniam eruditio timorem creat imperitia confidentiam. Illorum igitur tractatibus, illorum delecteris ingeniis, & libris, quorum pietas non vacillat. *Et circa finem*: Quid enim eruditione melius? quid suavius disciplinâ? Quid dulcius Domino? Sit autem convivium Christus; lectio Christus; cogitatio Christus. Quæ enim potest esse vita sine scientia scripturarum, per quam etiam ipse Christus agnoscitur, qui cibi, quæ mella sunt dulciora, quàm DEI scire prudentiam? *Et Joannes Nider Dominicanus ait*: Octava Radix perditionis Religionum est studii „ Religiosi omissio; quæ jam mendicantium Ordines, eos com- „ parando ad præterita, multùm tendere facit ad occasum. Perce- „ pi id ipsum ab Ordine possessionatorum, & à viris optimæ con- „ scientiæ, se non diu reformatos esse mansuros, nisi studium apud

Ibidem.

Joa. Nieder. tit. 2. c. 17.

se

se resuscitarent. Igitur locũ in utrisque hodiè habet illud Ozeæ 4. „ Conticuit populus meus eò, quòd non habuit scientiam: quoni- „ am tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris „ mihi. *Et infra:* Literatorum enim virorum carentia in Mona- „ steriis, literatis secularibus ingressum vetat; Ordinis Prælatos „ reddit contemptibiles; vitiosos nescit corrigere; nec juvenes „ credere, sicut oportet suis Rectoribus. *Et Guillelmus de Peraldo:* „ Negligentiam lectionis in multis Monasteriis, multa mala sunt „ secuta. Primùm subsecuta est inde cæcitas ignorantiæ, quæ in- „ ter maculas prima numeratur, propter quas à DEI ministerio ali- „ quis repellitur. *Rursus:* Negligentia lectionis in multis Mona- „ steriis collocavit in obscuris, sicut mortuos seculi. Quomodo „ immunditia caveretur, ubi quid esset immundum non agnosce- „ batur? quomodo præcepta Regularia observarentur, ubi non „ intelligebantur? quomodò semitam Religionis tenere pote- „ rant, qui cæci erant? Difficilius est enim tenere semitam, quàm „ viam latam & publicam. *Rursus quoq;:* Ex defectu Sapientiæ con- „ tigit in multis Monasteriis, ut ibi non sanaretur, qui infirmus „ intrabat, vel qui infirmitatem incurrebat: sicut salus est, ubi mul- „ ta sunt consilia. Item ex eadem causa contigit; quòd parvuli „ qui intrabant Monasteria illa, non proficiebant; imo præ defectu „ cibi spiritualis peribant. Si enim petebant panem, non erat qui „ frangeret eis. Unde præ esurie & siti anima eorum in ipsis de- „ fecit. Ex eadem causa etiam contigit, quòd illi qui in Mona- „ steriis impugnabantur, vincebantur: cùm non haberent gladi- „ um Spiritus, scilicet Verbum DEI, quo hostes maximè invisibiles „ superantur. Ex eadem etiam causa consecuta est in Monasteriis „ Simoniaca corruptio, tam in receptione Monachorum, quàm in „ institutione Prælatorum. Item ex eadem causa contigit, ut Mo- „ nachi carnales delicias quærerent, cum Spirituales non haberent. „ Anima enim rationalis, nobilissima est creatura, & ad æternas de- „ licias creata, sine deliciis enim esse non potest. Item ex eadem „ causa contigit, ut in Monasteriis de rebus maximis cura mini- „ ma, & de rebus minimis cura maxima haberetur. Corpora „ procurabantur splendidè & non curabatur de animarum refe- „ ctione. Si amittebatur Asina quærebatur, & si peribat Anima „

Gvillel. Perald. in tit. de prof. Mona. 13. p. c. 3.

„ non reputabatur. *Tandem sic*: Monachi qui sunt in monaste-
„ rio, ubi deest sapientia, sunt veluti cæci juxta foveas magnas,
„ quas non cavent, quia non vident. *Hæc ille*.

Neque objicias quorundam etiam Sanctorum asperum affectum contra studia Religiosorum; illi enim nimietatem & abusum studiorum, non studia sancta in Religiosis aversantur. Nimietatem inquam, quâ speculativis scientiis supra modum deditì, practica Orationis, Contemplationis, Amoris DEI, & proximi, exercere negligunt. Abusum verò studiorum, scilicet ad superbiam, ad suæ commoditatis quæsitionem, ad invidias, contentiones, ambitionem, inobedientiam, &c. quæ monstra incautos Magistros & Doctores sequi solent, & perdere illos atque alios Eruditos. Cæterùm his sordibus depuratum studium, cum profectu Spirituali & virtutis cura, conjunctum; ex pura intentione promovendi gloriam DEI, suamque & proximorum salutem juvandi, inæstimabilis est thesaurus & ipsi discenti, docentique, & ejus Religioni, & Ecclesiæ DEI: quæ his duabus columnis *Virtutis* & *Doctrinæ*, addo tertiam *Protectionis divinæ* invicta ad impetus portarum inferni perdurat. Itaque provideant Superiores, ut & literâ & spiritu maximè, sui inferiores proficiant.

Quintum Medium: *Communis vita sectanda, & singularitas fugienda* in privilegiis & exemptionibus, scilicet quòad Chorum, Victum, Vestitum, Habitaculum, Suppellectilem, Vagationes, Titulos & Præeminentias Magistri, Doctoris, Præsentati, Licentiati, Baccalaurei, Jubilati, Lectoris, Emeriti, &c. Quæ quidem si exigente necessitate valetudinis, senectutis, moderatè permittuntur, vel sunt citra scandalum Fratrum aut Secularium, nec militant contra Regulam, vel Constitutiones, quin potius ex aliquo fine boni publici cohonestantur, maximè accedente Superiorum aut Ordinis prudenti permissu, aut voluntate, ejusmodi exemptiones, & privilegia sustineri possunt. Alioquin suis privilegiatis nimis periculosa, aliis scandalosa, Ordinis proprii prorsus eversiva sunt. Unde S. Gregorius relatus à D. Bonaventura inquit: *Si peculiaritas à Monachis habetur, nec concordia, nec charitas, in congregatione eadem poterit permanere.* Franciscani sanctissimi in primordiis

D. Bona. l. 1. pharet. c. 32.
Hist. S. Fran. p. 1. l. 1. c. 53.

Ordinis, dùm comitiis generalibus asſiſterent, Diaboli quoq; comitia inierunt,ut Ordinem ſanctè pullulantem perimerent. Ex quibus unus cœteris callidior, deſtructionem Ordinis promiſit propterea, quòd plures futuri eſſent, qui hujuſmodi immunitates à Regularibus inſtitutis impoſterùm ſectarentur. Magnum quoque ſuarum animarum diſpendium perpeti iſtos ex revelationibus *S.Birgittæ* habetur. Apparuit illi cujusdam Religioſi anima ſcapulari quodam induta, & mirabiliter in omnibus membris deformata, & (ut videbatur) æternis ſuppliciis deſtinata; cauſam verò tradit Chriſtus S. Birgittæ: *Quia ſuperbiendo præfert ſe cæteris.* Ablegentur ergo pro posſibili è Religionibus nocivæ hujuſmodi Exemptiones, deponantur vani Tituli. Ut juvenum animi excitentur ad ſtudia virtutis, & doctrinæ; proponantur non hæc ambitioſa & delicioſa titulorum & privilegiorum motiva, mentibus perenniter exitioſa, ſed potiùs timore novisſimorum cogantur, amore cœleſtium, charitate DEI & proximi alliciantur ad ſacrarum literarum ſtudia, & perfectionis exercitia.

Lib. 6. Re. c. 35.

Sextum Medium: *Ambitio cavenda.* Hæc enim primò nocet graviter ipſi ambitioſo. Hinc *S. Ephrem* deplorat dicens: *Hei mihi?* quis non ſuſpiret? quis non lugeat? non adſunt opes, „ ſed non abeſt ſuperbia: Nuptias ſprevimus, & ab inani Cupidi- „ tate non recedimus. Exteriùs humilitatem ſimulamus: & animo „ honores appetimus. *Et poſt alia ſic:* Sæpe qui ante renunciatio- „ nem domi ſuæ opifex fuerat, ignorabatque priùs, quæ ipſius eſ- „ ſet dextera, quævè ſiniſtra, in Monaſterio literarum ſtudioſus, „ & interpres, doctorque incedit: Frater ille altioribus intentus „ eſt, & ego ſublimiora ſpectare debeo: Frater ille honoribus or- „ natus eſt, quare non ego? Frater magiſtratum aſſecutus eſt, „ quare non ego? Illi auctoritas commiſſa eſt, nonne & ego „ dignus ſum, cui hoc, atque illud credatur, & committa- „ tur? *Poſt alia quoq; ſic:* Os illud terribile & incomprehenſibile, ac „ formidandum locutum eſt: Qui vult, inquiens, inter vos major „ fieri, ſit omnium novisſimus, & omnium ſervus. At nos cum „ nondum, vel à limine Religionem ſalutaverimus, inſoleſcimus, „ & unus contra alium extollimur. Cuncti volumus eſſe duces, „ cuncti cum auctoritate, cuncti cum imperio, cuncti reprehen- „ dere,

S. Ephr. Syrus tit. ad Correct.

V. Matth: c. 20.

„ dere, cuncti præcipere, cuncti Domini, cuncti curatores, cuncti „ œconomi, cuncti primi. *Concludit autem inferiùs sic*: Ne quæso „ Fratres Charissimi, nos carnis perturbationibus superari patia- „ mur, ut per eas æternæ felicitatis jacturam faciamus. Ne pro- „ pter caducum ac momentaneum honorem, gloriâ privemur æ- „ ternâ: ne propter contentiones, & æmulationes, atque ranco- „ res horribili condemnemur gehennâ. Refert *Adrianus Mangotius*. In quodam Monasterio Religiosi quidam olim mortui, qui fuerant præcipui & primates, viris aliis Religiosis apparuerunt, dicentes: *Ambitio & Crapula, duxerunt nos ad tartara.* Hæc enim principalissima radix est omnis ruinæ Religiosorum. Ambitiosi enim postquàm Superiores & Officiales fuerint facti, Divinâ maledictione eos comitante, & Spiritualia & Temporalia citiùs intra annum pessundant, quàm eorum Patres vix multis annis, maximo labore collegerunt. Hinc de talibus in revelationibus *S. Birgittæ* „ dicitur: Prælati, qui ambiunt honores, similiores sunt meretri- „ cibus, quàm Prælatis, quia decipiunt animas malis exemplis suis. „ *Et Joannes Rusbrochius ait*: Nonnulli sunt in Religionibus nequam, „ astuti, ac duplices, & simulant se, quod non sunt; & hos sæpiùs „ contingit in sublime tolli, aliisque præponi ac præfici. Tum „ verò ipsi se produnt. Haud secus enim, quàm si in mundo a- „ gant, bonaque Cœnobiorum, & honor, ab Antecessoribus ad „ ipsos quasi jure ac successione hæreditariâ devoluta sint, supra „ alios se efferunt; moxque sanctitatis suæ obliti, bona temporalia „ administrant, suumque exercent Dominatum. *Optimè etiam In-* „ *nocentius*: Ambitiosus statim, ut est ad honorem promotus, in „ superbiam extollitur, in jactantiam effrænatur, non curat pro- „ desse, sed gloriatur præesse.

Adr. Mang. mon. 120. — *S. Birg. L. 6. Revel. c. 65.* — *Rusb. in tabor. foed. c. 123.* — *Innoc. 2. c. 26 & 27.*

Quare ut magis fugiantur quam cupiantur Superioritates, & Officia; optimum erit, si ad hæc per calculos Communitatis idonei, & si non in perpetuum sed ad tempus: v. g. triennium, eligantur: Si ratio strictissima administrati officii adminùs semel in anno exigatur, & negligentiæ pœna debita infligatur: Si Consolatiunculæ superfluæ Officia comitantes à Visitatoribus vel aliis Superioribus præscindantur: Si Superior humilitatis exercitia ad exemplum aliorum obire cogatur, &c. Credo equidem tot

Cruci-

Crucibus aculeatum officium, vel munus Superioris, non tantâ aviditate ambietur.

Septimum Medium: *Discordia vitanda.* Unde *S.Hieronymus*: Charitas Religiosos, charitas Monachos facit, sine „ hac monasteria sunt tartara, habitatores sunt Dæmones; cum „ hac verò sunt paradisus in terris, & in eis degentes sunt Angeli. „ Ideoque licet vos longa macerent jejunia, abjecta & nigra vestis „ deformet, longa officiorum & operum texetur series; si intus „ desit charitas, ad infimum nondum religionis gradum perven- „ tum est. Itaque Superiores invigilent, ut scintillas exorientes iræ & discordiæ mox extingvant, dissentientes è vestigio concordare faciant, Charitatis exercitia inter suos semper promoveant, sæpe illud dilecti JESU Discipuli ingeminent: *Filioli, diligite alterutrum.*

D. Hieron. in regul. mon. c.1

S. Hieron. in Epist. ad Gal. l. 3. c. 6.

Octavum Medium: *Cupiditas & superfluitas rerum temporalium rejicienda.* Etenim ut *Dionysius ait*: Sic multis heu! „ Religiosis causa dissolutionis, & negligentiæ, ac quotidianæ ru- „ inæ, seu defectionis, est temporalium abundantia rerum, paxque „ carnalis. Dum enim temporalibus bonis abundant seipsos su- „ perfluè ac lautè reficiunt, nec necessariis sunt contenti, sed curio- „ sa requirunt. Lautè autem & immoderanter refectos magis „ delectat confabulari, jocari, ridere, ludere, quàm orationibus „ meditationibusque vacare, compunctioni & discussioni pro- „ priæ conscientiæ insudare, seu lectioni, aut alteri exercitio virtu- „ oso, utilivè labori, insistere. Et ita mente infrigidantur, vani- „ tatibus dissolvuntur, & variis cogitationibus immorantur, non „ formidantes. &c. *Item serm. 12. de Nativitate Domini, inter alia hæc habet*: Per quid adeo periit Monastica omnis sacra Religio, sicut „ per temporalium affluentiam rerum? Ex qua immoderantia, & „ exquisitio ciborum, ac potuum, multaq; alia vitia gulam conse- „ quentia oriuntur. *Et in revelatione quadam B. Birgittæ*, videba- „ tur æthiops teterrimus in quodam monasterio inter velatas Mo- „ niales existere cum nigro velo, & habitu monachali, de quo ad- „ mirante sponsa (*scilicet B. Birgittâ*) Christus loquebatur dicens: „ Scriptum est in Evangelio meo, quòd cavendum est ab illis, qui „ ambulant sub vestimento ovium, intus autem sunt lupi rapaces; „

Dionys. Carthus. Serm. 6. Dom. 10. post Trinit.

S. Birg. l. 6. revel. c. 99.

„ sic nunc dico tibi, quod ille æthiops, qui apparebat inter Monia-
„ les, cum habitu Monialium, ipse est Dæmon Cupiditatis, qui
„ svadet eis aggregare possessiones, & castra, & plures divitias,
„ ut ex eis lautiùs vivant, & distribuant largas eleemosynas, ut sub
„ tali religiosa spe recedentes à paupertate mihi grata, disolvantur
„ paulatim, donec prævaricantes Regulam, & priorem Observan-
„ tiam, perdant Animas. Ideo scio, quòd nisi vigilanter caveant ab
„ isto lupo Cupiditatis contentando se de his quæ habent, & nihil
„ plùs volendo accrescere in possessionibns, & terrenis divitiis, in-
„ ficientur ab eo, etiam sanæ oves istius gregis damnabiliter, &
„ postea à lupis dilaniabuntur immisericorditer. Magis enim mi-
„ hi placet, quòd in paupertate quieta, & sancta, quàm profite-
„ bantur, vivant, & contententur, quàm quòd terrenâ curâ regi-
„ minis temporalis implicantes se, de distributione eleemosyna-
„ rum bonorum aliorum inaniter glorientur. *Hæc Christus.*

Collector. Nonum Medium: *Visitatio, & Electio Superiorum ac Officialium ritè instituenda.* Quod medium reformandi & conservandi statum Religiosum in sua perfectione tale est, ut ex ipso omnia alia dependeant, & sine quo alia media parum proficiant, nec diu subsistere poterunt. Equidem *Superior dignus* Congregationis, ut sunt Abbates, Priores, Gvardiani, Rectores &c. *Dignus* inquam, id est Vir virtutis, prudens, doctus, primus in exacta observantia Regulari, ejusque in aliis opere, sermone, ad DEUM oratione, promotor Zelosissimus: juxta quod Apostolus monet dicens: *In omnibus præbe teipsum exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum sanum irreprehensibile &c.* (*Tit. 2.*) *Hoc enim faciens,* (ut alibi idem dicit) *& teipsum salvum facies, & eos qui te audiunt.* (*1. Tim. 4.*) Quod nimis à condito statu Religioso experientiæ millenis factis certum: nempe dignos Superiores Ordines suos etiam deformatos, tandem in Sanctitate ad Cœlos sublevare; ita Superiores indignos, virtute conspicuos Ordines suos deformare & ad ipsum inferni fundum deprimere. Hinc D. Dionysius Carthusianus inquit: (*D. Dionys. de prof. mon. c. 5.*) *Ecclesiast.* 10. *legitur. Secundum Judicem populi, sic & ministri ejus: & qualis est rector civitatis, tales & habitantes in ea: Ex his verbis Patres concludunt, quòd præcipua causa ruinæ subditorum est negligentia*

gligentia

gligentia atq; perversitas Prælatorum, sub quorum præsidentia, vel virtuosa subditorum conversatio cadit, & perit; vel eorum qui lapsi sunt, deformatio ac ruina dura perseverat.

Verùm quis dignos Superiores Congregationibus præficiet? Hic profectò labor, hoc opus est. In aliquibus Religionibus Superiores à solis Congregationibus eliguntur, & à Provinciali vel Generali confirmantur: in aliquibus à Solo Provinciali, vel Generali porriguntur: in aliquibus à Congregatione simul & Provinciali eliguntur. Quis modus horum melior? Equidem omnes boni & recti, modò secundùm regulas & constitutiones Ordinis proprii fiant. Sed heu! heu! quid non pervertat ardens Ambitio? quid eligentium cæcus affectus, privatum bonum, corruptio munerum, malitia, ignorantia? Quomodo igitur præcavenda hæc pene inextricabilia mala? En forsan opportunum remedium est: **Nosse dignos** pro Superioratu, & illos **Eligere.** Quoad *primum* scilicet *Notitiam* I. In Congregationibus, quæ solæ eligunt sibi Superiorem, juniores hoc in passu audiant & sequantur seniores & alios probatæ virtutis & prudentiæ, ferentes testimonium de apta & digna persona ad Prælaturam, vel Superioratum. Facilè enim juventus decipi potest hypocrisi, vel aureis promissionibus ambitiosorum. II. In electionibus à solo Provinciali vel Generali faciendis; isti ut qualificatos designent, necesse est, ut eorum in suo Provincialatu vel Generalatu comparent notitiam sive per literas, sicut in Societate JESU singulorum natura, virtus, doctrina, & aliæ qualitates bonæ & malæ ad Generalem ejusdem Religionis fideliter, à viris fide dignissimis describuntur: sive in visitationibus juxta modum mox afferendum. III. In Electionibus à Capitulo simul & Provinciali præsente, vel ejus Delegato, instituendis: equidem hoc in puncto Juniores sequantur Seniorum & aliorũ Optimorum prudens Consilium, qui habent discretionem boni & mali, & sciunt discernere Filios DEI à Filiis Diaboli transformatis in Angelos lucis. Quos eosdẽ Seniores & cœteros viros probos & ipse Provincialis seu Visitator auscultet, utpote qui tot annis convixerunt suis Confratribus in Congregatione, quorum indolem, virtutem, aliasq; qualitates certè Provincialis

seu Visitator aliquot diebus imo septimanis non tam facilè pernoscet; cum in ejus præsentia omnes se gerere soleant instar Angelorum. *Tota igitur vis & principium bonæ electionis in Superiorem dignum & idoneum videtur pendere à testimonio probatissimorum Seniorum & optimorum Juniorum Fratrum.* Quorum probitatem & fidem omni exceptione majorem si cognoverit Generalis, Provincialis, Visitator, &c: aliiq; congregationis Vocales: equidem necesse est cuncta ad votum & felicem successum cedere. (Et ut parum digrediar: Felices & beatos Superiores altiores & inferiores futuros, qui notitiam ejusmodi virtutis Virorum in Congregatione habuerint: utique ex consilio illorum agentes, officia, personas, &c: illius Congregationis disponentes, erunt securi in sua conscientia, securi de fortunato successu in spiritualibus & temporalibus, securi de incremento salutis animarum, & gloriæ DEI. Tales enim viri deposito affectu inordinato, nesciunt quærere quæ sua sunt, sed quæ JESU Christi, quæ ve publici boni. Quod obsecro per tremendum DEI judicium advertant seriò Visitatores & eorum Secretarii vel Socii.) Sed quis dignoscet veros virtutis Viros à hypocritis & falsis fratribus? Plerumque enim virtus latere gaudet, & si lucet ut glorificetur DEUS, à malevolis & invidis, calumniis & infamationibus obtenebratur, maximè hoc seculo nequam, ubi mille doli, mille artes aliis nocendi, & suas nequitias tegendi. Quid ergo facies zelose Curator animarum? quid tu bone juvenis expetens consilia & consortia proborum Virorum? En habes cælestem informationem hac in materia ex aureo libello de discretione spirituum piissimi *Cardinalis Bona* infra sub Gratiis gratis datis, quò te remitto. Nunc breviter à Christo accipe regulam discernendi veras oves Christi à lupis, qui veniunt *in vestimentis ovium*, nimirum: *A fructibus* inquit *eorum cognoscetis eos. Cum enim*, ut ait S. Augustinus, *cæperint aliquibus tentationibus ea ipsa scilicet illis subtrahi vel negari, quæ isto velamine vel consecuti sunt, vel consequi cupiunt: tunc necesse est ut appareat, utrum lupus in ovina pelle sit, an ovis in sua.* Ovis innocentiæ, simplicitatis, humilitatis, patientiæ symbolum est; si quis ex Innocentia in prosperis æque ac in adversis horret peccatum, illudque prudenti zelo in aliis detestatur: si ex S. simplicitate cordialiter & sincerè cum aliis conversatur, oditque nimis omnem

l. 2. Theol. spir. tract. 2. cap. ult.

Matth. 7.

S. Augustin. lib. 2. de Ser. Dom. cap. 12.

nem fucum, dolum, ac mendacium: si ex Humilitate fugit inanem gloriam, honorifica officia, aversatur mundi vanitates & superfluitates, gaudet ab aliis contemni, sectatur vilia & abjecta: si ex patiendi desiderio Christianam paupertatem amplectitur in victu, amictu, habitaculo, suppellectili, non sua privata quærens sed quæ sunt gloriæ JESU Christi & communis boni &c. Denique si doctrinâ, & prudentiâ in rebus gerendis pollet; hic non lupus sed ovis est, & probatus est vir. Talem respiciant oculi aliorum; talis audiant consilia, talem imitentur. Visitatores, Commissarii, ante omnia puncta de Talibus ex signis & indiciis datis, in sua Visitatione, Scrutinio, Examine inquirant, & quos invenerint, sive ille sit senior, sive junior; sive superior, sive inferior, putent se reperisse inæstimabilem thesaurum, adeoque à talibus maximè petant informationem, consilium disponendi circa spiritualia & temporalia illius Conventus seu Congregationis: talium unius & alterius testimonium valet pro mille aliis testibus. Tales in Superiores & Officiales, ut eligantur, seriò, ad quos pertinet, allaborent. Ecce jam habes formam veniendi in notitiam dignorum & qualificatorum pro Regimine.

Quod concernit *Secundum* nempè ut habitâ notitia Dignorum, tales quoque velis actualiter eligere; pro motivo habeant Electores timorem terribilis judicii DEI, qui infallibiliter pœnis æternis mulctabit eos, qui postpositis dignis, minùs dignos elegerint, ex quorum causa sequitur privatio majoris incrementi gloriæ DEI, & salutis plurium animarum, tum emergunt scandala & pernicies salutis multorum. Præterquàm quòd tales Electis suis superioribus postea fiunt procaces & rebelles; ut juxta S. Bernardum, *meritò quales fovent, tales sustinent.* Electoribus verò inferioribus ejusmodi superiores justo DEI judicio plerumque fiunt ingrati, & Tyranni corporum, & animarum in æternum ipsorum quoque exitium. Neque Inferiores Electores timeant accipere in suos Superiores illos, qui aliàs videntur esse teneræ conscientiæ, (Stultis tales apparent scrupulosi) rigidiorisque vitæ, Zelosi in observantia regulari; ne scilicet facti Superiores alios quoque imperfectiores cogant ad rigidioris vitæ asperitatem. Ejusmodi enim timor vanus est. Plerumque enim hujusmodi

utpote

utpote prudentiâ, diſcretione, & charitate excellentes, in ſeipſos rigidi & implacabiles, in alios miſericordes & compasſivi ſunt, in omni necesſitate, ſuis fratribus paterno charitatis affectu ſuccurrere paratisſimi & promptisſimi. Sciunt enim aliis plùs, aliis minùs gratiæ Divinæ tribui, ex cujus viribus alter quoque amplius, alter minus ſufferre laboris & afflictionis poteſt.

Decimum Medium: *Studium practicum Divinæ Sapientiæ, ſeu virtutis, ac perfectionis Chriſtianæ* in hoc Opere Theologiæ Spiritualis, propoſitum. Quo ſtudio cumprimis Novicii, & noviter Profesſi informari & educari debent. Hinc S. Laurentius Juſtinianus: *Paſtores ſolerter vigilent, cùm primùm ſuſceperint novum militem recenter poſitum in Monaſterio, ipſum ſpirituali reficiant exhortationis pabulo, & ſalutari recreent poculo, antequam mentis patiatur ariditatem, & immundorum ſpirituum experiatur inſultus. Qui autem hoc agere neglexerit, ſibi ipſi judicium, & ſubdito grave inducit diſpendium. O quot ex incuria Paſtorum ignorantes quæ DEI ſunt, & quæ ſancto congruunt ſtatui, à Sancto retrocedunt propoſito! Heu! quanti ariditate ſpiritus confecti & à devotionis guſtu alieni, quia ſicut oportuit in primordio converſionis ſpiritualis non fuerunt imbuti, vocationis gratiam quam habere meruerunt, perdiderunt!* Hæc S. Laurent: Juſtin: Nimirum *Adoleſcens juxta viam ſuam* (id eſt quâ viâ incedere, vel arctâ virtutis vel ſpatioſâ peccati edoctus) *etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea*, vel ad charitatis perfectionem proficiendo, aliis in exemplum & ſibi in æternum præmium, vel vitiis adoleſcentiæ ejus oſſa repleta, aliis gravis, ſibi intolerabilis permanendo, cæteroſq; pravis verbis & moribus ad inferos trahendo, ſimul cum ipſis perpetuum arſurus in profundum cadit. Hinc quandoquidem ſicut Navis à gubernaculo, ita Vita hominis ab adoleſcentia educata dirigitur rectè vel non rectè; Igitur juventus Religioſa in Academia Divinæ Sapientiæ ſolerter inſtituenda: Et maximè faciendus eſt ſummus delectus Noviciorum, probandique ſpiritus, ne ſub pellibus ovinis, admisſi lupi in gregem dominicum, horrendam ei inferant perniciem adeoque ſacræ Religionis ruinam. Quod utinam incurii Superiores tot & tantis damnis aliorum edocti, tandem aliquando ſapiant; & tam hoc malum quàm alias peſtes exiti-

S. Laur: de diſc. mor. c. 8.

Prov. 22.

exitiales ſupra enumeratas à ſuis Religionihus, Conventibus, Monaſteriis, domiciliis Religioſorum (ubi fors depaſcunt animas) ad tartara abigant,& ſuum Religioni reſtituant in præſenti Paradiſum DEO plenum, in futuro CÆLUM.

SUBSECTIO III.

De Statu Vitæ incompleto Religioſorum, ſeu Tendentium ad perfectionem.

HIc Status ita eſt dictus, *quod in eo per aliquod votum, & ſpecialem vivendi rationem DEO aliqui conſecrentur.* Tales ſunt voto ſolo Caſtitatis obligati; & quicunque non ex toto, ſed ex parte, vota Religioſorum emittunt: adeoque plùs vel minùs de Statu perfecto Religioſorum participant, pro majori vel minori participio votorum Religionis.

De hoc ſtatu ita proportionatè diſcurrendum eſſe videtur, ſicut diſcurrebamus de ſtatu perfecto ſeu completo Religioſorũ. Quod nimirũ ejuſmodi ſtatus ſuam firmitatẽ & eſſentiam habeat ſimiliter à Votis. Deindè ejuſmodi Votis obſtrictum debere eam perfectionem Votorum exercere, & adminicula aliarum virtutum adhibere (ſine quibus vota periclitantur, nec commodè DEO reddi poſſunt) qualis perfectio, & adminicula virtutum, in ſpeciali modo vivendi taliter voventium deſcribuntur, juxta quam ſeſe vovens perſona obligavit; alioquin ad communem tantum perfectionem Votorum, & communia virtutum ſubſidia videtur teneri. Quando autem, & quo fine, eadem Vota cum ſuis acceſſoriis virtutibus exercere debeat, videat ſupra ibidem ſub ſtatu perfecto Religioſorum, & pro ſuo modulo adaptet. Sicuti & Motivis vitæ Religioſæ & Irreligioſæ ad religiosè vivendum conformiter ſuo ſtatui, ſeſe exſtimulet.

SECTIO III.

De Statu vitæ Supernaturalis Eccleſiaſticórum, & Perfectorum.

§ I.

TRiplici claſſe condiſtingvimus Eccleſiaſticos. *Primò* in Clericos, infra ordinem Sacerdotii, potisſimùm Subdiaconos

& Diaconos. *Secundò* in Sacerdotes simplices. *Tertiò* in Curatos, & Prælatos Ecclesiæ. Quoad *Primos* eos non esse in Statu perfectionis assequendæ vi ordinationis, nisi vi annexi majoribus Ordinibus voti Castitatis. Quia etsi vi ordinationis teneantur ad aliqua supererogatoria pietatis opera præstanda, v. g. absolvendas horas Divini officii, tum majorem vitæ honestatem; tamen hæc non referuntur ad perfectionis opera, sed ad specialem gradum & digniorem communis vitæ Christianæ; intra cujus latitudinem etiam inter Laicos, pro diversitate statuum, dantur majores vel minores obligationes, adeoque & gradus digniores. Ratione verò Voti Castitatis annexi majoribus Ordinibus, tales referuntur ad statum incompletum Religiosorum: quia in hoc Castitatis Voto secundùm quid & incompletè cum statu perfectionis Regularium conveniunt.

Vide Suarez lib. 1. de Statu perfect. cap. 17. n. 1.

§ II.

QUod concernit secundam Classem Ecclesiasticorum, nempe simplices Sacerdotes; hi ex vi ordinationis suæ, ponuntur in statu perfectionis exercendæ, saltem inchoativè. Quia per Sacerdotium deputantur ad excellentissima perfectionis opera, qualia sunt offerre Sacrificium corporis & sangvinis Christi, agere Mediatorem nomine totius Ecclesiæ inter Deum & populum, ut fideles purgentur, illuminentur, perficiantur; quæ omnia ad multo majorem animi & corporis puritatem, altioremque Divinorum contemplationem, Sacerdotem obligant, quàm aliquem alium, adeoque in Sacerdote supponunt majorem præ aliis sanctitatem & perfectionem personalem. Unde *D. Thomas* distingvit statum perfectionis viæ trifariam, *in statum Ordinis, Prælationis, & Religionis.*

D. Thom. supra Matth. 5.

§ III.

QUantum ad *Tertios* Ecclesiasticorum, nimirum Curatos, & Prælatos; hic primò videndum est de supremis Ecclesiæ Prælatis, quales sunt Episcopi, tum de inferioribus Episcopo Prælatis, ac tandem Curatis. Dico igitur *status Episcopalis est status perfectorum, seu perficientium, seu perfectionis exercendæ; id est perfectorum operum exercendorum in alienam salutem:* qualia opera sunt, exemplo, verbo,

Vide D. Thom. 2. 2. q. 184. a. 5. & a. 7.

verbo, oratione, ac Sacrificiis purgare à peccatis & vitiis, illuminare virtutibus, perficere charitate populum sibi subjectum. Tum in tempore persecutionis animam suam ponere pro ovibus suis, aliaque heroica exercere opera pro salute, & augmento gregis Christi. Quæ omnia, quàm in altissimo gradu propriam supponunt perfectionem, facilè apparet. Vix enim moraliter est possibile, adeo excellentia opera cum fructu exercere, qui non fuerit multâ animi perfectione præditus. Cœterùm Status Episcopalis modo descriptus, est status perfectionis: quia habet Conditiones status, nempè sui permanentiam ex obligatione vinculi cum sua Ecclesia. Deinde unusquisque Status talis est, qualia sunt opera, ad quæ ordinatur, ab illis enim quasi speciem suam sumit, sicut habitus & alia quæ ad actus ordinantur: Atqui ad opera perfectissima, nempè purgare, illuminare, perficere alios, Status Episcopalis ordinatur: Ergo ab illis speciem perfectionis sumit. Ad evitandam autem confusionem ex æquivocatione status Perfectorum provenientem; sciendum est, *aliud esse perfectum*, seu perfectionem propriam exercere, dum quis scilicet ex motivo Charitatis sit expeditus & facilis ad exercenda heroica virtutum opera, seipsum concernentia: Et de tali statu hìc non loquimur, sed eum in Episcopis & Prælatis Ecclesiæ supponimus. *Aliud verò esse in statu Perfectorum* seu perfectionis exercendæ, id est perfectorum operum exercendorum in alienam salutem, ut supra dictum, ex vi officii illius status, de quo hìc sermo est. Unde potest esse aliquis in statu perfectionis, & non esse perfectus; & esse perfectus, non tamen esse in statu perfectionis; & simul esse perfectus, & esse in statu perfectionis, quod Apostolicæ vitæ insigne est.

Quoad Prælatos Episcopis inferiores suppone *Primò:* Illos secundum communem Ecclesiæ usum dici Prælatos, qui in utroq; foro habent jurisdictionem ordinariam. Jam verò Parochi nonnisi in foro interiori præsident: Ergo hi non sunt Prælati.

Suppone *Secundò:* Prædictos Prælatos poni in statu Prælationis qui sunt perpetui, quales plerumque sunt Abbates. Illos verò Prælatos, qui sunt ad certum tempus v.g. ad triennium, sexennium, non esse in statu, sed in officio vel dignitate Prælationis. Quia

carent conditione ſtatus, quæ eſt permanentia. Quod ipſum quoque de Parochis dicendum, qui de facili ſunt amovibiles.

Suppone *Tertio*: Prælatos eosdem, & Parochos, non habere delegatam, ſed ordinariam jurisdictionem. Quia non agunt ut cauſæ inſtrumentales Epiſcopi, ſed ut proximæ & principales cauſæ, reſpectu ſibi ſubditorum.

Suppone *Quarto*: Poſt Epiſcopos, illos Prælatos eſſe in proximo gradu, qui etſi carent poteſtate Epiſcopalis Ordinis, ſunt tamē æquales Epiſcopis in jurisdictionis poteſtate, & ſunt ipſi Summo Pontifici immediatè ſubjecti. Poſt hos ſequuntur, qui Epiſcopo ſubduntur. Tandem alii Curati & Parochi.

His ſuppoſitis, dicendum præfatos Prælatos, & Parochos, eſſe ſuo modo in ſtatu, vel officio perfectionis exercendæ. Et quidem eò magis de eodem ſtatu, vel officio perfectionis participare, quò propinquiori gradu accedunt ad Epiſcopos. Ratio *Primi*: Quia iſti omnes vi ſui ſtatus vel officii tenentur ad exercitium operum perfectorum in purgando, illuminando, & perficiendo ſibi ſubjectos, pro eisque animam ſuam ponendo. Quandoquidem Diſcipuli Chriſti, quos binos ipſe miſit ante faciem ſuam, fuerint in aliquo ſtatu perfectionis, ſupra communem plebem. Iſtis verò Diſcipulis ſucceſsêre Prælati inferiores, & Parochi, ſicut Apoſtolis Epiſcopi. Et ſicut poſt Apoſtolos dicti Diſcipuli fuêre in ordine ſecundi, ita & Epiſcopis Prælati inferiores, à Parochi ſunt gradu ſecundi. Ratio *Secundæ* partis Aſſerti eſt. Quia quò aliquis magis accedit ad cauſam univerſaliorem, eò majorem participat virtutem ejus activitatis, & plurium effectuum, quàm ille qui minùs cauſæ approximat. Ergo etiam Prælatorum, & Curatorum animarum quò aliqui magis accedunt ad ſtatum & officium Epiſcoporum, eò magis & perfectionem ſtatus & officii Epiſcopalis ſortiuntur, quandoquidem perfectio major vel minor operum comitatur ſtatum, tanquam effectus magis vel minus nobilis magis vel minus nobiliorem cauſam.

§ IV.

DIco Primò: *Incitamenta ad vivendum conformiter ſtatui Sacerdotali, hæc afferuntur. Primum.* Ideo, ut dignè Sacerdos poſſet fungi officiis Sacrorum Ordinum. Undè D. Thomas docet: *Ex hoc quod aliquis*

S. Thomas 2. 2. q. 184. a. 6.

aliquis accipit sacrum Ordinem non ponitur simpliciter in statu perfectionis, quamvis interior perfectio ad hoc requiratur, quod aliquis dignè hujusmodi actus exerceat.

Secundum. Ne deseratur à Spiritu Sancto, ut innuit *S. Chrysostomus*: „ Sacerdotis animum solaribus radiis puriorem esse „ oportet, ut nè quando Spiritus Sanctus desolatum illum relinquat, „ ut dicere illi liceat: Vivo equidem non amplius ego, vivit autem „ in me Christus. Quanta autem puritas sanctitasque conveniat „ Sacerdoti, ulteriùs describit idem *S. Doctor*: Cum autem ille & „ Spiritum Sanctum invocaverit, Sacrificiumque illud horrore ac „ reverentiâ plenissimum perfecerit, communi omnium Domino „ manibus assiduè pertractato, quæro ex te, quorum illum in or- „ dine collocabimus? quantam verò ab eo integritatem exige- „ mus? quantam religionem? Considera enim quales manus hæc „ administrantes esse oporteat? qualem lingvam? quæ verba il- „ lius effundat? quâ denique te non puriorem sanctioremque esse „ conveniat animam, quæ tantum illum tamque dignum Spiritum „ receperit? Hinc *Petrus Blesensis* refert: Ob reverentiam hujus ministerii & eminentiam B. Marcus, cujus cor & lingvam Dominus Sancti Spiritus igne purgaverat, quasi tamen adhuc imperfectum suum sentiens, pollicem sibi abscidit, ne ad sacerdotium cogeretur. Legimus quòd cum B. Ammonius ad regimen populi traheretur invitus, aurem sinistram, ferro sibi radicitus secuit, dicens: Lex Divina neminem præcisâ aure permittit fieri Sacerdotem. Reversi sunt ergo Clerus & populi ad Thimotheum tunc temporis Patriarcham, qui Ammonium, non solùm si auribus mutilatus, sed etiam naribus truncatus esset, propter sanctitatē ipsius censuit promovendum. Revertentibus illis & per iter ttahentibus virum DEI, atque cogentibus, lingvam, inquit meam propter quam vobis placeo, si me ulteriùs cogitis, propriis dentibus amputabo: & sic tandem sibi relictus est. Adhæc Paulus Eremita, Antonius, Apollonius, Mutius, Hilarion, Paphnutius, & uterque Macharius, & Arsenius. B. etiam Benedictus, cæterique viri nominatissimæ religionis, quorum memoria in benedictione est, nunquam gradum Sacerdotii attigerunt: in sua tamen simplicitate salvati sunt.

S. Chrysost. de Sacerdotio seu Officio Pastoral. lib. 6.

S. Chrysost. de Sacerd. lib. 6.

Petr. Blesen. de Vita Cleric. & Monach.

Tertium. Quia Sacerdotes portant peccata populi, ut pro eis placent Dominum, quod sine vitæ magna puritate ac cum DEO familiaritate fieri nequit. Unde *S. Petrus Damianus* ait: Præsertim cum hæc (id est bona seu facultates Ecclesiæ) idcircò Sacerdotibus conferantur, ut ipsi pro populo precibus ac votis insistere, ejusq; debeant peccata portare; hinc est quod Eleazar & Thamar filiis Aaron Moyses ait: Cur non comedistis hostiam pro peccato in loco Sancto, qui Sancta Sanctorum est, & data est vobis ut portetis iniquitatem multitudinis, ut rogetis pro ea in conspectu Domini?

Petr. Damian. contra igna. Cleric. Opusc. 5.

Levit. 10.

Quartum. Mellifluus Doctor explorans vocationem Ecclesiasticorum ad illa verba Apostoli; *1. Cor. 1. videte vocationem vestram*, ita differit dicens: Consideremus & nos an vocati venerimus, & vocati à DEO, cujus nimirum hæc vocatio est. Nec communem modo vocationem dixerim quâ ferè juxta eundem Apostolum, quos prædestinavit hos & vocavit. Si quis vocaverit vos in honorem Cleri, conveniri velim conscientias singulorum, ut secundùm præceptum Domini, ad cor Hierusalem loquar. Huic enim parvulo adhuc, aut forsitan necdum nato, Ecclesiastica jam beneficia, provida sanè parentum solicitudo parabat: hunc nos inquiens, illi vel illi tradamus Episcopo, apud quem habemus gratiam, aut cui fortè servimus, ut ditetur de bonis Domini, nec in tot liberos tota dividatur hæreditas. Illum Præpositus aut Decanus, ut sibi succederet, plùs quàm materno educavit affectu, in deliciis enutrivit & delictis. Ille dignus Archidiaconatu, utpote filius Principis, magis autem si sit Episcopi consobrinus, in quo nimirum tota est Episcopata progenies. Alius denique circuit sedulus explorator, blanditur, obsequitur, simulat & dissimulat, miseraque suffragia sibi emendicare non erubescit, manibus & pedibus repens, si quomodo tandem aliquando sese ingerere queat in patrimonium Crucifixi, & bona Domini, quæ sola ex omnibus hodie inveniuntur exposita. Quis eâ intentione gradus Ecclesiasticos & ministeria sanctuarii quærit, imo quæritur, (quæri nempe ipse quàm quærere debuerat) ut sine curis seculi in sanctimonia cordis & corporis illuminandus accedat ad Dominum, & suam pariter ac proximorum

S. Bernard. in Declamat.

rum

rum operetur salutem, orationis studio deditus, & verbo præ-„ dicationis? Nam si eos, eo quærit animo & intuitu, ut hujus vi-„ tæ habeat necessaria, evangelizat ut manducet, & perverso nimis „ ordine cœlestibus terrena mercatur. Quàm certè digniùs am-„ pliùsque consonum rationi, ut pro carnali victu carnalia magis „ opera & negotia exerceret, nec fieret inversor rerum, aut inho-„ noraret ministerium spirituale. Sed modico est natura conten-„ ta, nec multi sola in his necessaria quærunt, quippe minori facilè „ satis obtinenda periculo. Honorati incedere volunt, placere stu-„ dent hominibus, delectari & superbire, & huic seculo per omnia „ conformari. „

Quintum. Christus Dominus crucifixus idea veri Sacerdotis, qui seipsum hostiam cruentam DEO Patri obtulit; Ita & Sacerdos sit crucifixus mundo, & ipsi Christo per ejus imitationem confixus, offerat sacrificium Missæ incruentum DEO in odorem svavitatis.

Sextum. D. Erardus postquam ad Presbyteratus ascendit gradum, summum etiam cœlestis scalæ gradum ascendit, jam ex continuo usu non sentiens laborem, sed ex usu laboris resumens consvetudinem. Ad altaris enim consecratus ministerium, seipsum vivam hostiam in ara crucis immolavit. Mundo mortuus quanquam adhuc spirabile gerens corpusculum, castitate Virgo, Sacerdos ordine, paupertate Monachus, professione Confessor, laboribus Martyr, legatione Apostolus, munditiâ Angelus.

Paulus in vita c. 2. 8. Jan. apud Bolland.

Septimum. S. Hieronymus ex Cheræmone Stoico ostendit, „ qualiter Sacerdotes Ægyptii postpositis omnibus mundi nego-„ tiis, curisque, soli cultui divino vacaverint: cognatos, ac liberos „ nunquam viserint, à suscepto officio mulieribus nullo tem-„ pore se miscuerint; carnibus ac vino semper abstinue-„ rint; panem rarò comederint: oleum tantum in oleribus nove-„ rint & ipsum etiam rarum: volatilia, ova cum lacte vitaverint: „ cubile de foliis palmarum, quas Bajas vocabant habuerint: sca-„ bellum acclive atque ex una parte obliqvum in terra pro pulvillo „ capiti supposuerint: humores corporis ex otio prognatos vi-„ ctus castigatione siccaverint. *Narrat præterea apud alios quoque populos fuisse, qui* uxoribus, vino, carnibus, volucribus, piscibus, po-„ mis,

S. Hieron. l. 2. contra Jov.

„ mis, coctisque cibis abstinuerint; & præter farinam, & olera „ in cibum nihil acceperint. Videant Sacerdotes, videant Christiani, qualiter vivant Pagani. An non isti in die Judicii stabunt contra nos, & suâ vitâ æternùm (quod absit) condemnabunt?

Patet ex dictis quibus in virtutibus Sacerdotes se exercere debeant; quarum *Praxes* vide suis locis infra in genere & specie.

§ V.

DIco Secundò. *Incitamenta ad Episcopali dignitati, & Caratellæ animarum Vitam condignam gerendam, hæc præsto sunt. Primum.* Gravissima obligatio, quâ ex vi status sui tenetur Episcopus tum ad exercendam vel saltèm procurandam perfectionem propriam, tum sibi subjectarum Animarum. Dico, *ad perfectionem propriam*: Quia penè fieri nequit, ut suo faciat satis officio in præstanda Cura animarum citra propriam perfectionem, juxta Verbum Christi: *Quod si sal evanuerit, in quo salietur? ad nihilum valet ultra: nisi ut mittatur foras & conculcetur ab hominibus.* Hinc Dominus antequam Petrum constituisset suarum Ovium Pastorem, prius serium instituerat examen de perfectione dilectionis dicens: *Simon Johannis diligis me plus his?* Respondit; *Domine tu scis, quia amo te.* Et dixit JESUS: *Pasce oves meas.* Ratio addi potest: quia nemo dat, quod non habet. Ergo & Curator animarum non formabit alios perfectione, quam non habet. Nec dicas: sufficit verbo alios instituisse. *Respondeo*: Parum prosunt verba, ubi desunt exempla: Ejus enim prædicatio contemnitur, cujus vita despicitur. Deinde tepidi vel improbi Prædicatoris voci ordinariè deest vox virtutis in Auditoribus operans tum ex parte prædicantis; cum non procedat ab eo ignitum eloquium, sed quasi carbones igne informes alios carbones peccatores scilicet haud incendentes; tum ex parte Spiritus S. qui ad ejusmodi Prædicatoris verba pios non excitat motus in cordibus audientium. Denique quomodo impurus alios verbo & exemplo erudiet in puritate; vacuus luminis virtutum, illuminabit virtute; exigvus in dilectione, inflammabit perficietque charitate? Quomodo ejusmodi mediator futurus inter DEUM & populum, pro eoque offeret dona & Sacrificia placans Divinam Majestatem, qui sicut populus sic Sacerdos, imperfectus, tepidus, delinquens?

Matth. 5.

Johan. 21.

linquens? Et tamen hæc sunt præcipua munia Officii Curatoris animarum, maximè Episcoporum & Prælatorum Ecclesiæ, quæ nequeunt exerceri absque propria perfectione, ut probatum est. Ergo propter perfectionem alienam exercendam stringuntur graviter Episcopi aliique Pastores Ecclesiarum ad propriam perfectionem habendam. Et ut Suarez docet: *Ipse homo se constituit in periculo, si absq; debita dispositione* (nempè scientiæ & virtutis) *talem statum* (id est Episcopalem) *suscipiat. Oportet* igitur juxta Apostolum *Episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem, non vinolentum, non percussorem: sed modestum, non litigiosum, non cupidum, suæ domui bene præpositum, filios habentem subditos cum omni castitate. Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ DEI diligentiam habebit? non Neophytum: ne in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli. Oportet autem illum & testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt: ut non in opprobrium incidat & in laqueum diaboli.* Et alibi: *Oportet Episcopum sine crimine esse, sicut DEI dispensatorem, &c. justum, sanctum, continentem, amplectentem eum qui secundùm doctrinam est fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere.* Et paulò post: *In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum bonum, irreprehensibile, ut is qui ex adverso est vereatur, nihil habens malum dicere de vobis.* Unde *S. Chrysostomus* inquit: „Itaque qui sibi, vel levis culpæ conscius est, malè profectò facit, eam rem appetens, quâ indignum se per opera fecit. Non enim decet hujusmodi regere, sed potius regi. Eum quippè qui regendos alios suscipit, tantâ decet gloriâ virtutis excellere, ut instar solis, cæteros veluti stellarum igniculos, in suo fulgore obscuret. Debet hujusmodi vitam habere immaculatam, atque compositam, ut omnes in illum, & illius vitam, veluti in exemplar aliquod excellens intueantur. Facit autem hoc Paulus non adsque ratione, qui hujusmodi monitis utitur: verùm quia & Timotheo ipsi cura incumbebat Episcopos Ordinandi, sicut & Tito, quem etiam de hujusmodi admonet. Er par erat, plurimos ejus rei desiderio allici, idcirco tantâ illum diligentiâ pingit, ut qui se ad eam rem præparare vellent, ad quantam virtutis celsitudinem sibi evadendum esset, agnoscerent. Sobrium atque vigilantem: Hoc est

De Stat. perfect. lib. 1. c. 14. n. 9.

Epist. 1. ad Timoth. cap. 3.

Epist. ad Titum cap. 1. 2. & 3.

S. Chrysostom. in Epist. ad Timoth. de dot. & qualit. Episcopi.

„ est clarisſimâ mentis acie prædıtum, innumerosq; omni ex par-
„ te habentem oculos, quibus acutisſimè omnia perſpiciat. Sunt
„ quippe plura, quæ incidant, & mentis hebetent aciem: puta
„ concupiſcentiæ, quotidianæ curæ, rerumque perturbatio, & plu-
„ rima id genus undique imminent.

Quod concernit perfectionis alienæ nempe animarum commiſſarum procurandæ obligationem, hanc in Epiſcopis & Curatoribus animarum eſſe gravisſimam, ſole clariùs patet. Quia hæc obligatio verſatur circa materiam omnium maximam, qualis eſt æterna ſalus animarũ: ſed quid multis? Audiamus id ipſum ex ore Apoſtolico, ac SS. Patrum, Tubarum illarum Cœleſtium, altiùs de ſublimitate, officiis, onere Paſtorum Eccleſiæ, intonantium. *Paulus* Doctor gentium, vide quantùm obteſtatur D. Timotheum, & ad quæ munia exequenda ſui Præſulatus, ſic dicens. *Teſtificor coram DEO, & JESV CHRISTO, qui judicaturus eſt vivos & mortuos, & per adventum ipſius, & regnum ejus: prædica verbum, inſta, opportunè, importunè: arguè, obſecra, increpa in omni patientia, & doctrina.* Et paulò-poſt: *Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac Evangeliſtæ, miniſterium tuum imple, ſobrius eſto.* Aureum verò illud os ita effatur: Vi-

2. Timoth. cap. 4.

S. Chryſoſt. in Epiſt. ad Timoth. de qualit. Epiſc.

„ gilantem igitur eſſe oportet, qui non tantùm ſui curam habet,
„ verùm etiam reliquorum, decet eſſe pervigilem eum, qui ejus-
„ modi eſt, ac Spiritu vivere, & affectus ſui flammam operibus
„ ipſis oſtendere, Ducesque omnes ſolicitudine, atque induſtriâ
„ ſuperare, ut diù noctuque exercitum & caſtra perluſtret, labo-
„ ret, & ſui officii munus diligentisſimè impleat, atque omnium
„ curam ac ſolicitudinem gerat. Aptum ad docendum: hoc quip-
„ pe à ſubditis nequaquàm exigitur, cæterùm illi ante omnia ad-
„ eſſe debet, qui hujuſmodi ſuſcepit officium. Ejuſmodi plura
vide *Sect: ſequenti*, ubi de Oppoſitis ſtatui Eccleſiaſtico.

Secundum Incitamentum ſunt magna cœli præmia, dignos Eccleſiæ Paſtores comitantia. Audi Principem Apoſtolorum, qui ait: *Seniores ergo qui in vobis ſunt, obſecro conſenior & teſtis Chriſti paſſionum: qui & ejus, quæ in futuro revelanda eſt, gloriæ communicator: paſcite qui in vobis eſt gregem Domini, providentes non coactè, ſed ſpontaneè ſecundùm DEVM, neq; turpis lucri gratiâ, ſed voluntariè: neq; ut dominantes in Cleris, ſed forma facti gregis ex animo. Et cum apparuerit Princeps*

1. Petr. c. 5.

Paſtorum,

Pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam. Hæc corona gloriæ non modò essentialis, verùm & accidentalis intelligitur, quæ sanctis Doctoribus (quales sunt Ecclesiæ Pastores) tribuitur. Hinc gloria ab eis Salvatorum in ipsorum accidentalem gloriam redundabit. Unde Apostolus: *Quæ est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum nostrum JESVM CHRISTUM estis in adventu ejus? vos enim estis gloria nostra & gaudium.* Unde legitur in vita S. Aldegundis, S. Amandum ei apparuisse magnâ multitudine Sanctorum à se salvatorum stipatum, inter quos ipse eminentior gloriâ, illi verò omnes respiciebant in ipsum quasi magistrum & parentem suum, eiq; suas coronas acceptas deferebant. 1. Thess. c. 2.

Tertium est. Exemplar boni Pastoris qui est Christus, & sui Apostoli; dicit enim Salvator: *Ego sum Pastor bonus. Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Unde *S. Augustinus* inquit: Pastor „ ergo bonus CHRISTUS. Quid Petrus? nonne bonus Pastor? „ nonne & ipse animam suam pro ovibus posuit? Quid Paulus? „ Quid cæteri Apostoli? Quid eorum tempora consequentes beati „ Episcopi Martyres? Nonne omnes Pastores boni, non mercenarii „ de quibus dicitur: Amen dico vobis perceperunt mercedem „ suam? Omnes ergo illi Pastores boni, non solùm quia sangvinem „ fuderunt: Sed quia pro ovibus fuderunt; Non enim fuderunt „ elatione sed charitate. „ Joan. c. 10. De Verb. D. Ser. 50.

Quartum. Exempla tot habes bonorum Pastorum, quot vitas legis Sanctorum Episcoporum, Abbatum, tum quorumvis Ecclesiasticorum & Religiosorum animarum Curatorum. Habes expressum supra de S. Amando Episcopo, nunc de inferiore Ecclesiastico & Religioso Superiore accipe exemplum. *Cantipratanus ait:* Dilectum valde socium in scholis habui, coævum fere & prope parilium studiorum, hic à puero usque ad finem vitæ à mulieribus incommixtus omninò semper fuit. In adolescentia Sacerdos factus in Brabantiæ partibus suscepit regimen animarum, quibus tam diligenti, tam sincerâ curâ præfuit, ut quos in bono vincere admonitione non potuit, multimodis provocare studebat exemplis. Aliis comedentibus jejunus ipse manebat. Aliis dormientibus manebat insomnis: atque aliis intentis ad aleas, ipse orationibus incumbebat. Quidquid in suos usus deputatum erat, commu- Cantipratanus Apum lib. 1. c. 14. part. 2.

ne pauperibus faciebat. Si quam ex ovibus aberrare videbat, importunè & opportunè ad revocandum instabat. Hæc foris præter illa, quæ intrinsecus majora latebant. Talibus actibus ferme viginti annis cunctis imitandus emicuit, & cùm Altissimo placuit, tali fine defunctus est. Febre acutissimâ per aliquot dies laboravit. Et ecce ubi Sacramentis salutaribus præmunitus, & attenuato spiritu animam felicem emisit, mox sine ullo interstitio, coruscatio tanti luminis resplenduit, ut per unam leucam circumquaque & eò ampliùs quasi dies esset clarissima, in lucem subitam noctis tenebræ verterentur. Quid mirum? illum recedere sine luce non decuit, qui multis illustratus exemplis, altioris vitæ volatus primos feliciter vendicavit. Facta est in morte beati viri dicta coruscatio lucis, diffusa per patriam prima horâ noctis adhuc vigilantibus plurimis, & ipsum lumen emissum multa millia hominum undecunque viderunt, qui ad majoris & gratioris agnitionis & veritatis lucem in visione tanti miraculi profecerunt. Beatus ergo ille prælatus, qui suis subditis viam vitæ exemplaris ostenderit, & volatus altioris exercitii vendicaverit principatum.

Lib. 2. c. 4. vitæ FF. Eremit. D. Augustini.

Aliud. Fuit quidam Prior in ordine (ut à senioribus meis accepi) à pueritia castus, religiosus, & devotus, sed valde rigorosus in regimine, & sub ipso viguit maxima disciplina. Nam regularis observantia, & Divinum officium optimè fiebat, & delinquentes strenuè corrigebat. Erat autem inter Conventuales suos quidam frater, in B. Joannem Baptistam, singularem devotionem habens, qui propter rigorem Prioris procuravit mitti ad alium Conventum. Cui apparens S. Joannes Baptista in visione dixit ei: Noli recedere à Priore tuo: quia utile & salubre est tibi sub ipso esse usque ad mortem. Et sic idem Frater sub illius mansit Prioris regiminis voluntate usque ad mortem, & tandem devotè obiit in die Nativitatis S. Joannis Baptistæ. Prior autem diu infirmatus diem claudens extremum, magnam gloriam & multa præmia percepit à Domino, sicut revelatum fuit cuidam sanctæ sorori.

Liquet igitur ex dictis, & magis ex dicendis patebit, quæ Curatorum animarum officia, & quomodo respectu sui, & sibi commissorum practicè exercenda.

SECTIO

SECTIO IV.

De Opposito Statui vitæ Supernaturalis Ecclesiasticorum.

DIco Primò: *Id Oppositum est Permanentia in Vitiis, Virtutibus Status Ecclesiasticorum contrariis &c*: ut supra proportionatè applica explicata. *Vide c.5.sect. 2. & c.6.sec.2. subsect. 2.*

§ I.

DIco Secundò: *Incitamenta ad Vitam Statui Ecclesiastico, maximè Sacerdotali, dissonam, fugiendam, hæc seqvuntur.*

Primum. *Quia, etsi Ecclesiastici supra beneficiorum suorum proventus habeant dominium: tamen satisfactâ sibi congruâ sustentatione, peccant mortaliter, dum partem superfluam bonorum merè Ecclesiasticorum non expendunt in pios usus: sed vel in amicos & consangvineos suos ut fiant ditiores, vel pro luxu & vana ostentatione abutuntur, vel thesaurizant & congregant pecuniam cum periculo amittendi eam post mortem, vel succursum interim non ferunt pauperibus, & Ecclesiæ necessitatibus.* Est hæc sententia D. Thomæ, & communis omnium Doctorum, teste Lugone. *V.S. Thom: quodlib.6.art: 12. ad 4. Et Cardinal. Lugo: de justit: disp: 4. sec: 2.* *Probatur* hoc ipsum ex gravi præcepto Concilii Tridentini tenoris talis: Sancta Synodus omninò interdicit Episcopis, ne » ex reditibus Ecclesiæ consangvineos, familiaresve suos augere » studeant, cùm & Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ec- » clesiasticas quæ DEI sunt, Consangvineis donent, &c. *Et paulò-* » *post*: Quæ verò de Episcopis dicta sunt, eadem non solùm in » quibuscunque beneficia Ecclesiastica obtinentibus pro gradus » sui conditione observari: Sed etiam ad S.R.E. Cardinales pertinere decernit. *Trident. Sess. 25. cap. 2. de Reform.* *Et ratio est*: quia Beneficiarii ex quo sunt Vicarii DEI in dominio bonorum Ecclesiæ, & nomine DEI accipiunt talia bona, sequitur eos debere imitari DEUM in usu eorundem bonorum, & repræsentare DEUM non utendo ipsis ad vana & profana. Deinde, quia bona Ecclesiæ cum secundùm Concil. Trident. sint *Res DEI*, id est à fidelibus mediatè vel immediatè DEO oblatæ in veniam suorum delictorum, & promovendum cultum DEI, summa indecentia est, & repugnans reverentiæ DEI, iis abuti ad vanitates & superfluitates, etsi tales res sint sub Dominio Ecclesiasticorum: planè ad eum modum sicut inquit *Lugo*: Tabellas aureas *Cardinalis Lugo. de Justitia disp. 4. sect: 3.*

reas donatas alicui Capellæ B. Virginis, adeoque sub dominio Capellæ constitutas, turpe esset ab ipsis, ad quos pertinet Capella, expendi in convivia aut venationes.

Secundum. Ecclesiastici per superfluum victum & amictum privantur mercede æternâ, rapinam sacrilegiumque committunt.
S. Bernard. Epist. 2. » Audi *Mellifluum* Ecclesiæ *Doctorem.* Memento fili, quia recepisti bona in vita tua: Recepisti dixit, non rapuisti; ne etiam de hoc tibi frustra blandiaris, quòd tuis contentus, aliena non rapias. Verumtamen quæ sunt illa tua ? beneficia Ecclesiæ ? rectè: quia surgis ad Vigilias, vadis ad Missas: horis Chorum nocturnis diurnisque frequentas, benefacis. Sic Ecclesiasticam præbendam gratis non accipis. Dignum est, ut qui Altario deservit, de Altario vivat. Conceditur ergo tibi, ut si benè deservis, de Altario vivas: non autem ut de Altario luxurieris, ut de Altario superbias, ut inde compares tibi fræna aurea, sellas depictas, calcaria deargentata, varia griseaq; pellicea à collo & manibus ornatu purpureo diversificata. Denique quod præter necessarium victum, & simplicem vestitum de Altario retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est. Orabat quidem Sapiens tantum victui suo
Prov. 30. v. 1. tribui necessaria; non superflua; Habentes (ait Apostolus) vi-
Tim. c. 6. v. 8. ctum & vestitum, non victum & ornatum. Et quidam alius
Vide Gen. 28. v. 20. Sanctus: si dederit inquit mihi Dominus panem ad manducandum & vestimentum quo operiar. Nota quo operiar. Sic ergo & nos contenti simus vestimentis quibus operiamur, non quibus lasciviamus, non quibus superbiamus, non quibus mulierculis vel similari vel placere studeamus. Sed hoc faciunt, inquis, cum quibus habito; si non facio quod cæteri, de singularitate notabor: propterea inquam exi de medio eorum, ne aut in urbe notabiliter vivas, aut exemplo pereas aliorum.

Tertium. Ecclesiastici ex affluentia bonorum Ecclesiæ genialiter viventes sunt illi, qui in terra Sanctorum iniqua gerentes, non videbunt gloriam DEI, sed sustinebunt pœnam diaboli. Ita *S.*
S. Bernard. Serm. 23. in Cant. » *Bernardus*: Pavendum valde quod in Propheta de huiusmodi legimus, ubi loquens ad Angelos suos DEUS sic ait: Misereamur impio. Quibus paventibus atque quærentibus: Non ergo discet facere justitiam? Non, inquit; subdensque causam, in terra,

ra, ait, Sanctorum iniqua gessit, & non videbit gloriam Domini. „
Timeant Clerici, timeant Ministri Ecclesiæ, qui in terris Sancto- „
rum quas possident, tam iniqua gerunt, ut stipendiis quæ suffi- „
cere debeant, minimè contenti, superflua quibus egeni susten- „
tandi forent, impiè sacrilegeq; sibi retineant: & in usus suæ su- „
perbiæ atque luxuriæ victum pauperum consumere non verean- „
tur, duplici profectò iniquitate peccantes, quod & aliena diripi- „
unt, & Sacris in suis vanitatibus & turpitudinibus abutuntur. „
Talibus ergo cùm impræsentiarùm parcere aut misereri, ne in æ- „
ternum parcat, cujus judicia abyssus multa, advertitur: quis hoc „
loco requiem quærat? Habet hæc visio tremorem judicii, non „
securitatem cubiculi. Terribilis est locus iste, & totius expers „
quietis. Totus inhorrui, si quando in eum raptus sum, illam a- „
pud me replicans cum tremore sententiam: Quis scit si est di- „ *Eccl. 9.*
gnus amore an odio? Nec mirum si titubo ego ibi (folium uti- „ *Job. 13.*
que quod à vento rapitur, & stipula sicca) ubi & maximus ille „
contemplator suos quoque fatetur penè motos fuisse pedes, penè „
effusos gressus, & dicebat: Zelavi super iniquos, pacem pec- „ *Psalm. 72.*
catorum videns. Quare? In labore, inquit, hominum non sunt, „ *Ibidem.*
& cum hominibus non flagellabuntur: ideoque tenuit eos „
superbia, ne humilientur ad pœnitentiam, sed damnentur pro- „
pter superbiam cum superbo diabolo & angelis ejus. Nam qui „
in labore hominum non sunt, in labore dæmonum profectò e- „
runt, dicente judice: Ite maledicti in ignem æternum, qui pa- „ *Matth. 25.*
ratus est diabolo & angelis ejus.

Quartum. Turpe & absurdum est Clericum specie, re & vitâ Secularem prætendere. Ita *B. Cardinalis Damianus*: Satis vi- „ *S. P. Damian. Card: de Com. Vita Can. Op. 6.*
detur absurdum, ut Clerici quis prætendat in Ordine speciem, „
& Secularium teneat vivendo conversationem: & quem à Lai- „
corum turbis professionis conditio separat, turpe est, si vel do- „
mestica conversatio, vel peculii abominanda proprietas Laicum „
esse convincat. Quid enim illius poterit concupiscentiam sa- „
tiare, cui non potest ipse DEUS in possessione sufficere? Cle- „
ricus quippe si juxta sui Etymologiam vocabuli ipse sors est DEI, „
ita nihilominùs & DEUS Omnipotens ejus esse portio perhibe- „
tur; unde & Hieremias ait: *Pars mea Dominus, dixit anima mea, pro-* „ *Thren: c. 3.*

pterea

„ *pterea exspectabo eum.* Et alibi DEUS: *Opus, inquit, manuum me a-*
„ *rum es tu, hæreditas mea Israel. Et iterùm :* Quo pacto quis v ale
„ at dici Canonicus nisi sit Regularis? quomodo Monachus, nisi
„ juxta vim sui nominis sit etiam singularis? Volunt siquidem
„ Canonici hoc est Regulare nomen babere, sed non regula-
„ riter vivere.

S. Greg. sup Jerem. Thren. c. 44. 1. Hom. de cura pastor.

Quintum. Quia multùm deploranda est vita improba Ec-
„ clesiasticorum. Collige ex dictis S. Gregorii in Jer: *Quomodo obscu-*
„ *ratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii*
„ *in capite omnium platearum?* Aurum quippe obscuratum est: quia
„ Sacerdotum vita quondam per gloriam virtutum clara, nunc
„ per actiones infimas ostenditur reproba. Color optimus est
„ mutatus: quia ille sanctitatis habitus per terrena & abjecta opera
„ ad ignominiam despectionis venit. Lapides verò sanctuarii
„ intrinsecùs habebantur, nec sumebantur in summi Sacerdotis
„ corpore, nisi cum Sancta Sanctorum ingrediens, in secreto sui
„ Conditoris apparebat. Nos ergo sumus, fratres charissimi, nos
„ sumus lapides sanctuarii, qui apparere debemus semper in se-
„ creto DEI, quos nunquam necesse est foris conspici, id est, nun-
„ quàm in extraneis actibus videri. Sed dispersi sunt lapides
„ sanctuarii in capite omnium platearum: quia hi qui per vitam &
„ orationem intus semper esse debuerant, per vitam reprobam
„ foris vacant. Ecce jam penè nulla est seculi actio quam non
„ Sacerdotes administrent. Dum ergo in sancto habitu consti-
„ tuti, exteriora sunt quæ exhibent, quasi sanctuarii lapides foris
„ jacent. Quia enim græcâ voce platea à latitudine vocatur,
„ sanctuarii lapides in plateis sunt, cum Religiosi lata mundi
„ itinera sectantur. Nec solùm in plateis, sed in capite platearum
„ dispersi sunt: quia & per desiderium mundi hujus opera per-
„ agunt, & tamen de religioso habitu culmen honoris quærunt.
„ In capite ergo platearum dispersi sunt, quia & jacent per mi-
„ nisterium operis, & honorari volunt de imagine Sanctitatis.

S. Bern. Serm. 6. in Psal. Qui habit.

Sextum. Ecclesiastici perversi sunt dæmonium meridianum,
„ prænuncii Antichristi, ut colligitur ex discursu *S. Bernardi* dicentis:
„ Multiplicasti Domine JESU gentem, sed non magnificasti læ-
„ titiam: quoniam multi sunt vocati, pauci verò electi. Omnes
ferè

fere quæ sua sunt quærunt, non quæ JESU Christi. Ipsa quo-„
que Ecclesiastica officia in turpem quæstum & tenebrarum ne-„
gotium transiêre: nec in his salus animarum,sed luxus quæritur„
divitiarum: propter hoc tondentur, propter hoc frequentant„
Ecclesias, Missas celebrant, Psalmos decantant. Pro Episcopati-„
bus & Archidiaconatibus, Abbatiis, aliisque dignitatibus im-„
pudenter hodie decertatur; Ut Ecclesiarum reditus in super-„
fluitatis & vanitatis usus dissipentur. Superest, ut reveletur„
homo peccati,filius perditionis,dæmonium non modo diurnum„
sed meridianum, quod non solum transfiguretur in Angelum„
lucis, sed extollatur supra omne quod dicitur DEUS aut„
colitur.

Septimum. Ab Exemplis. Aaron Sacerdotis duo filii Nadab & Abiu alienum ignem Domino contra Præceptum offerentes, cœlesti igne exanimati, occubuerunt. Ob ingluviem & fornicationem filiorum Heli Sacerdotis quanta illis minetur DEUS, audiant ipsis similes; sic namque ait Dominus: *Ecce ego faciam verbum in Israel, quod quicunque audierit, tinnient ambæ aures ejus. In die illa suscitabo adversum Heli, omnia quæ locutus sum super domum ejus: incipiam & complebo. Prædixi enim ei quòd judicaturus essem domum ejus in æternum, propter iniquitatem, eò quod noverat indignè agere filios suos, & non corripuerit eos. Idcircò juravi domui Heli, quòd non expietur iniquitas domus ejus victimis & muneribus usque in æternum.* Unde ipse Heli subitâ morte concidit, nequam filii à Philistæis perempti, Arca Domini ab iisdem capta, Israeliticus populus debellatus, Sacerdotium à domo Heli in Samuelem translatum. Nec suæ Arcæ sacrario, nec Genti Israel pepercit DEUS propter duos impios Sacerdotes. Deinde DEUS percussit *de viris Bethsamitibus, eò quod vidissent* (curiosiùs) *Arcam Domini, & percussit de populo septuaginta viros, & quinquaginta millia plebis. Luxitque populus eò quòd Dominus percussisset plebem plagâ magnâ. Et dixerunt viri Bethsamitæ: Quis poterit stare in conspectu Domini DEI sancti hujus?* Oza Sacerdos vectam Arcam DEI & titubantem ne concideret, minùs dignâ reverentiâ contrectans & sustinens, percussus à Domino interiit. En irreverentia circa figuram Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti, quàm horrendum in modum mulctata, quid igitur pœnarum

Levit.10. *1.Reg.3.* *1.Reg.6.* *2.Reg.6.*

perversi & impii Sacerdotes habent sperare in futuro seculo ob indignè suâ vitâ administratam ipsam Rei scilicet Divinissimi Corporis & Sangvinis Christi veritatem in tremendo Missæ sacrificio? *Item aliud*: Refert Petrus Cluniac: Quia apud castrumLizimacum, quod in Pictaviensi pago est situatum, nuper quidā Presbyter erat, quiSacerdotalis ordinis supercælestem dignitatem miserrimæ vitæ conversatione deturpans, non ad animarū (quibus præerat) curam, sed ad carnis voluptatem explendam sacro mysterio utebatur. Post dilatam vitæ emendationē in morbū incidit, quo ingravescente ad extrema devenit; venerat ad eum visitationis gratiâ quidam Prior Religiosus, & ecce æger inclamare terribiliter cæpit dicens, irruere in se duos Leones hianti ore ac rictu feroci per frusta eum discerpturos, sed Prioris oratione pulsi Leones, iterum post horæ unius intervallum rursus inclamare longè terribiliùs, quàm prius exorsus est: En inquit ignis de Cælo ut torrens inundans descendit, & super hunc lectum veniens, jam jamque me in favillam comburit. Verùm & ille ignis Prioris oratione repressus est. Tunc Prior, qui tam timore quam hospitandi necessitate recedere nolebat; substitit, & ab oratione surgens rursum ei assedit. Cumque eum tantis terroribus anxium consolaretur, & cum uterque ut prius colloqueretur, subitò ægrotus ad invisibilia raptus obmutuit; eum Prior raptum ab humanis intelligens, rei exitum præstolabatur. Tum ecce post multum noctis spatium homo ad se rediit, & miserabiliter ingemiscens, ait. Ha! Ha! ad judicium æternum raptus sum, & heu! miser æternâ morte damnatus sum. Traditus sum horrendis tortoribus, igni inexstingvibili cum diabolo & Angelis ejus perpetuò cruciandus. Ecce, ecce ignea sartago plena bullienti adipe, quam coram me tormentorum ministri detulerunt, eamq; ad me frixurandum undique succenderunt. Et cum sæpe nominatus Prior orationi, (sicut jam bis fecerat) tertiò quoque incubuisset, ille ait: Cessa, cessa rogo, pro me orare, ne pro illo ultra fatigeris, pro quo nullatenus exaudieris. Priore autem dicente; frater redi ad cor, & misericordiam dum adhuc vivis à DEO require. Ille adjecit: putas (ait) me insanum loqui? Non (ait) insanio, sed sanâ mente ea quæ dixi confirmo. Et cucullam Prioris manu tenens eum interrogavit, nonne hæc quam

Petrus Venerabilis Abbas Cluniac. lib. 1. Miracul. c. 25.

manu teneo cuculla tua est? Quo respondente, est, adjunxit: sicut hæc vestis cuculla est, & sicut hoc quod substratum est mihi, palea est, sic & hoc quod coram cerno ignita sartago est. Et dum hæc loqueretur gutta invisibilis ignis de illa quam videbat sartagine exiliens, in manum ejus, Priore vidente, cecidit, & mirabile dictu, cutem & carnem usque ad intima ossis consumpsit. Tunc ille acri cum gemitu. En (inquit) indubia rei probatio. Nam sicut ista, quam vides de sartagine prolapsa gutta carnis partem consumpsit, sic confestim me ignea vorago consumet. Priore ad ista stupente iterum dixit: Ecce sartaginem ipsam Ministri infernales propius afferunt, & ut me in illam injiciant, jam jamque manus adaptant. Et post modicum: Ecce linteum in quo jaceo undique concurrentes accipiunt, & in igneam sartaginem, æternamque frixuram projiciunt. Hoc velut ultimum vale mox ut Priori atq; his qui ad hoc spectaculum horrendum convenerunt dixit, subtractâ voce & reflexâ cervice puniendum spiritum condemnatis spiritibus tradidit. Quæ omnia (sicut Beatus Gregorius dicit) nullo modo propter se infelix Presbyter vidit, cui nihil visio ipsa contulit, sed quantâ cautelâ Sacerdotale officium administrandum, quàm reverenter Divina mysteria sint tractanda, superna super eum dispositio demonstravit.))

Ejusmodi terroribus, pœnis, & stimulis exagitatus animus sublimatorum Sacerdotali functione; qui tantæ præeminentiæ haud condignam vitam agunt, seriò resipiscant ad pœnitentiam, & ad meliora Virtutum studia, suo statui & officio proportionata per actus vitæ Activæ, vel Contemplativæ, vel Mistæ (de quibus vide in sequentibus) sese accingant. *Sect.* §.

§ II.

DIco. *Incitamenta ad vitam Statui Curato animarum, præcipuè Episcoporum disconvenientem, commutandam, hæc proponuntur.*

Primum. Quia dignitate Ecclesiasticâ abutentes ad quæstum & vanam gloriam &c. summè sunt ingrati, & injurii Christo: Libeat audire *S. Bernardum*: Mitte te deorsum, cave tibi „ *S. Bernard.*
quicunque es, qui templi pinnaculum conscendisti, cave tibi spe-„ *Serm.14.in Ps.*
culator domus Domini. Cave tibi qui in Ecclesia Christi locum „ *Qui habitat.*
cerneris tenere sublimem. Quam ingratus enim, imo quàm in-„

„ juriosus es illi magno Sacramento pietatis, si in illo quæstum „ æstimes pietatem. Quàm infidelis ei, qui Ministerium hocSan- „ gvine proprio consecravit, si eo quæras gloriam tuam, quæ ni- „ hil est, quæras quæ tua sunt non quæ JESU Christi. Quàm indi- „ gnè respondes ejus dignationi, qui in dispensatione humilitatis „ suæ sublimem te esse fecit, cælestia tibi Sacramenta commisit, cæ- „ lestem, fortè & ampliorem, quàm ipsis Spiritibus cælestibus, „ tradidit potestatem.

Secundum. Divitiæ & deliciæ Prælatorum eos sepeliunt in „ inferno. Verissimè S. *Bernardus*: Unigenitus qui est in sinu Pa- „ tris, nonnè de secreto suo prodiit ad Publicum nostrum? Non- „ ne de Cælo descendit ad terras, ut prædicatione & conversatio- „ ne suâ persvaderet hominibus contemptum mundi? Nonnè „ vos estis Vicarii ejus? Nonnè quod prædicavit, & vos debetis „ prædicare: quod dissvasit, dissvadere: quod persvasit, persvade- „ re? A Christo dicti estis Christiani. Nonnè eâ viâ quâ Chri- „ stus ambulavit, & vos debetis ambulare? Nonnè sicut conver- „ satus est, & vos Vicarii ejus debetis conversari? Ita planè, nisi „ fortè doctiores eo fueritis, vel sanctiores. Dicite ergo Archi- „ diaconi, dicite Presbyteri, dicant etiam Pontifices, in frænis, in „ sellis quid facit aurum? In vestimentis tantus ornatus? In cibis „ tam superfluus apparatus? Esca ventri, & venter escis: DEUS „ autem & hunc & has destruet. Multus erat nitor vestium, & „ delicatus ciborum apparatus apud illum divitem Evangelicum „ qui induebatur purpurâ & bysso, & epulabatur quotidie splen- „ didè: mortuus tamen est, & sepultus in inferno: ô dirum, ô „ execrabile & horrendum sepulchrum! ubi est fletus & stridor „ dentium, ubi sunt aquæ nivium, ubi vermis qui non moritur, ubi „ ignis qui non extingvitur. Hoc sepulchrum divitem, sed sinus „ Abrahæ pauperem Lazarum excepit. Quis sapiens & custodi- „ diet hæc? Vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget „ hæc.

Vide in Oper S. Bernard. — *1. Cor. 6.* — *Luc. 16.*

Tertium. Quia secundùm D. *Bernardum*: Monstrosa res „ gradus summus, & animus infimus; sedes prima, & vita ima; „ lingva magni-loqua, manus otiosa; sermo multus, & fructus „ nullus; vultus gravis, & actus levis; ingens authoritas, & nu- „ tans stabilitas.

S. Bernard. de Considerat. l. 2. n. 17.

Quar-

Quartum. Summa indecentia & absurditas est Personam & munus gerere Christi, successores esse Apostolorum, & vitam „ ab illis ducere alienam, quod eleganter depingit *B. Bernardus* al- „ latâ Antithesi seu disparantia Vitæ S. Malachiæ & improborum „ Episcoporum. Ait itaque præfatus Sanctus: Denique cum exi- „ ret (S. Malachias) ad prædicandum, cum peditibus pedes & ip- „ se ibat, Episcopus & Legatus. Forma Apostolica hæc, & inde „ magis mira in Malachia, quò rara nimis in aliis. Verus profe- „ ctò Apostolorum hæres est iste, qui talia agit. Sed advertere „ est, quomodo dividat hæreditatem cum fratribus suis, æque ne- „ potibus Apostolorum. Illi dominantur in Clero; iste dum esset „ liber ex omnibus, omnium se servum fecit. Illi aut non evange- „ lizantes manducant, aut evangelizant ut manducent: Malachias „ imitans Paulum manducat ut evangelizet. Illi fastum & quæstum „ æstimant pietatem: Malachias hæreditate vendicat sibi opus & „ onus. Illi felices se credunt si dilataverint terminos suos: Ma- „ lachias in dilatanda charitate gloriatur. Illi congregant in hor- „ rea, & dolia replent, unde onerent mensas: Malachias colligit in „ deserta & solitudines, unde impleat Cælos. Illi cum accipiant „ decimas & primitias & oblationes, insuper & de Cæsaris bene- „ ficio telonia, & tributa, & alios reditus infinitos, soliciti sunt ni- „ hilominùs quid manducent, aut quid bibant: Malachias nihil „ horum habens, multos tamen locupletat de promptuario fidei. „ Illis nec cupiditatis nec solicitudinis est finis: Malachias cupiens „ nihil, non novit tamen cogitare de crastino. Illi à pauperibus „ exigunt quod dent divitibus: iste solicitat divites pro pauperi- „ bus sustentandis. Illi marsupia vacuant subditorum: iste pro „ peccatis eorum Altaria cumulat votis hostiisque pacificis. Illi al- „ ta palatia erigunt, turres ac mœnia ad Cælos levant: Malachias „ non habens ubi caput reclinet, opus facit Evangelistæ. Illi equos „ ascendunt cum turba hominum gratis manducantium panem, „ & non suum: Malachias septus Sanctorum Fratrum collegio pe- „ des circuit, portans panes Angelorum, quibus satiet animas esu- „ rientes. Illi plebes ne agnoscunt quidem; iste erudit. Illi po- „ tentes & tyrannos honorant: iste punit. O Virum Apostolicum, „ quem tot & talia nobilitant signa Apostolatus sui! Quid ergo „ mirum si mira est operatus sic mirabilis ipse?

V. Tubas orbis Christian: apud Merlo Horstium.

Quintum. Quia ut perspicaciori oculo advertit *D. Gregori-*
„ *us*, calamitates publicæ populi ex incuria Curatorum animarum
„ oriuntur: sic effatur is Sanctus. Quanto autem mundus gla-
„ dio feriatur aspicitis, quibus quotidie percussionibus intereat
„ populus videtis. Cujus hoc nisi nostro præcipuè peccato agitur?
„ Ecce depopulatæ Urbes, eversa sunt Castra, Ecclesiæ ac Mona-
„ steria destructa, in solitudinem agri redacti sunt. Sed nos pe-
„ reunti populo authores mortis exstitimus, cui esse debuimus du-
„ ces ad vitam. Ex nostro enim peccato populi turba prostrata
„ est, quia faciente nostrâ negligentiâ ad vitam erudita non est.

S. Gregorius Homil. de Cura Pastor.

Sextum. Improba vita Pastorum Ecclesiæ, summè præjudi-
„ ciosa Christo, ejusque gregi perniciosa. Ita *Magnus Gregorius*: Nul-
„ lum puto, Fratres charissimi, ab aliis majus præjudicium, quàm
„ à Sacerdotibus tolerat DEUS, quando eos quos ad aliorum cor-
„ rectionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit: quando
„ ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus. Plerumque
„ quod est gravius, Sacerdotes qui propria dare debuerant, etiam
„ aliena diripiunt. Plerumque si quos humiliter, si quos conti-
„ nenter vivere conspiciunt, irrident. Considerate rogo quid
„ de gregibus agatur, quando lupi Pastores fiunt. Hi enim custo-
„ diam gregis suscipiunt, qui insidiari gregi Dominico non me-
„ tuunt, contra quos DEI greges custodiri debuerunt. Nulla ani-
„ marum lucra quærimus, ad nostra quotidie studia vacamus, ter-
„ rena concupiscimus, humanam gloriam intentâ mente capta-
„ mus. Et quia eo ipso, quo cæteris Prælati sumus, ad agenda
„ quælibet majorem licentiam habemus; susceptæ benedictionis
„ ministerium vertimus ad ambitionis argumentum: DEI causas
„ relinquimus, ad terrena negotia vacamus: Locum Sanctitatis
„ accipimus, & terrenis actibus implicamur. Impletum est in no-
„ bis profectò, quod scriptum est: *Et erit sicut populus, sic Sacerdos.*
„ Sacerdos enim non distat à populo, quando nullo vitæ suæ meri-
„ to vulgi transcendit actionem.

Ibidem.

Osee 4.

Septimum. Ob negligentiam curæ animarum, maximè qui
eam ambiunt, grande incurrunt periculum propriæ salutis. Ita
„ *D. Chrysostom*: Quid miserius illis dixeris, qui se conjiciunt in
„ tantam abyssum suppliciorum? omnium quos regis mulierum,

S. Chrysost. citatus à Merlo Horstio in 7. Tubis Orbis.

&

& virorum, & puerorum, à te reddenda est ratio. Tanto igni „ caput tuum subjicis? Miror an fieri possit, ut aliquis ex Recto- „ ribus sit salvus, cum videas post minas & præsentem socordiam, „ aliquos adhuc accurrentes, & se conjicientes in tantam molem „ rectionis & administrationis. Nam si ji, qui necessitate trahun- „ tur, non habent quò confugiant, & quo se excusent, si rem malè „ administrent, & sint negligentes. (Nam & Aaron tractus est „ necessitate, & venit in periculum: et Moyses rursus venit in pe- „ riculum, cum sæpè recusasset: & Saul, cui fuerat creditum aliud „ imperium, postquam recusavit, vocatus est in periculum, quoni- „ am ipsum malè administrârat) quanto magis ji, qui in hoc suum „ studium ponunt, & in id irrunt? qui est autem talis, longè ma- „ gis se omni privabit veniâ.

Octavum. Curatorum Animarum pauci sunt qui salvantur, & multo plures qui pereunt: & Quare, audi grâviter disserentem Archipræsulem Constantinopolitanum: Non temerè „ dico, sed ut affectus sum & sentio. Non arbitror inter Sacer- „ dotes multos esse, qui salvi fiant, sed multo plures qui pereant. „ In causa est: Quoniam res excelsum requirit animum. Multas „ enim habet causas, quæ depellant ipsum à suis moribus, & innu- „ meris oculis illi opus undique. Non vides quam multas res „ oportet adesse Episcopo, ut sit appositus ad docendum, ut tole- „ rans malorum, ut tenax (*seu constans*) sit ac fidelis in doctrina „ sermonis? Quantæ hoc difficultatis? & quod alii peccant, illi „ imputatur. Nihil dico præterea, si vel unus tantùm decedat, non „ initiatus, nonne totam ipsius subvertet salutem? Unius enim „ animæ perditio, tantam habet jacturam, uti nulla ratio possit „ æstimare. Etenim si unius animæ salus tanti est, ut ob hanc Fi- „ lius DEI fieret homo, tantaque pateretur, perditio cogita quan- „ tam conciliabit pœnam? Quod si quis ob hominem, in hac vita „ perditum, morte dignus est, quantò magis ille? Ne mihi dixe- „ ris igitur: Peccavit Presbyter, aut Diaconus; omnium horum „ crimina redundant in caput eorum, qui hos elegerunt. „

S. Chrysost: Hom: 3. in Acta Apostol:

Nonum. Clericus quidam in synodo Episcoporum prædicare compulsus, angustiabatur non modicùm, quidnam dignè posset coram tot Prælatis Ecclesiæ prædicare. At ubi accessurus

Cantipratanus de proprietate Apum: lib. I. cap. 20. in part. 8.

in oratione jaceret, venit ad eum diabolus, dixitque ei: Quid angustiaris coram istis Clericis prædicare? Dicas eis istud, & non aliud: Principes infernalium tenebrarum Principes Ecclesiæ salutant: Læti omnes nos gratias referimus eisdem; quia cum ipsis Prælatis nobis eorum subditi devolvuntur, vel offeruntur; & per eorum negligentiam ad nos fere pariter devolvitur totus mundus. Invitus quidem tibi dico, quod dico, sed Altissimi jussione coactus. Respondit Clericus: mihi quidem si hæc narravero, non credent. Tunc diabolus tangens maxillam ejus; Ecce ait, signum, nigredo insolita faciei. Hanc antequam prædices, non contingas, quia frustra, post prædicationem verò aquâ benedictâ delebis. Processit Clericus prædicaturus in synodo, & admirantibus cunctis in signo indito faciei, illa quæ sibi jussa sunt, recitavit, & ad horrorem maximum cunctorum corda permovit. Hæc eodem anno ab Incarnatione Domini 1248. fuerunt Parisiis coram omni populo & Clero solenniter recitata.

Tritemius in Chron. Girsaug. Monaster: & Navel: gener. 33. fol. III. Baptista Fulgos. lib. 9. cap. 12. Gotsch. Holen. præcept. 6. Decal. Hartm: Sched: in suo Chron: de Tempore.

Aliud. Terribile & à seculis inauditum prodigium verâ fide refertur de Udone Magdeburgensi Metropolitano, qui ob sua scelera, in ejusdem Ecclesia coram apparente Christo judice & Sanctis decollatus, talem in modum ejus condemnata anima apparuit. Eodem namque die (suæ decollationis) quidam ex Capellanis ejusdem Udonis nomine Bruno, cum legationem commissam peregisset; Partenopolim, quod est Magdeburg continuò famulis longè ante se præcedentibus studuit remeare. Interim gravi oppressus somno, arborem quandam umbrosam vidit, de equo descendit, & frænum fortiter ad brachium alligans, ibidem paululum requievit. Et ecce ingens globus spirituum immundorum cum tubis, tympanis, & cum gladiis, & fustibus, cum lanceis, & securibus, ad eundem locum gradu concito properabat. Cumque omnes convenissent, unum ex eis, qui princeps videbatur, qui erat staturâ procerior, & vultu terribilior, solium construentes, desuper sedere fecerunt: Nec mora, alter cuneus grandis clamans, cachinnans, & tripudians eminus apparuit, de quo velociores aliqui præcesserunt, & fortiter clamaverunt: Date locum, date locum, ecce princeps Udo noster charissimus appropinquat. His dictis, satellites sathanæ miseram Udonis animam in effigie

corporali, catenâ igneâ ad collum ejus constrictâ ad suum principem perduxerunt. Cui Sathan protinus assurexit, salutans eum verbis pacificis in dolo: Benè (inquit) venisti ò princeps, fautor, & dilatator regni nostri: ecce paratissimus sum tibi, & omnibus amicis nostris fidelibus reddere talionem. Cumque Udo obmutesceret, Sathan assistentibus ait; Fatigatus est iste dilectus noster huc veniendo, & ideo placet nobis, ut consoletur. Date ergo ei manducare. Illo autem tremente, renuente, & caput revertente, crudeles ministri ori ejus bufones, serpentes, violenter impresserunt, & liquorem sulphureum postmodum infuderunt. Adhuc illo non loquente: Sathan præcepit dicens: Ad balneum deducatur. Ecce non procul erat puteus operculum habens, quo ablato flamma vorax usque ad cœlum erumpebat, quæ non solùm arbores, montes, sed lapides, imò etiam aqnam juxta manantem velut stipulam consumebat; in quem illam infelicem Udonis animam præcipitaverunt. Et postmodum extrahentes in modum ferri candentis, & totam ignitam suo principi detulerunt: Qui subridens dixit: Nonne balneum svave habuisti ô princeps? Tunc Udo damnatum se videns, cœpit blasphemare & dicere: Maledictus Sathan, tu, & omnis familia tua, omnisque suggestio tua, & omne imperium tuum: Maledictus DEUS, qui me creavit: Maledicta terra, quæ me portavit: Maledicti parentes, qui me genuerunt: & maledicta omnis creatura in cœlo & terra. Tunc dæmones unà cum principe suo cæperunt manibus plaudere, & dicere: Verè dignus est iste manere nobiscum, quia optimè scit officium nostrum. Mittatur ergo ad principalem scholam damnatorum, ut videat, audiat, sentiat, & addiscat ampliùs in secula seculorum. Vix verba finierant, & ecce unanimiter in odiosam illam creaturam irruerunt, eamque tam impetuosè in tartareum illud barathrum jactando immiserunt, acsi cœlum, & terra, & omnes montes hujus mundi invicem quaterentur. Capellanus autem ille supradictus hæc omnia in somnis videns & audiens, tremuit vehementer. Tunc princeps tenebrarum digito eum ostendens dixit; Videte ne effugiat Clericus ille, qui nos aspicit, quia semper exstitit malitiarum suarum cooperator conscius, & defensor. Ergo sicut fuit fautor culpæ, sic sit & particeps vindictæ, ideoque &

in illum puteum ad Dominum suum demergatur. Quo dicto, cum dæmones eum capere vellent, & ipse fugere conaretur, repentè à somno exiliens evigilavit, sicque equus territus, tamdiu hinc inde saltabat, miserum trahens hominem, donec à sua junctura ejus brachium solveretur. Difficulter tandem equum ascendens Parthenopolim venit, & mox ut Dominum suum mortuum esse cognovit, visionem visioni, terrorem terrori, judicium judicio, prodigium prodigio cumulavit, & omnia quæ sibi acciderant, quæ viderat & audierat, patefecit, ostendens etiam à sua compage membrum avulsum, & repentinam canitiem in argumentum veritatis. Cives autem videntes & audientes hoc horribile & insolitum Domini DEI nostri judicium, vehementer timuerunt, & cadaver ignobile procul ab urbe in paludem jactaverunt. Quod bestiæ ferales cum plausibus & lusibus protinus exceperunt, & huc illucque trahendo morsibus discerpserunt, & ruricolas habitantes variis injuriis multoties affecerunt. Tandem inito consilio glebam illam maledictam de palude trahentes combusserunt, & pulverem in Albim fluvium projecerunt. Mira res, omnes pisces suum gurgitem relinquentes Oceanum adierunt, donec lytaniis, psalmodiis, orationibus, & pœnitentiis, placatus jam Dominus, post decennium vix tandem redierunt. Hujus horrendi prodigii memoriam ingerit cruor Udonis, ex ipsius decollatione effusus super pavimentum marmoreum candidum positus, qui tam visibiliter adhæret pavimento, ut de essentia marmoris esse quodammodo videatur. Super locum autem illum ubi decollatio est facta, semper prosternuntur tapetes. Et quando super electos Episcopos, Te DEUM laudamus, juxta morem canitur, tolluntur, & ibi ad orationem prosternuntur, ut videntes sibi caveant, ne fortè pereant sicut ille. A Domino verè factum est istud ad terrorem utique Episcoporum illius Ecclesiæ, & omnium inutilium Prælatorum, ut audientes contremiscant Divinæ Majestatis terribile judicium, & severissimam ultionem.

Cæsarius lib. 12. c. 6.

Aliud. Erat in quadam villa Sacerdos miserrimus, luxuriæ & commessationibus vacans, animasque sibi commissas omnino negligens, qui cùm mortuus fuisset, Parochiani sub eo defuncti, saxis comprehensis in locis infernalibus illum arctare cœperunt ac

dicere:

dicere: Tibi commissi fuimus, & tu nos neglexisti, & cùm peccaremus, neque verbo neque exemplo nos revocasti, tu occasio nostræ damnationis fuisti. Quem cùm agitarent, lapides post eum mittendo, ille in puteum cadens, nusquam comparuit. Hæc cuidam Religioso de illo sunt ostensa.

Aliud. S. Gregorius de quodam Abbate malo inquit: *Qui tot discipulos per suam negligentiam ad infernum duxit, reliquis nunquam præponi debuit.* *S. Gregorius Moral. lib. 4. Ind. 13. c. 48.*

Jam nunc aspiciat seipsum quisque Prælatus, Superior Ecclesiasticus vel cujuscunque ille sit Ordinis sive Religionis, & videat, ne sit unus de illis Senioribus, de quibus Dominus ait: *Quia egressa est iniquitas à senioribus judicibus, qui videbantur regere populum.* Sive contra quos intonat Christus: *Væ vobis! scribæ & Pharisæi hypocritæ: quia clauditis regnum Coelorum ante homines: vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare. Væ vobis! scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui circuitis mare & aridam, ut faciatis unum Proselytum: & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quam vos. Væ vobis! scribæ & Pharisæi hypocritæ; quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris patent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitiâ: sic & vos à foris quidem patetis hominibus justi, intus autem pleni estis hypocrisi & iniquitate.* Audiant hæc omnes ignavi & perversi Superiores, & contremiscant ad suum æternum væ! væ! væ! quorum eò profundior damnatio, quò de sibi subjectis plures ruunt in orcum. O infelices oves, quæ per incurios Pastores, infernali lupo dantur in prædam! O infelicissimæ, quæ ipsos Pastores pro rapacissimis lupis experiuntur! dum scilicet innocentes animas sibi similes & pares in nequitia & delictis conformare gestiunt. Vestris id oviculæ Christi imputate peccatis. Hæc dicit Dominus: *Dabo pueros principes eorum, & effæminati dominabuntur eis.* Jam autē *væ tibi terra cujus Rex puer est, & cujus Principes manè comedunt.* Et: *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.* Accipe quoq; sensum S. Anastasii Sinaitæ & exempla sicut in Politico ita & in Ecclesiastico statu. Dicit ergo sanctus iste: Cum videris indignū aliquem & sceleratum Regem, aut Principem aut Magistratum, aut Episcopum, ne mireris, neque Dei accuses providentiam: sed disce, & crede, quod propter nostras iniquitates tradimur ejusmodi ty-

ita cit. a S. Bonav. in phar. cap. 12.
Dan. cap. 13
Matth. c. 23.
Isa. 3.
Eccles. 10.
Job. 34.
S. Anast. sinai. in Psal. 6. 9. 16.

di tyrannis, & ne sic quidem à malis abstinemus. Fuit quædam civitas in Thebaide iniqua, & quæ multa faciebat scelerata & execranda; in qua vir quidam perditissimus in populo per falsam quandam compunctionem repentè tonsus fuit & monasticum induit habitum; minimè tamen cessavit à sceleratis actionibus. Accidit ergo ut decederet Episcopus civitatis. Cuidam autem viro apparuit Angelus dicens: vade & fac ut civitas Episcopum eligat plebejum illum, qui illic habitat. Abiens ergo fecit, quod jussus fuerat. Ille autem ex infimo vulgo electus cæpit apud se elatus esse, sibique valde placere. Accedens autem Angelus Domini dicit ei: *Cur superbis, & magnificè tibi places ò infelix? Reverà non tanquam dignus Sacerdotio factus es Episcopus: sed quia hæc civitas tali digna erat Episcopo.* Nemo sibi placeat de sua dignitate, quia scire non possumus quo DEI judicio ad eam pervenerimus. Quando Phocas tyrannus factus fuit Imperator, & per Bosonem lictorem cæpit facere sangvinis effusiones: quidam Monachus in civitate Constantinopolitana, vir sanctus, & qui ad DEUM habebat magnam fiduciam, cum DEO disceptabat dicens in simplicitate: *Domine cur eum fecisti Imperatorem?* Quod cum permultis diebus dixisset, vox ad eum venit à DEO dicens: *Quoniam non inveni pejorem.*)) Igitur oves Christi tollite culpam, & DEUS custodum Luporum auferet à vobis truculentam pænam, quæ utinam quandoque in solo corpore sisteret, & non etiam æterno exitio plerosque addiceret.

Idem cit.

§ III.

PRAXIS reformandi vitam statui Spirituali seu Ecclesiastico difformem (ubi talis, vel in quibus personis est) illam conformare ad Sacros Ecclesiæ Canones statum Cleri concernentes. Nos hìc potissimùm ex *Sacrosancta & Oecumenica Synodo Tridentina* nonnulla *Decreta de reformatione* afferimus, quibus sequentia **Media reformationis Cleri** stabilimus.

Primum Medium: *Sanctitas, Doctrina, Prudentia, Zelus Episcoporum, aliorumq; Curatorum animarum.* Quod medium vel unicum sufficere videtur ad excitandam Cleri & Populi avitam pietatem (ubi collapsa est) (& ubi viget) conservandam, & augendam.

dam. Hinc *Sacrosancta Synodus Tridentina* (ut ejus textu loquar) *ad restituendam collapsam admodum Ecclesiasticam disciplinam, depravatosq; in Clero, & populo Christiano mores emendandos, se accingere volens, ab iis, qui majoribus Ecclesiis præsunt, initium censuit esse sumendum; integritas enim præsidentium salus est subditorum. Confidens itaq; per Domini ac DEI nostri misericordiam, providamq; ipsius DEI in terris Vicarii solertiam omnino futurum, ut ad Ecclesiarum regimen, onus quippe Angelicis humeris formidandum, qui maximè digni fuerint, quorumq; prior vita, ac omnis ætas, à puerilibus exordiis usq; ad perfectiores annos per disciplinæ stipendia Ecclesiasticæ laudabiliter acta, testimonium præbeat, secundùm venerabiles beatorum Patrum Sanctiones assumantur.* Et alibi: *Nihil est quod magis adpietatem, & DEI cultum assiduè instruat, quàm eorum vita & exemplum, qui se Divino ministerio dedicarunt, cùm enim à rebus seculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos tanquam speculum cæteri oculos conjiciunt, ex iisq; sumunt, quod imitentur. Quapropter sic decet Clericos in sortem Domini vocatos, vitam moresq; componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisq; omnibus rebus, nil nisi grave, moderatum, ac religione plenum præseferant. Levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem.* Quod innumeris Prælatorum constat exemplis. Placet unum S. Caroli Borromæi afferre. Hic beatus Præsul cùm Mediolanensem non solum populum, sed & Clerum, quasi agrum, malitiâ temporum, vepribus turpiter deformem reperisset, suâ vigilantiâ, hunc ita restituit & excoluit, ut Clerum illum redderet præclarum exemplar Ecclesiasticæ disciplinæ. Unde qui prius in illa Diæcesi speciem quandam Babylonis conspexerant, jam tanquam Jerusalem novam descendentem de cœlo â DEO, paratam sicut sponsam ornatam viro suo, admirarentur & collaudarent. Hinc meritò hoc celebratur elogio: „Carolus Angelus terrestris, qui prædicatione, humilitate, charitate, „nobis repræsentat Basilios, Chrysostomos, Gregorios; morti-„ficatione Hilariones, & Antonios; constantiâ Athanasios, & Hi-„larios; diligentiâ Cyrillos, Hieronymos, Paulinos. Exemplar „vivum Prælatorum, norma Episcoporum, regula Ecclesiastico-„rum, frænum dissolutorum, vita Ecclesiasticæ disciplinæ. Sicut è contra omnis mali origo est mala vita vel negligens Prælatorum. *Audi S. Ambrosium, qui ait:* „Sicut in corporalibus membris, capite „vitiato,

Sess. 6. Decret. de reform. c. 1.

Trid. Sess. 22. cap. 1.

Jacob. Marchantius Hort. pastor. vir. Aaron. Tract. 2. Lect. 2.

Vide ibidem apud Marchant. Lect. 7

„ vitiato, necesse est reliqvum corpus inundatione superioris „ morbi lethaliter irrigari; ita & hi, qui caput videntur esse Eccle-„ siæ, morbo suo fraternum vitiant corpus, ut nihil ex totius cor-„ poris compage insauciatum possit evadere, quod negligentium „ Sacerdotum vitiositas non infecerit; unde populum videmus „ nugacem & indoctum, eò quòd tales habeat Sacerdotes. *Et S. Chrysostomus inquit*: Quemadmodum cùm videris arborem pal-„ lentibus foliis, intelliges quia aliquam culpam habet circa radi-„ cem, ita cùm videris populum indisciplinatum & irreligiosum, „ sine dubio cognosce, quia in Sacerdotibus culpa est. Sicut de „ templo omne bonum egreditur, sic & de templo omne malum „ procedit.

Chrys. hom. 38. in Matth.

Quoad *Doctrinam* seu *Scientiam*: Hæc qualis in Antistitibus requiritur accipe Decretum Concil Trident. Sess. 22. de Reform. c. 2. tenoris hujusmodi: *Quicunq; posthac ad Ecclesias cathedrales erit assumendus, is non solùm natalibus, ætate, moribus, & vita, ac aliis quæ à sacris (a) canonibus requiruntur, plenè sit prœditus, verùm etiam in Sacro Ordine antea, saltem sex mensium spatio constitutus. Quarum rerum instructio, si cum à nobis de ejus notitia nulla, aut recens in Curia fuerit, à sedis Apostolicæ Legatis seu Nunciis provinciarum, aut ejus Ordinario, eoq; deficiente, à vicinioribus Ordinariis sumatur. Scientiâ verò præter hæc ejusmodi polleat, ut muneris sibi injungendi necessitati possit satisfacere, ideoq; antea in Universitate studiorum Magister, sive Doctor, aut Licentiatus in Sacra Theologia, vel jure Canonico meritò sit promotus, aut publico aliaujus Academiæ testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur. Quod si Regularis fuerit, à Superioribus suæ religionis similem fidem habeat. Prædicti autem omnes unde instructio seu testificatio erit sumenda, hæc fideliter, & gratis referre teneantur: alioquin eorum conscientias graviter oneratas esse scient, ac DEUM, & Superiores suos habebunt ultores.*

(a) c. cum in cunctis &c. elec. c. grave Nimis de præb. & infra Sess. 24. c. 1. de ref. Conc. Sardic. cap. 13. Conc. Rom. sub. Nic. 1. vers. ut null. Laicus. Conc. Bracar. 1. c. 38. c. de Syracus. 28. dist. per totam. Sess. 7. c. 1. de eodem. sed minus plenè 1. Carthag. c. 1.

Quod concernit *Prudentiam* in Præsule pernecessariam; hæc alia est *Naturalis*, quâ aliquis per vivacitatem & subtilitatem ingenii combinans præsentia cum præteritis & futuris, format judicium cautum & circumspectum in agendis. Alia Prudentia est *Acquisita seu Experimentalis*, hæc successu ætatis acquiritur per varias vicissitudines rerum. Alia Prudentia *Moralis naturalis*, quæ multiplici lectione, doctrinâ, & exercitio comparatur. Alia Prudentia *Superna-*

turalis habitualis, quæ omnibus justis cum gratia sanctificante infunditur, & cum gratiis actualibus proportionatè ad cujusque status officia in actum deducitur. Hæc virtus quantæ sit necessitatis in Curato animarum prorsus est inexplicabile; adeo ut Virtus omnis, & Doctrina, & Zelus sine Prudentia degeneret in vitium & operanti, & suo proximo periculosum. Præsul igitur Ecclesiæ DEI, & Curator quisque animarum, summæ debet esse prudentiæ, quam cum Salomone impetret sibi à Domino dicens: *Domine DEUS dabis servo tuo cor docile, ut populum tuum judicare possit, & discernere inter bonum & malum: quis enim judicare poterit populum tuum hunc multum.* Verùm de Prudentia pluribus infra. 3. Reg. 3.

Porrò *Zelus* in Præsidibus Ecclesiæ adeo est necessarius, sicut anima in corpore. Hic verò Zelus maximè situs est in prædicatione Verbi Divini, quod principale est medium ad lucrandas animas. Ad cujus ministerium exhortatur S. Concil. Trident: tum aliàs tum Sess. 5. de reform. c. 2. inquiens: *Quia Christianæ reipublicæ* (a) *non minus necessaria est prædicatio Evangelii, quàm lectio. Et* (b) *hoc est præcipuum Episcoporum munus; statuit, & decrevit eadem Sancta Synodus omnes Episcopos, Archiepiscopos, Primates, & omnes alios Ecclesiarum Prælatos teneri per se ipsos, si legitimè impediti non fuerint ad prædicandum Sanctum JESU Christi Evangelium. Si verò contigerit Episcopos & alios prædictos legitimo detineri impedimento; juxta formam* (c) *generalis Concilii viros idoneos assumere teneantur ad hujusmodi prædicationis officium salubriter exequendum. Si quis autem hoc adimplere contempserit, districtæ subjaceat ultioni. ArchiPresbyteri quoque Plebani, & quicunque Parochiales, vel aliàs curam animarum habentes, ecclesias quocunque modo obtinent, per se vel alios idoneos, si legitimè impediti fuerint,* (d) *diebus saltem Dominicis & festis solennibus plebes sibi commissas pro sua & earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annunciandoque eis cum brevitate & facilitate sermonis Vitia, quæ eos declinare, & Virtutes, quas sectari oporteat; ut poenam æternam evadere, & cælestem gloriam consequi valeant.*

I. 2. tract. 2. c. 4.

(a) *Infra Sess. 24. c. 4. de reform.* (b) *II. Tol. cap. 3.*

(c) *Conc. Lat. sub Inn. 3. c. 10. c. inter coetera de off. vid. ord.*

(d) *Concil. Constant. 6. c. 8 ex III. § habetur etiam de ver. Sig. Conc. Lateran. ultimum Sess. II.*

Jam verò quid agendum, ut cum specificatis qualitatibus habeantur Antistites digni præesse, & prodesse?

Primo. Eligendi sunt hujusmodi: sed ô DEUS! quanta in electiones Prælatorum irrepunt inconvenientia! ut sive à Populo,

lo, sive à Clero, sive à Principibus præsententur ad Præsulatum, satis prospici nequeat, ob mille versutias ambitiosorum, & potentiam Principum præsentatos mordicùs tuentium etiam cum dispendio Ecclesiarum, quòd tales rarò constituantur, quales exoptat Sancta Mater Ecclesia. Unde in tam arduo negotio, ex quo salus multorum millium animarum dependet, quia pene deficit consilium humanum, recurreddum est ad Divinum, & instanter DEUS orandus pro dignis Pastoribus. Hinc S. Synodus Trident sess. 24. decret. de refor. c. 1. decernit dicens: *Si in quibuslibet Ecclesiæ gradibus providenter, scienterq; curandum est, ut in Domini domo, nihil sit inordinatum, nihilq; præposterum; multò magis elaborandum est, ut in Electione ejus, qui supra omnes gradus constituitur, non erretur. Nam totius familiæ Domini status, & ordo nutabit, si quod requiritur in corpore, non inveniatur in capite. Unde etsi aliàs S. Synodus de promovendis ad Cathedrales & Superiores Ecclesias nonnulla utiliter decrevit; hoc tamen munus hujusmodi esse censet, ut si pro rei magnitudine expendatur, nunquam satis cautum de eo videri possit. Itaq; statuit, ut cùm primùm Ecclesia vacanerit, supplicationes ac preces publicè, privatimq; habeantur, atq; à Capitulo per Civitatem & Diæcesim indicentur; quibus Clerus Populusq; bonum à DEO Pastorem valeat impetrare.* Quare Antonius Albergatus, ad partes Germaniæ, quondam Nuncius Apostolicus inter decreta sua pro Diæcesi Leodiensi fol. 11. sic decernit: *Vacante per mortem Pastoris, vel quomodolibet Ecclesiâ Parochiali, erit cura populi Pastore orbati, exponendam curare orationem quadraginta horarum, pro bona Pastoris electione ab ♆ obtinenda, à quo bona cuncta procedunt.*

Secundò. Frequentanda Oratio à populis pro suo Pastore, sicut Apostolus pro se expetit fidelium Orationem dicens: 2. Cor. c. 1. *Adjuvantibus vobis in Oratione pro nobis, ut ex multarum personis facierum ejus, quæ in nobis est donationis, per multos gratiæ agantur pro nobis.* Ad quod agendum tum ipsi Episcopi, tum Parochi populos excitent.

Secundum Medium: *Residentia, & sui gregis custodia.* Ad quam Concil. Trident. Sess. 6. decreto de reform. c. 1. unicè exhortatur dicens: *Omnes Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, & Cathedralibus Ecclesiis quibuscunq;, quovis nomine, ac titulo, Præfectos monet, ac monitos esse vult, ut (a) attendentes sibi & universo gregi, in quo*

(a) Actor: 20.

quo Spiritus Sanctus posuit eos regere Ecclesiam DEI, quam acquisivit sangvine suo, vigilent sicut Apostolus præcipit, in (b) omnibus laborent, & ministerium suum impleant: implere autem illud se nequaquam posse sciant, si greges sibi commissos mercenariorum more deserant, atq; ovium suarum, quarum (c) sangvis de eorum est manibus à supremo judice requirendus, custodiæ minimè incumbant: cùm certissimum sit, (d) non admitti pastoris excusationem, si lupus oves comedit, & pastor nescit. Ac nihilominus, quia nonnulli, quod vehementer dolendum est, hoc tempore reperiuntur, qui propriæ etiam salutis immemores, terrenaq; cælestibus ac Divinis humana præferentes, in diversis curiis vagantur, aut in negotiorum temporalium solicitudine, ovili derelicto, atq; ovium sibi commissarum curâ neglectâ, se detinent occupatos: placuit Sacrosanctæ Synodo (e) antiquos Canones, qui temporum atq; hominum injuriâ pene in desuetudinem abjerunt, adversus non residentes promulgatos innovare; quemadmodum virtute præsentis decreti innovat.

(b) 2. Tim. 4. Joan. 10. c. sit rector 43. dist. c. adversus 7. q. 1. c. nisi de Renun.
(c) Ezech. 33. & 34. Act. 20. c. Ephes. 43. dist. c. 1. 13. q. 1. & infra.
(d) Sess. 24. c. 1. in fin. de refor.
(e) c. pervenit cum multis. seq. 7. q. 1. de cler: non resid: per totum &c. cum ex eo de elect: in 6.

Tertium Medium: *Alumnatus & seminaria Clericorum fovenda.* Ubi in omni Virtute, & Doctrina, ac Ceremoniis Ecclesiasticis, aliisque ad statum suum spectantibus sedulò erudiantur. Ita enim Præsules Ecclesiarum, habebunt ad manum dignos Operarios, quos mittant per suas Diæceses in multam messem animarum. Sed proh dolor! proh dolor! intolerabilem avaritiam vel negligentiam aliquorum Antistitum, qui ejusmodi Seminaria vacua virorum virtutis aspicere queunt, & homines vitiis refertos talem qualem commendationem habentes Ordinibus sacris admovent; eosque, vel alios Sacerdotes ex aliis Diæcesibus profugos, Parochiis cæterisque Curatellis animarum præficiunt, qui nequidem suam animam è profundo peccatorum, & inferni liberare possunt. Quid hic ergo remedii? Unicum est, si Legati S. Sedis Apostolicæ adigant inertes Episcopos (quos timor judicii DEI non cogit) ad fundanda fovendaque ejusmodi Seminaria: Vel idem facere persvadeantur à Viris zelosis; Vel denique Benefactores quipiam moveantur ad hoc opus, quo nihil Ecclesiæ DEI poterit utilius, Deoque gratius præstari. Siquidem ex proba educatione Clericorum, viri Apostolici prodeunt, qui gloriam cultumque DEI promoveant, & dilabentem mundum in Orcum ad viam

beatæ Æternitatis revocent; minuant imperium Principis tenebrarum, dilatent regnum Christi. Quare S. Mater Ecclesia pro recta educatione suorum filiorum quàm solicita sit, ecce Decretum Concil. Trident. Sess. 23. de reform: c. 18. tenoris talis: *Cùm adolescentium ætas* (a) *nisi rectè instituatur, prona sit ad mundi voluptates sequendas, & nisi à teneris annis ad pietatem & religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines possideant, nunquam perfectè, ac sine maximo, ac singulari propemodum DEI Omnipotentis auxilio in disciplina Ecclesiastica perseveret: Sancta Synodus statuit* (b) *ut singulæ Cathedrales, Metropolitanæ, atq; his majores Ecclesiæ, pro modo facultatum, & Diæcesis amplitudine certum puerorum ipsius Civitatis, & Diæcesis, vel ejus Provinciæ, si ibi non reperiantur, numerum in Collegio ad hoc prope ipsas Ecclesias, vel alio in loco convenienti, ab Episcopo eligendo, alere, ac religiosè educare, & Ecclesiasticis disciplinis instituere teneantur.* Et paulo infra: *Grammatices, cantus, computi Ecclesiastici, aliarumq; bonarum artium disciplinam discent: Sacram Scripturam, libros Ecclesiasticos, homilias Sanctorum, atq; Sacramentorum tradendorum, maximè quæ ad Confessiones audiendas videbuntur opportuna, & rituum ac ceremoniarum formas ediscent.* Et alibi: (c) *Eadem Sacrosancta Synodus piis Summorum Pontificum, & probatorum Conciliorum constitutionibus inhærens, easq; amplectens, & illis adjiciens; ne cælestis ille sacrorum Librorum thesaurus, quem Spiritus Sanctus summâ liberalitate hominibus tradidit, neglectus jaceat; statuit, & decrevit quod in illis Ecclesiis, in quibus præbendæ, aut præstimonium, seu aliud quovis nomine nuncupatum stipendium pro Lectoribus Sacræ Theologiæ deputatum reperitur, Episcopi, Archiepiscopi, Primates, & alii locorum Ordinarii eos, qui præbendam aut præstimonium seu stipendium hujusmodi obtinent, ad ipsius Sacræ Scripturæ expositionem, & interpretationem per se ipsos, si idonei fuerint, alioquin per idoneum substitutum ab ipsis Episcopis, Archiepiscopis, Primatibus, & aliis locorum Ordinariis eligendum, etiam per subtractionem fructuum, cogant & compellant.* Et paulo post: *In Monasteriis quoq; Monachorum ubi commodè fieri queat, etiam lectio Sacræ Scripturæ habeatur, qua in re, si Abbates negligentes fuerint, Episcopi locorum, in hoc ut sedis Apostolicæ delegati, eos ad id opportunis remediis compellant. In Conventibus verò aliorum Regularium, in quibus studia commodè vigere possunt, Sacræ Scripturæ lectio similiter habeatur: quæ lectio à Capitulis Generalibus, vel Provincialibus assignetur dignioribus Magistris. In Gymnasiis etiam publicis,*

(a) *4. Tolet. c. 23. in eundem finem constituit. Gen. 8. conc. Aquisgran. cap. 135. Conc: Later. sub Leone 10. Sess. 9. de refor. curiæ & aliorum.*

(b) *Constitut. Alexand. 3. p. 1. c. 18. & in 2. Lateran. c. 11.*

(c) *Trident: Sess: 5. decret: de reform: c: 1.*

publicis, ubi tam honorifica, & cæterorum omnium maximè necessaria lectio hactenus instituta non fuerit, religiosissimorum Principum, ac Rerumpublicarum pietate, & charitate ad Catholicæ fidei defensionem & incrementum, sanæque doctrinæ conservationem & propagationem instituatur: & ubi instituta foret, & negligeretur, restituatur.

Quartum Medium: *Sancta Congregatio Sacerdotum assumenda.* Haud enim ambigi potest (ut cum *Marchantio* loquar) Congregationes Pastorum seu Sacerdotum cum instructionis tum exhortationis mutuæ gratiâ initæ frugem parere posse non mediocrem. Cujus rei in Confirmationem unam & alteram rationem ex citato Authore affero. *Hort. Pasto. de virga Aar. Tr. 5.*

Prima est: Quia in omni arte, scientia, professione, iniri solent Societates & Congregationes, inter eos, qui consimilis sunt Professionis; ad conferendum, consultandum, de his, quæ eam artem, scientiam, vel professionem concernunt; & amovendum ea, quæ illi nocumentum afferre valent. Hinc in Civitatibus benè institutis, cernere licet Academias eruditorum, Sodalitia cujusvis generis opificum, Societates mercatorum, sub certis Legibus & statutis, ad promovendum commune & politicum bonum. An non potiori ratione congruit sacras iniri Societates inter Ecclesiæ Ministros ad bonum illius publicum?

Secunda est: Ad hunc scopum jam pridem in Ecclesia institutæ sunt Synodales convocationes Pastorum, & Ministrorum Ecclesiæ; non solùm generales, aut quæ totius sunt Provinciæ, vel Diæcesis; sed etiam particulares, quotannis aliquoties fiebant per singulos Decanatus, & districtus, ut in illis de rebus animarum curam concernentibus, tractaretur. At quoniam plerisque in locis perfunctoriè & exiguò cum fructu eas peragi cernimus, id suppleri & longè efficaciùs ac fructuosiùs perfici posse haud ambigi potest, si unanimi morum & animorum consensu, inter se sacrâ Societate devincti Pastores, seu Sacerdotes, non rarò conveniant, ad resuscitandam gratiam sacerdotalem, ad conspirandum indivisim, in hoc, ut ignis ille, quem Dominus voluit vehementer accendi, reflammescat, nec cinerulento torpore sopiatur; Zelus scilicet gloriæ DEI, & salutis animarum: Ad fovendum etiam

mutuâ conferentiâ ſcientiam neceſſariam officiis & functionibus Sacerdotalibus ritè obeundis. Quare conſiderantes viri pietate & ſapientiâ eminentes, quàm conducant Eccleſiæ publico bono Congregationes & ſocietates Sacerdotum, ſecundùm jam dicta: Spiritu Divino impulſi, ſub certis regulis & conſtitutionibus aliquas erexerunt, quæ non mediocrem Eccleſiæ frugem hactenus pepererunt. Atque ſcopus eorum fuit, eos qui Clericali militiæ extra Religionis clauſtra nomen dederunt, & Eccleſiaſticorum ſpecioſo titulo gaudent, ad perfectionem Eccleſiaſticam & Clericalem exſtimulare, gratiam manuum impoſitionis, ſpiritumque Sacerdotalem, quaſi ignem ſub cineribus latentem & ſopitum, ſuſcitare. Inter hos primo loco numerari poteſt S. *Philippus Nerius*, qui Romæ Societatem ſacram Presbyterorum inſtituit, quam Congregationem Oratorii nominavit; neque voluit eam ullis Religionis votis obſtringi, ſed ſolo Spiritus ſvavi vinculo colligari & dirigi.

Oratorio Romano à Sancto Nerio erecto non abſimiles Congregationes variis in locis inſtitutæ fuerunt, ac potisſimùm in Gallia ſub hoc titulo. *Congregatio Presbyterorum Oratorii JESU C. D. N.* Huic congregationi Oratorii planè ſimilem in ſcopo & ſpiritu, jam pridem inſtituerat *S. Carolus Borromæus*, Sacerdotum ſplendor, Eccleſiaſtici Ordinis & Paſtoralis muneris eximius inſtaurator; qui cœleſti ſapientiâ & gratiâ, quâ eminuit in terris, Clerum ad Apoſtolicam & avitam pietatem, reducere eſt conatus. Hoc autem ut efficaciùs perficeret, inſtituit Congregationes Sacerdotum, quos oblatos S. Ambroſio nominavit, quia hic omnis in Clero perfectionis exemplar fuerat, & Mediolanenſis Eccleſiæ Patronus Tutelaris.

Prudenti admodum & Divino Conſilio, S. Carolus auxilium & directionem impendere voluit, non ſolùm his, qui in Societate collegialiter vivere poſſunt, ſed & illis, qui in certis locis ob beneficia vel officia reſidere coguntur. Conſideravit nempè, illam lamentantis Prophetæ vocem etiam præſentem Eccleſiæ ſtatum concernere. *Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus color optimus? Diſperſi ſunt Lapides ſanctuarii in capite omnium platearum.* Quia ſcilicet, Pietas antiqua Sacerdotalis inſtar auri rutilans, ardor & zelus

Thren. 4. 1.

perfecti-

perfectionis olim flammescens; obscuritatem decursu temporum contraxit, inter corruptelas & fuliginem secularis conversationis. Et multi Sacerdotum, qui debent esse Lapides Sanctuarii à DEO electi & dilecti, in plateis Babyloniæ inveniuntur dispersi, in lato itinere mundi, corde & corpore vagi, in sordibus & luto jacentes, in vitiis seculi: ideoque conculcantur pedibus transeuntium & vilipenduntur; nec dignitas Sacerdotalis in ipsis eo quo par est honore habetur, sed quasi sal infatuatum proteri videtur. Hæc inquam considerans Vir sanctus, zelo zelans pro Domo Domini, & Sanctuario ejus ædificando, non solùm voce, & exemplo, sed & constitutionibus præclaris è luto erigere hos Lapides conatus est; & è plateis, ac viis publicis revocare, sanctisque moribus instruere, ut ædificarent populum Ecclesiamque DEI in suo quisq; officio. Et quos non potuit in Societatem unius corporis eadem in domo colligare, voluit tamen spiritu & morum conformitate, ac consimili perfectionum studio & contentione, unitos esse; præscribens eis regulas & vivendi methodum, quâ officio suo juxta vocationem sanctam possent satisfacere, & ab hoc seculo immaculatos se custodire. *Hæc Marchantius.*

Igitur Præsules Ecclesiarum, si illis est cordi propria salus, & tot millium animarum, adnitantur ejusmodi sanctas Congregationes Sacerdotum in suis Diæcesibus erigere: ita enim fiet, ut Curati animarum licet in suis Residentiis manentes, semper tamen evadant perfectiores, & in officio suo vigilantiores: fiet, ut ex Collegiatim habitantibus ejusmodi Congregatistis aliqui Divino Spiritu incensi tanquam fulgura coruscantia Missionarii discurrant per pagos & castella in adiutorium Fratribus suis Parochis ad illuminandos populos sedentes in tenebris & in umbra mortis. O Præsules! ecce nullo sumptu vel labore id medium vobis constabit: Dicite tantùm ac persvadete, & fiet. Quid facilius Verbo? & tamen hoc pacto intolerabile onus Pastoralis officii mirum in modum vobis alleviabitis.

Quod si & hic infelix desidia aliquorum Antistitum subrepserit, vos Pastores Ecclesiarum in subsidium animæ vestræ, & ovium vobis commissarum, convenite in unum, instituendæ alicujus sanctæ Congregationis gratiâ. In quo vobis exemplo preluxerunt

runt aliquot Sacerdotes & Pastores Leodiensis Diœcesis Anno 1624. assumentes Congregationem S. Caroli Borromæi. De quo uti & allis tum hoc puncto allatis, tum cæteris ad statum Ecclesiasticorum perfectè instituendum spectantibus, fusè & egregiè disserit *Jacobus Marchantius* pietate & doctrinâ præclarus in suo *Horto Pastorum* sub titulo *Virga Aaronis*.

Sess. 7. decr. de refor. c. 7. & 8. Item Sess. 24. decret. de refor. c. 3.

Quintum Medium: *Visitatio Diœcesis à Loci Ordinario, per se, vel si legitimè impeditur, per suum Vicarium generalem visitatorem, annis singulis juxta Tridentinum instituenda.* Porrò *Primò*: Ex intentione & decreto ejusdem S. Synodi *Visitationum omnium istarum præcipuus sit scopus, sanam Orthodoxamq́ doctrinam,* (a) *expulsis hæresibus, inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere, populum cohortationibus & admonitionibus ad religionem, pacem innocentiamq́ accendere, cætera prout locus, tempus, & occasio feret, ex visitantium prudentia ad fidelium fructum constituere. Quæ ut faciliùs feliciusq́ succedant: monentur prædicti omnes & singuli, ad quos visitatio spectat, ut paternâ charitate, Christianoq́ zelo omnes amplectantur; ideoq́ modesto contenti equitatu famulatuq́ studeant quàm celerrimè, debita tamen cum diligentia,* (b) *visitationem ipsam absolvere. Interimq́ caveant ne inutilibus sumptibus cuiquam graves onerosiq́ sint; neve ipsi, aut quisquam suorum quidquam procurationis causa pro visitatione, etiam testamentorum ad pios usus præter id, quod ex relictis piis jure debetur, aut aliquo quovis nomine, nec pecuniam, nec munus quodcunq́ sit etiam qualitercunq́ offeratur, accipiant: non obstante quacunq́ consvetudine etiam immemorabili: exceptis tantùm victualibus, quæ sibi ac suis frugaliter, moderateq́ pro temporis tantùm, necessitate, & non ultra erunt ministranda.* Et paulò post: *In iis verò locis, seu Provinciis, ubi consvetudo est, ut nec victualia, nec pecunia, nec quidquam aliud à Visitatoribus accipiatur, sed omnia gratis fiant: ibi id observetur.*

(a) c. 1. §. sanè. de censi. in 6. §. Florentinum 85. dist.

(b) Conc. Bracaren. 2. cap. 1. Conc. Ticinen. Vers, statuimus etiam ne Episcopi c. cavendum &c: inter coetera 10. q. 3. & c. cùm Apostolus de censi.

Secundò: Pauperies Ecclesiarum à Præsulibus visitantibus relevanda, & ornanda.

Tertiò: Indigni, & inhabiles Curati animarum amovendi, & in eorum locum idonei, prævio examine juxta Trident. Sess. 7. de Reform. c. 13. instituendi; & Sess. 21. decret. de Reform. cap. 6.

Quartò

Quartò: Delinquentes corrigendi prout monet S.Synodus Trident.Sess.14.decret.de Ref.prooe.dicens: *Cùm propriè Episcoporum munus sit* (a) *subditorũ omnium vitia redarguere; hoc illis præcipuè cavendũ erit, ne Clerici præsertim ad animarum curam constituti, criminosi sint, neve inhonestam vitam, ipsis conniventibus ducant. Nam si eos pravis & corruptis moribus esse permittant; quo pacto Laicos de ipsorum* (b) *vitiis redarguent, qui uno ab iis sermone convinci possent, quòd Clericos ipsis patiantur esse deteriores? Quâ etiam libertate Laicos corripere poterunt Sacerdotes;* (c) *cùm tacitè sibi ipsi respondeant, eadem se admisisse quæ corripiunt? Monebunt propterea Episcopi suos Clericos, in quocunq; ordine* (d) *fuerint, ut conversatione, sermone, & scientiâ commisso sibi DEI populo præeant; memores ejus quod scriptum est:* (e) *Sancti estote quia & ego sanctus sum. Et juxta Apostoli vocem.* (f) *Nemini dent ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium eorum, sed in omnibus exhibeant se sicut Ministros DEI; ne illud Prophetæ dictum impleatur in eis* (g) *Sacerdotes DEI contaminant sancta, & reprobant legem.*

(a) *Sic præfatur fere Conc. 9. Toletanum supra Sess. 6. de refor. c. 3.*
(b) *1. Corint. 9. c. quid autem 8. q. 1.*
(c) *Cap. ult. 25. dist. c. una tantũ 26. dist. c. sicuti 1. §. necesse 47. dist. c. in Sacerdotibus 61. dist. Lev. 11. 1. Petri 1. & c: proposuisti 81. dist.*
(d) *Sess. 22. c. 1.*
(e) *Isa. 52.*
(f) *2. Corint. 6. in prin.*
(g) *Ezech. 22. Sophon: 3.*

Modum autem correctionis eadem S. Synodus Sess.13. decr. de Reform. c.1. præscribit dicens: *Illud primùm eos* (id est Episcopos) *admonendos censet;* (h) *ut se pastores, non percussores esse meminerint, atq; ita præesse sibi subditis oportere, ut non in eis dominentur, sed illos tanquam filios & fratres diligant: elaborentq;, ut hortando & monendo ab illicitis deterreant, ne ubi deliquerint, debitis eos pœnis coërcere cogantur. Quos tamen si quid per humanam fragilitatem peccare contigerit,* (i) *illa Apostoli est ab eis servanda præceptio, ut illos arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate & patientia: cùm sæpe plus erga corrigendos agat benevolentia, quàm austeritas; plus exhortatio, quàm comminatio; plus charitas, quàm potestas. Sin autem ob delicti gravitatem virgâ opus fuerit; tunc cum mansvetudine rigor, cum misericordia judicium, cum lenitate severitas adhibenda est; ut sine asperitate disciplina populis salutaris ac necessaria conservetur, & qui correcti fuerint, emendentur; aut si resipiscere noluerint, cæteri salubri in eos animadversionis exemplo à vitiis deterreantur; cùm sit diligentis & pii simul Pastoris officium, morbis ovium levia primùm adhibere fomenta, post ubi morbi gravitas ita postulet ad* (k) *acriora & graviora remedia descendere; sin autem ne ea quidem proficiant illis submovendis, cæteras saltem oves à contagionis periculo liberare.*

(h) *Tit. 1. 1. Timoth. 3. 1. Pet. 5. dist. 45. in prin. dist. 94. c. ult. dist. 95. c. Esto subjectus.*
(i) *2. Tim. 4.*
(k) *Cap. resecandæ &: corripiantur 24. q. 3.*

Porrò

Porrò extra quoque visitationem, quoties & quando opus fuerit, Episcopi, suos corrigendi & castigandi facultatem habent juxta tenorem *Concilii Trident. Sess. 14. decret. de reform. c. 4. & Sess. 21. decret. de refor. c. 8.* ubi inquit: *Quæcunq; in Diæcesi ad DEI cultum spectant, ab Ordinario diligenter curari, atq; iis, ubi oportet, provideri æquum est. Propterea commendata Monasteria, etiam Abbatiæ, Prioratus, & Præposituræ nuncupatæ, in quibus non viget Regularis observantia; necnon beneficia tam curata, quàm non curata, secularia & regularia qualitercunq; commendata etiam exempta ab Episcopis, etiam tanquam Apostolicæ sedis delegatis, annis singulis* (a) *visitentur.*

(a) *Supr. Sess. 7. de refor. c. 8. & infra Sess. 24. c. 9. & Sess. ultima de regul. c. 20. Conc. Tarracon. c. 8. & Conc. Braccaren. 2. c. 11.*

Cæterùm visitationis ritè actæ eximius est & multiplex fructus. Quippe nonnulli Curati animarum si non DEI saltèm Superioritatis timore mala cavent, bona agere student, gregi suo invigilant, Ecclesiam ornant, adeoque plures alioquin perituros salvant.

Sextum Medium: *Celebratio Synodorum Provincialium singulis trienniis; Synodorum verò Diæcesanarum annis singulis:* juxta decret: *Concil. Trident.* (b) Multa enim revolutione temporum inconvenientia emergunt, præsertim Leone infernali cuncta miscente: qui ex adverso incessanter impugnat Christi fidelium Ecclesiam; & vel propugnacula ejus fidei & veritatis, vel mænia amæna morum & disciplinæ, vel decora immunitatis libertatisque Ecclesiasticæ novis adinventionibus & insultibus arjetare dissipareque non omittit. Cui malo nisi per frequens & prudens consilium, mutuumque incitamentum, (quod fit in comitiis Ecclesiasticis) & provisum subsidium, tam facilè obviari nequit.

(b) *Sess: 24. decr. de reformatione c: 2.*

In Summa: Ad quinq; illa puncta *Intra te, Infra te, Supra te, Circa te, Extra te*, reduci potest rectus & ordinatus modus vivendi Prælati Ecclesiæ Curatorisque animarum. 1. Per *Intra te* denotatur propria perfectio & sanctitas. 2. Per *Infra te* insinuatur æterna inferni perditio, à qua se & sibi subjectos ope DEI liberare debet. 3. Per *Supra te* significatur perrennis cœli beatitudo, ad quam præire sibique commissos ducere tenetur. 4. *Circa te* sunt tum domestici, tum reliqui Curatori animarum subjecti; ei fide, obedientiâ, charitate proximi: quorum proinde amplior

perfectio procuranda. 5. *Extra te* sunt peccatores publicani, excommunicati, hæretici; quorum conversio ad DEUM Curatori incumbit. Sunt quoque alii extra Curatoris jurisdictionem vel curatellam propriam; quorum dum porrigitur opportuna occasio, & nullum emergit præjudicium directo Pastori, haud negligenda ad promovendum æterna salus.

Vide quoq; Cardinalem Bellarminum de reformando Clero & Populo *Gemitus columbæ lib. 3. c. 5. & 7.* Item vide media reformationis Religiosorum præcedenti *Sect. 2. Subsect. 2.* & hic proportionatè, quæ expediunt, applica. Tum de Ecclesiastico Seraphim vide infra *p. 1. c. 1. Sect. 2. Subsect. 5. tum. 6. 7. 8.*

SECTIO V.

De Statu Vitæ Activæ, Contemplativæ, & Mistæ.

NOtandum hîc non omnes qui agunt vitam Activam, vel Contemplativam, vel Mistam, esse in Statu talis vitæ, sed eos tantùm qui harum alicui sunt dediti vitæ ex vi alicujus obligationis, v. g. Voti, aut Officii sui. Quia sicut isti habent conditionem Status videlicet permanentiam, ita hâc illi carent. Cæterùm quanquàm ejusmodi non dicuntur esse in Statu alicujus vitæ ex prædictis, dicuntur tamen agere vitam activam, vel contemplativam, vel mistam.

SUBSECTIO I.

De Statu Vitæ Activæ.

DIco Primò. *Hic Status est Permanentia in Ecclesia Christi quoad actuale exercitium virtutum, ortum ex gratia supernaturali per aliquod motivum fide Divinâ propositum, tum ad obtinendam puritatem & ornatum animi proprii, & sui proximi, tum ut per hoc se disponat ad contemplationem & amoris pefectionem aliosq; fines supernaturales.* Dicitur; *permanentia* &c: quæ provenit vel ex communi obligatione Christianorum, & ita vitæ Activæ actus *præcepti* pertinent ad communem vitam Christianorum: vel si insuper proveniat ex speciali obligatione voti, aut officii, tum vitæ Activæ actus *supererogationis* spectabunt sive ad Statum perfectionis assequendæ, sive exercendæ.

dæ. Dicitur; *Quoad actuale exercitium virtutum*, non qualiumcunque, sed illarum, quæ ex sua natura serviunt ad prætactos fines; & ita ad consequendam Puritatem à præteritis peccatis, requiritur virtus Pænitentiæ; ad Puritatem ab habitibus vitiosis, & immoderantia ac inordinatione passionum, & sensuum, requiritur Mortificatio sui ipsius; denique ad Ornatum animi, Moralium exercitium Virtutum, & potissimum opera Charitatis, misericordiæ, & pietatis erga proximum etiam corporalia: ad quæ, omnia opera artium illiberalium, & servitiorum corporalium referuntur, quæ non alicujus temporalis finis quasi ultimi causâ sed principaliter ex aliquo supernaturali motivo v. g. Charitatis & Misericordiæ ad commoditatem & conservationem corporalem sui, & suorum proximorum exercentur. Ita Sanctus Deusdedit faciebat, quod in hebdomada manibus suis operando lucrabatur, die Sabbathi pauperibus erogabat. Unde monet Apostolus ad opus manuum, *ut habeat, unde tribuat necessitatem patienti*. Sic in Religionibus faciunt illi Religiosi, qui ad ministeria vitæ, & usui corporali suorum Fratrum deputantur v. g. ad procurandum & aptandum per diversa ministeria Victum, Amictum, Medicinam, Habitaculum, &c. Sic aliquæ Religiones sunt institutæ v. g. ad curandos Infirmos, ad Redemptionem Captivorum, ne scilicet fideles inter infideles à fide deficiant. Denique huc referuntur omnia opera misericordiæ Corporalia, quàm Spiritualia, per quæ puritas, & ornatus virtutum in proximis comparatur, nempè corrigendo proximum tum verbo prædicationis, tum Sacramentorum administratione, ei consulẽdo, pro eo orãdo &c. Ad opera quoq; Charitatis, Prudentiæ, Pietatis, Legalis & vindicativæ justitiæ, adeoque ad opera Vitæ Activæ reducitur. Regimen subditorum tam Spirituale quàm Politicum ex motivo Spirituali. Pulchrè de his operibus vitæ Activæ D. Bonaventura discurrit ea in duas partes distingvendo: *Activæ* inquit *vitæ duæ sunt partes. Prima pars, quâ quis se exercet ad suam principaliter utilitatem, corrigendo se emendando se à vitiis, & informando virtutibus. Et idem secundariò fit, ad utilitatem etiam proximi, per opera justitiæ, & obsequia pietatis, & Charitatis. Secunda pars ejus est, quomodo quis principaliter suum exercitium confert in utilitatem proximi, quamvis ad suum etiam majus meritum, ut alios regendo, docendo, & adjuvando*

S. Gregor: dial: l. 4. c. 36.

Ephes. cap. 4. v. 28.

S. Bonav. lib. de Meditatio. c. 45.

adjuvando in animarum salutem, ut faciunt Prælati, & prædicatores, & hujusmodi.

Dicitur; *Ad obtinendam puritatem & ornatum animi.* Et ita Cassianus, *Practica* inquit seu activa vita *emendatione morum & vitiorum purgatione perficitur.* Et Isidorus *Activam vitam vocat innocentiam bonorum operum.* *Caff. Coll. 14. c. 1. Isidor. lib. 3. sent. cap. 15. num. 1.*

Dicitur; *Tum ut per hoc* nempè per actus vitæ activæ & ejus obtentos fines, puritatis & ornatus animi *se disponat ad contemplationem & amoris perfectionem.* Quia sicut oculus non producit visionem objecti nisi mundus sit à noxiis humorihus, & insuper luce collustretur: ita cor non videhit DEUM, nisi fuerit mundum à peccatis & vitiis, lumineque virtutum exornatum. Similiter sicut lignum non succenditur quàm priùs disponatur per calorem & siccitatem, ita voluntas minimè inflammabitur amore Divinitatis, donec præparetur vacua à superfluitate perniciosa iniquitatis, & algore pravi affectus per aptas dispositiones virtutum. Hinc D. Bernardus *En forte appetis* inquit *& ipse contemplationis quietem, & benè facis, tantùm ne obliviscaris flores, quibus lectulum sponsæ legis aspersum. Ergo cura & tu, tuum similiter circumdare bonorum floribus operum, virtutum exercitio, tanquam flore fructum, sanctum otium prævenire. Alioqui delicato satis otio dormitare voles, si non exercitatus quiescere appetas, & Liæ foecunditate neglectâ, solis cupias Rachelis amplexibus oblectari. Sed & præposterus ordo est ante meritum exigere præmium, & ante laborem sumere cibum, cum dicat Apostolus: Qui non laborat non manducet. A mandatis tuis intellexi,* (inquit) *ut scias, nisi obedientiæ mandatorum contemplationis gustum penitus non deberi. Non igitur putes de propriæ amore quietis, sanctæ Obedientiæ actibus, seniorumve traditionibus præjudicium ullatenus faciendum. Alioqui non dormiet tecum sponsus in lecto uno, illo præsertim, quem tibi pro obedientiæ floribus, cicutis atq; urticis inobedientiæ conspersisti. Propter quod non exaudiet orationes tuas, vocatusq; non veniet. Nec enim dabit innobedienti copiam sui tantus obedientiæ amator, ut mori, quam non obedire, maluerit.* *Bern. Serm. 46. in Cant. 2. Teff. 3. 10. Psal. 118. 104.*

Dico Secundò. *Stimuli ad Vitam Activam ritè exequendam ejusmodi sunt. Primus.* Quia carenti exteriorum curâ necesse est vel contemplari DEUM, vel pœnitere, ne à gratia DEI deseratur: Sic Mellifluus Doctor dicens: Nemini nos blandimur, utinam nec *S. Bern: Serm. 3. in assum. B. M. V.*

vestrum quispiam se seducat. Quibus enim nulla est credita dispensatio, administratio nulla comissa: his omninò sedendum erit aut secus pedes JESU cum Maria, aut certè cum Lazaro intra septa sepulchri. Quidni erga multa turbetur Martha, quæ solicita est pro multis? Tibi ergo cui necessitas hæc non incumbit, è duobus unum est necessarium, aut non turbari penitus, sed delectari magis in Domino, aut si id necdum potes, turbari non erga plurima, sed ut de se Propheta loquitur: ad te ipsum. Item dico, ne quis de ignorantia habeat excusationem, oportet te frater ad quem de fabricanda seu regenda inter undas diluvii Arca nihil spectat, aut esse virum desideriorum ut Daniel erat: aut cum Beato Jobo virum dolorum, & scientem infirmitatem. Alioquin vereor, ne tepidum te & nauseam provocantem evomat ex ore suo, qui te invenire cupit, aut sui consideratione calidum, & charitatis igne flagrantem; aut tuâ ipsius cognitione frigidum, & aqua compunctionis ignita diaboli jacula restinguentem.))

Alvarez de vita spir: lib. 2. p. 3. c: 21.

Secundus. Magnus ille Spiritualium Magister perorat: Vita activa est magna vita, cui tam ingens præmium decernitur. Magna profectò, sine qua, neque esset apud homines correctio morum; neque passionum cohibitio, neque disciplina virtutum, neque prudentia actiones dirigeret, nec justitia contineret, nec fortitudo partem irascibilem stabiliret, nec temperantia concupiscibilem ordinaret. Sine illa non esset in Ecclesia doctrina, non esset peccatorum punitio, non bonorum operum præmium, non Sacramentorum administratio. Deessent misericordiæ opera, neque aliquis cibaret famelicum, potaret sitibundum, vestiret nudum, aut visitaret infirmum. Tandem hominum procuratio, & communitatum gubernatio, totiusque reipublicæ administratio deficeret; quia hæc omnia præstamus ministeriis hujus vitæ, quæ vocatur activa. Cum enim hæc omnia, non ad contemplationem, sed ad praxim pertineant, certissimum est ad id vitæ genus spectare, quod in actione consistit. Magna denique vita, cujus opera, si in propriam utilitatem ordinentur (ut sunt fletus peccatorum causâ profusi, affectuum mortificatio, virtutum exercitatio, & cætera hujusmodi) nos ipsos emendant, à peccatis ac vitiis purgant, virtutum indumentis exornant, & paulatim ad mentis provehunt

ſanctitatem. Si verò in uſum aliorum dirigantur, proximorum neceſsitati ſubveniunt, fratres juvant, imò & ipſi univerſorum Domino in ſuis membris inſerviunt.)) *Confirmantur hæc ex Seraphico Doctore qui ait:* Hæc eſt (nempe vita activa) prima vitæ Spiritualis pars, initium cœleſtis itineris, janua incomprehenſibilium theſaurorum, vitare mala, præſtare bona, ſeipſum per mortificationem ordinare, proximis propter Chriſtum inſervire.)) *S. Bonav. In ſtimul. cap. 3.*

Tertius. Quia ordinariâ viâ per Activam vitam ad Contemplativam (in qua beatitudo noſtra ſita eſt) aſcenditur. Hinc Divus Bernardus ait. *Prius eſt actio, poſtea Contemplatio; Quisquis enim ad intelligentiam pervenire deſiderat, profectò neceſſe eſt, ut priùs per opera bona ſe diligenter exerceat, ſicut ſcriptum eſt; Fili concupiſcens ſapientiam, conſerva juſtitiam, & DEUS præbebit illam tibi.* Et alibi: *A mandatis tuis intellexi.* *Serm: 5. de Aſſumpti.* *Eccli. 1.* *Pſalm. 118.*

Quartus. Chriſtus Dominus à ſua pueritia uſque ad trigeſimum annum exercuiſſe videtur vitam Activam ſub obedientia Parentum juxta Evangeliſtam: *Et erat ſubditus illis*, tum labore manuum victum quærendo, tum deſolatos conſolando, &c. Exempla Deiparæ, S. Joſephi, & aliorum Sanctorum in vita Activa vide infra *Subſect. 3. in vita Miſta.* Porrò ſub virtutibus vitæ activæ infra dabuntur in particulari exempla Chriſti, B. V. & Sanctorum. *Luc: 2.*

Officia vitæ Activæ, ut patet ex dictis, erga propriam perſonam ſunt Pœnitentia, mortificatio ſui, aliaque exercitia virtutum: Erga proximum verò ſunt Actus Charitatis, opera miſericordiæ corporalia & ſpiritualia. Quarum virtutum Praxes vide infra tum in genere ſub Actu virtutis, tum in ſpecie ſub qualibet dictarum virtutum.

SUBSECTIO II.

De Statu Vitæ Contemplativæ.

DIco Primò. *Ejuſmodi Status eſt Permanentia ex vi alicujus profeſſionis Religioſæ, in exercitio Contemplationis & Amoris DEI, ac Divinorum, ad obtinendam Unionem cum DEO, imò Transformationem in DEUM, ac inde ſequentes alios fines Supernaturalis Perfectionis, Sanctitatis, Beatitudinis, Gloriæ DEI, & Electorum.* Dicitur; *Permanentia ex vi alicujus profeſſionis Religioſæ:* Quia hæc facit ſtabilem ac permanentem

nentem vitæ modum adeoque statum: idque quibusdam personis Religiosis seu tendentibus ad perfectionem propriam, in quo statu obligantur ad opera vitæ contemplativæ. Supponitur autem hic etiam Status incompletus Religiosorum. Dicitur; *in exercitio Contemplationis*. Ad quod exercitium juxta D. Thomam referuntur ea opera quibus homo ascendit ad contemplationem, talia sunt: *Verbi DEI auditio, librorum Spiritualium lectio, sacrarum Literarum studium, rerum ad animum illuminandum & perficiendum Scriptio, Divinorum officiorum auscultatio, Vocalis oratio, quæ horis Canonicis, aut Sacrificio Missæ, aut alia quapiam oratione perficitur, & tandem exercitatio Mentalis, quæ in Cogitationem, Meditationem, Orationem, & Contemplationem, & Affectum voluntatis dividitur.* (Sed de his suo loco infra fusius.) Quia cùm nihil viâ ordinariâ volitum & amatum quin præcognitum, cognitio verò optima est per contemplationem, quæ cùm sit simplex intuitus veritatis, hic haberi nequit nisi sensim deducatur discursivè per meditationem, & impetretur per orationem. Porro Meditatio prærequirit Apprehensivam cogitationem terminorum, ista autem cogitatio de DEO & Divinioribus ex auditione Verbi DEI, lectione Spirituali, Auscultatione Divinorum officiorum, Oratione vocali, conservatur Scriptione pia, studio sacrarum Literarum. Ergo à primo ad ultimum supra specificata opera habent se ad Contemplationem, & Affectum voluntatis amorosæ in DEUM, ut media ad finem, seu gradus ad cacumen: adeoque sunt opera Status vitæ contemplativæ.

Alva. Paz. de Vit. spir. l. 2. p. 4. cap. 31. citans D. Thom. 22. quest. 180. A. 3.

Dicitur: *Ad obtinendam unionem cum DEO.* Nempe unionem intellectus per contemplationem cum DEO ut summo Verò, unionem voluntatis per amorem cum DEO ut summo Bono, unionem bonæ voluntatis per Conformationem cum DEI bona, beneplacente, & perfecta voluntate: ita, ut adhærens DEO, unus fiat spiritus cum eo. *De Transformatione, Perfectione &c. vide infra.*

Part. 3. Theol. spirit. tra. 1.

Dico Secundò. *Stimuli ad vitam Contemplativam rectè ducendam, ejusmodi habentur. Primus.* Ob Contemplativæ vitæ beatissima officia, quæ innuit breviter *B. Gregorius:* Contemplativa vita est, Charitatem quidem DEI & proximi totâ mente retinere, ab exteriori actione quiescere, soli desiderio Conditoris inhærere;

Greg. in Ezech. ho. 14. cir. med.

ut nihil jam agere libeat, sed calcatis curis omnibus, ad videndam faciem sui Creatoris animus inardescat: ita ut jam noverit carnis corruptibilis pondus cum mærore portare, totisque desideriis appetere illis hymnidicis Angelorum choris interesse, admisceri cœlestibus civibus, de æterna in conspectu DEI incorruptione gaudere.))

Secundus. Quia vita hujusmodi est optima pars, Vita Cœlicolarum. *Ita D. Bernardus* inquiens: Sed carnalis est, & omninò non percipit quæ sunt Spiritus DEI, si quis fortè vacantem animam sua de vacatione redarguit. Audiat igitur optimam esse hanc partem, quæ maneat in æternum. Nunquid non rudis quodammodo videtur anima, quæ Divinæ Contemplationis penitùs expers, illam intravit regionem, ubi hoc unum omnium opus, unum studium, eadem vita?)) *S. Bernard. Serm. 3. in Assumpt. B. V. M.*

Tertius. Contemplativi beati, audi *S. Bernardum*: Quibus ita solicitis circa frequens ministerium, videat Maria quemadmodum vacet, & videat quoniam suavis est Dominus. Videat inquam quàm devotâ mente, quàm tranquillo sedeat animo secus pedes JESU, providens eum semper in conspectu suo, & verba ex ore ejus excipiens, cujus & aspectus delectabilis, & eloquium dulce. Diffusa est enim gratia in labiis ejus, & est speciosus formâ præ filiis hominum, imo etiam suprà omnem gloriam Angelorum. Gaude & gratias age Maria, quæ partem optimam elegisti. Beati enim oculi qui vident quæ tu vides, & aures quæ merentur audire, quæ tu audis. Beata planè, quæ venas susurrii Divini percipis in silentio, in quo utique bonum est homini Dominum exspectare; simplex esto, non tantùm sine dolo & simulatione, sed & absque multiplicitate occupationum, ut tecùm sit sermocinatio ejus, cujus & vox dulcis, & facies decora. Unum cave, ne abundare incipias in sensu tuo, & velis plùs sapere quàm oportet, ne fortè dum lucem sectaris, impingas in tenebras, illudente tibi dæmonio meridiano.)) Porrò beatitudinem Vitæ præsentis & futuræ in Contemplatione & amore DEI positam esse communis Doctorum Ecclesiæ tenet sententia. Nam quantum ad objectum beatitudinis ipse est DEUS Summum Verum & Bonum superabundantissimè exsatiativum humani appetitus: Quantùm ad actualem beatitudinem, ipsa est Contemplatio seu visio *Idem ibidem.*

Summi

Summi Veri & Boni, ejusque Amor: qui sunt Actus principalium hominis potentiarum nempè intellectus & voluntatis, easdem plenissimè perficientes & beatificantes: quæ perfectio major & minor pro ratione graduum Contemplationis & Amoris in alias potentias hominis organicas quoque redundat, ipsasque suo modo perficit, ac felicitate implet & complet: in præsenti quidem vita hæc contingunt imperfectè, in futura perfectissimè.

S. Bern. 3. in Assumpt. B. V. M.

Quartus. Quantùm eminet Contemplativa supra Activam describit *S. Bernardus*: Felix domus & beata semper congregatio est, ubi de Maria Martha conqueritur. Nam Mariæ Martham æmulari prorsùs indignum, prorsùs illicitum est. Alioquin ubi legitur Mariam causantem: quia Soror mea reliquit me solam vacare? absit, absit, ut qui vacat, ad tumultuosam aspiret fratrum officialium vitam. Martha semper insufficiens sibi & minùs idonea videatur, aliisque magis id operis, quod administrat, optet imponi.))

De vita Spirit: lib. 2. par: 4. c. 28.

Isaiæ 33. 16. & 17.

Greg. 31. mor. cap. 20.

Quintus. Quia ut ait *Alvarez*: Vitæ Contemplativæ magna est dignitas, ingens utilitas, mira svavitas. Magna certè dignitas, cujus possessio laborantibus in activa vita, tanquàm præmium ac merces promittitur. Quare *Isaias*, collaudato eo, qui studiosis vacat actionibus, ita concludit. *Iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas ejus, panis ei datus est, aquæ ejus fideles sunt. Regem in decore suo videbunt oculi ejus, cernent terram de longè.* Quod D. *Gregorius* planum faciens ait: Ab activæ vitæ gradibus *inquit* ad quæ Contemplationis culmina ascendatur, Propheta adjunxit dicens: Iste in excelsis habitabit, & reliqua. In excelsis namque habitare, est cor in cœlestibus ponere. Et munimenta saxorum, sublimitas nostra est; cùm mente choris castrisque cœlestibus jungimur, & insidiantes malignos spiritus, stantes in arce cordis, quasi subterpositos, expugnamus. Tunc etiam nobis panis datur; quia in supernis erecta intentio, æternitatis contemplatione reficitur. Aquæ enim nostræ fideles sunt; quia verba vitæ, quod ante mortem insinuant, hoc etiam post mortem demonstrant. Regem in decore suo oculi nostri conspiciunt; quia Redemptor noster in judicio, & à reprobis homo videbitur, sed ad Divinitatis ejus intuendam celsitudinem, soli, qui electi sunt, sublevabuntur. *Et post pauca.*

pauca. Qui quamdiù in hâc vita sunt, quia illam viventium patriam, sicut est, videre non possunt, rectè adjungitur: Cernent terram de longè. *Et Alvarez alibi:* Utilitas vitæ contemplativæ ingens, sive eam comparatione illius, qui vitam contemplativam colit, sive comparatione totius Ecclesiæ consideres. Nam contemplationi Divinorum vacans, quis explicet, quàm magna & mirabilia dona ex DEI consortio & familiaritate percipiat? Jam præteritorum peccatorum meditatione compungitur, &c.)) Porrò, quàm sint proximis utiles ex eo percipi potest, quòd Ecclesia eorum orationibus fulcitur, & exemplis sustentatur; cujus rei testis locuples sit *Augustinus*, ita scribens: *Nihil de his loquar: Videntur enim nonnullis res humanas plusquàm oportet deservisse, non intelligentibus, quantùm nobis eorum animus in orationibus prosit, & vita ad exemplum, quorum corpora videre non sinimur.* Et optimè quidem. Est namque istorum vita contemplationi addicta, veluti Domini charissima Sponsa, quæ ejus domum, scilicet sanctam Ecclesiam, suâ pulchritudine illustrat, suâ puritate alios ad perfectionem allicit, & quidquid postulat, vel ad peccatorum purgationem, vel ad virtutis augmentum, vel ad felices negotiorum eventus, ipsis, non semel, sed sæpissimè impetrat. *Et alibi idem piissimus Author ait:* Non minùs ineptè activi, aliquando contemplativis insultant, eosque despiciunt, quasi inutiles, & minùs sanctæ Ecclesiæ fructuosos. Hæc sanè magna cæcitas est, dæmonis fraudibus plena, ad pacem Religiosorum turbandam, & vinculum dilectionis rumpendum. Non sola activa vita filios spirituales generat, non hæc sola est Ecclesiæ proficua; imo sæpè activa videtur parere, & proximos ad bonam frugem convertere, sed revera contemplativa est, quæ peperit, & animas à peccatis liberavit, & in DEI amicitiam evexit. Hæc enim spiritualium filiorum generatio, non tam à verbis, quàm à gemitibus, non tam ab eloquentia, quàm ab oratione dependet. Unde Paulus Colossensibus scribens, ait: *Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarum actione. Orantes simul, & pro nobis, ut DEUS aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi.* Contemplativa autem vita est, quæ gemit, quæ orat, quæ ostium apertum, hoc est, corda audientium mollia, ad recipiendum verbum DEI (sic quippe interpretatur Chrysost.) à Domino impetrat. Hæc igitur haud qua-

De vita Spirit. lib: 2. p: 4. c: 28.

August. de morib. Eccle: cap. 31.

Alvarez De vita Spirit: lib. 2. p. 2. c. 15.

Coloss. 4. 2.

Chrys. hom. 10. ad Coloss.

quaquam est sterilis, sed primo loco filios generat spirituales. Non dubium quin puris activis, qui multùm laborant, & nihil orant, qui multùm loqvuntur, & nihil cum affectu considerant, in die postremo illud eveniet, quod perdici avi astutæ succedit, quæ furans alteri ova, & pullos excludens, illi voce perceptâ veræ matris, instinctu naturali ad eam accurrunt, illamque pro vera matre, alteram verò pro nutrice agnoscunt. Hoc inquam nimis activi experientur, qui non charitate succensi, sed jactantiâ inflati, spiritualibus animarum ministeriis vacant, & DEI Verbum seminant, atque in magna populorum frequentia concionantur. Modò sibi spirituales filios attribuunt, & tanquam proprios fœtus asciscunt, non contradicentibus veris parentibus, qui scilicet multùm flevêrunt, multùm oraverunt, multùm pro animarum salute ad Dominum clamaverunt. Sed veniet tempus, cum DEUS veritatem patefaciet, quando nimirum animæ à peccatis ereptæ, religiosum Laicum charitate ferventem, licet in tenebricosa popina commorantem, qui multùm oravit; & non superbum, ac ambitiosum Prædicatorem, qui multùm vociferatus est, Patrem agnoscent. Tunc religiosi idiotæ anima admirans, & stupens, non sine exultatione illud *Isaiæ* dicet in corde suo: *Quis genuit mihi istos? Ego sterilis, & non pariens, transmigrata, & captiva: & istos quis enutrivit? Ego destituta, & sola, & isti ubi hic erant?* Et accipiet Divinum responsum: quia orationes tuæ, & lachrymæ tuæ, qnas pro animarum conversione fundebas, te istorum matrem fecerunt, quos literatus arrogans, nec Dominum rogans, & solo verbo & ostentatione laborans, sibi in filios arrogaverat. Non itaque vita contemplativa sterilis est, sed potiùs spiritualis fæcunditatis origo, quam oportet, ut veram Matrem animarum suspicere, non ut inutilem, atque infæcundam aspernari. Deniq; admirabilis est vitæ Contemplativæ svavitas. Unde *D. Gregorius* inquit: Contemplativa vita valde amabilis dulcedo est, quæ super seipsam animam rapit, cælestia appetit, terrena autem debere esse contemptui ostendit, ad Spiritualia mentis oculos patefacit, corporalia abscondit.)) Et adhoc propositũ idem S. illud Canticorũ applicat: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Nam dum mens ad superna vigilat, & in tam nova consideratione rerum admirabilium obstupescit, necesse est, ut rebus mundanis

Isa. 49.

Homil. 14. in Ezech.

Cant. 5.

mundanis dormiat, & audiendis seculi vocibus obsurdescat. *Et S. Augustinus Martham alloquens dicit:* A te autem quod elegisti auferetur, sed bono tuo auferetur, ut quod melius est detur. Auferetur enim à te labor, ut requies detur. Tu navigas, illa in portu est. Et super intenta erat Martha quomodo pasceret Dominum: intenta Maria quomodo pasceretur à Domino. A Martha convivium Domino parabatur, in cujus convivio Maria jam jucundabatur, &c.))

Sextus. Christus Dominus exemplum præbuit vitæ Contemplativæ, dum 30. annorum esset, in desertum secessit solus, ubi 40. diebus & noctibus jejunavit. *Matth. 4.* Jam verò Beatissima Virgo quantùm Contemplativæ vitæ addicta deditaque fuerit, vide sub vita mista. *Subsect. sequent.* Ubi quoque S. Josephi exemplum habes. Aliorum autem Sanctorum formam in vita contemplativa sub ejus particularibus officiis seu virtutibus infra vide; nunc hoc in passu præclarum magni Ecclesiæ Doctoris S. Hieronymi exemplum accipe. Qui quantùm lectione, meditatione, studio Sacrarum Scripturarum profecerit, tota sancta Ecclesia ubertìm quoque in seipsa & feliciter experitur. Quæ autem veræ beatitudinis gaudia in sua Contemplatione idem Sanctus degustaverit, ita describit: Post multas *inquit* lachrymas, post Cælo inhærentes oculos, nonnunquam mihi videbar interesse agminibus Angelorum, & lætus gaudensque cantabam: Post te in odore ungventorum tuorum curremus; *S. Hieronymus in libr: de Virgin: serv: Cant. 1.* *Et ad Virgines DEO dicatas scribens ait:* Experto itaque seni devòte consulenti credite filiæ, si semel gustastis quàm dulcis est Dominus, ad quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, à DEO autem electum, poteritis ab eo audire illud. Venite, & ostendam vobis omne bonum; & tunc ostendet vobis talia, qualia non nisi mentes assvetæ norunt. *S. Hieron: Epist. ad Eustoch: Ps. 117. Exod: 33.* Scio quid loquar, charissimæ. Nam ut meam insipientiam loquar, ego homunculus sic abjectus, sic vilis in Domo Domini adhuc vivens in corpore, Angelorum sæpe choris interfui, de corporeis per hebdomadas sustentationibus & nutrimentis nihil sentiens Divinæ visionis intuitu. Post multa ferè dierum spatia præscius futurorum redditus corpori flebam; Quid ibi manens felicitatis habebam, quid inenarrabilis delectationis sentiebam, testis est ipsa TRINITAS, quam

cernebam, nescio quo intuitu; testes sunt & ipsi beati Spiritus qui aderant; testis est ipsa conscientia mea, qui tantis bonis ipse fruebar, quod & qualia nescit proferre mollities corporis mei. *Deniq; subjungit dicens*: Non potest ad tantæ contemplationis dulcedinem cor secularibus plenum negotiis aspirare, sed oportet ut seculo moriatur, ut soli DEO per tantas meditationes, & desideria supernis inhæreat. Unde granum frumenti cadens in terram, nisi mortuum fuerit, semper sic solum manet ut cecidit, quodsi moritur fructum plurimum affert. *Hæc ille.*

Joan. 12.

Officia seu Actus vitæ Contemplativæ, in ejusdem descriptione supra enumerata patent: eorum vero *Praxes* infra sub Actu virtutis in genere, tum in specie reperies. Vide plura *infra de Contemplatione.* p: I. 2. tra: I.

SUBSECTIO III.

De Statu Vitæ Mistæ.

DIco Primò. *Hic Status est permanentia in exercitio actuum Vitæ Contemplativæ, tum Activæ, eorum actuum, qui ad supernaturalem proximorum salutem serviunt: Ad obtinendum perfectum donum Contemplationis, maxime verò Actionis, ex eisq; proprios perfectiores effectus & fines supernaturales consequendos.*

Dicitur; *Permanentia*: quæ nimirum resultat ex vi alicujus obligationis provenientis, vel à lege Charitatis, dum scilicet quispiam in Carentia ex justitia obligatorum; (quales v. g. sunt Parochi) vel aliàs tradit se Servitio animarum; quod ut commodiùs præstet, vacat suis temporibus vitæ contemplativæ; Vel insuper resultat hæc Permanentia ex vi obligationis emanantis à justitia, sive ex vi status & officii, uti Episcoporum, & aliorum Ecclesiasticorum Curata beneficia habentium, omniumq; Superiorum in supernaturali jurisdictione positorum; sive ex vi Voti aut Professionis alicujus.

Dicitur; *In exercitio actuum vitæ Contemplativæ*, nempe supraspecificatorum; & quidem frequentiùs & divitiùs, quàm in exercitio Activæ, nisi fortè subinde aliud svaserit proximi necessitas; imo & in mediis actionibus, populis & turbis non discedat à

contemplatione Divinæ præſentiæ, ut poſſit cum Propheta coronato dicere: *Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper &c: propter hoc lætatum eſt cor meum.* Imitetur quoque S. Dominicnm *qui in corpore degens & inter peccatores vivens, animo ſemper cum DEO & Angelis loquebatur, & dies proximis impertiens noctibus ferventiſſimæ contemplationi vacabat: & inter fratres humaniſſimus exiſtens, DEO inſtantiſſimis precibus adhærebat, ita ut ad veſperum demoraretur fletus & ad matutinam lætitia* Theod: lib. 4. c. 9. Quia ſi quæ utilitas ſperanda in ſalute proximorum, hæc provenire debet ex ſplendore Contemplationis, & fervore Charitatis contemplationem comitantis, ſicut lumen & calor diſpellens tenebras, & frigus, oritur ex luce & fervore ſolis. Unde *Homo ſanctus in ſapientia manet ſicut ſol, nam ſtultus ſicut luna mutatur*, modò lucens cum exiguo fructu ſedentibus in tenebris & in umbra mortis, modò à lumine deficiens. Chriſtus autem ſuos Prædicatores voluit eſſe Lucem mundi, dicens: *Vos eſtis lux mundi*; ſed qualis fuit Joannes *Lucerna ardens & lucens.* *Ardor*, inquit D. Gregorius, *cæleſtia deſideria, lumen verbum prædicationis deſignat.* S. Bernardus verò monet: *Ita luceant, ut tamen ardoris potiorem rationem quàm ſplendoris habeant.*

Pſal. 15. *Eccl. c. 7.* *Matth. 5.* *Johann. 5.* *S. Greg. Hom. 1. in Ezech.* *D. Bern. in Nat. Joa. Bapt.*

Dicitur; *Tum Activæ, eorum actuum, &c.* Quia etſi vita Miſta compoſita ſit ex Activa & Contemplativa, non tamen omnia opera Activæ admittit, ſed aliqua ſupponit, aliqua excludit. Supponit, & quidem jam ad perfectionem ſuam deducta; quia ſine his vita Miſta aut probè exerceri nequit, aut periculoſè exercetur. Talia ſunt peracta Pænitentia, perfecta ſui ipſius Abnegatio, perfecta Virtutum acquiſitio. *In malevolam* enim *animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.* Paulus quoque inquit: *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne fortè cum aliis prædicaverum, ipſe reprobus efficiar.* Denique promovendus D. Petrus ad curam gregis Chriſti, ab eo ſtrictum examen de dilectione ſui ſubiit per ter ingeminatum; *Simon Johannis amas me?* Unde S. Gregorius ait. *Qui charitatem erga alterum non habet, prædicationis officium nullatenus ſuſcipere debet.* Porrò Charitas perfecta cum ſit plenitudo legis, ſupponit acquiſitionem aliarum virtutum. Quas vitæ Miſtæ deditus non tam addiſcere, quàm perfectè jam addiſcens eas actu exercere, & alios docere debet, ut Chriſti imitator factus, *potens ſit in opere & ſermone, coram DEO & omni populo.*

Sapient. cap. 1. verſ. 3. 4. *1. Cor. cap. 9. verſ. 27.* *Johan. 21.* *Homil. 17. in Evang.* *Luc. 24.*

Deinde, Vita Mista non admittit opera Vitæ Activæ, erga proximos, nempè ea, quæ magis Secularibus quam Spiritualibus conveniunt. V. g. Nuptias componere, testamenta exequi, lites procurare, Respublicas seculares ad pacem & bonum temporale gubernare, &c. Quia ut Apostolus loquitur: *Nemo militans DEO, implicat se negotiis secularibus.* Itaque opera propria Vitæ Mistæ, quatenus est Activa, sunt universaliter ea, quæ salutem Spiritualem proximorum ex natura sua, & proximè promovent: Quod licet videre in Vitæ Mistæ perfectissimo Exemplari CHRISTO Domino, ultimo vitæ suæ triennio, tum ejus sequacibus Apostolis, Apostolicisque viris. Hæc verò opera breviter libet innuere. 1. Regimen animarum, non ad finem & bonum naturale, sed supernaturale: Hæc enim est ars artium, regere animas, includitque potissimas functiones mox nominandas. 2. Sacræ Scripturæ, imò totius Sacræ Scientiæ traditio. Quæ ab Angelico Doctore anteponitur Prædicationi, & aliis animarum ministeriis. Quia ipsa ad alia ministeria ut architectus ad minores artifices comparatur; & non utcunque docet, sed prædicatores & pastores facit. 3. Cathechizatio, particularis Verbi Divini prædicatio, instructio respectivè tum ad convertendos infideles ad fidem, tum peccatores ad pœnitentiam, tum justos ad ampliorem justitiam perducendos. Quia hac rerum providentiâ, voluit DEUS homines per homines salutem consequi, quod potissimùm fit Cathechismo, & privatâ, publicâq; Verbi Divini Prædicatione, ac Spirituali informatione. 4. Sacramentorum administratio. Quia per hæc homines in gratia DEI nascuntur, nutriuntur, perficiuntur. 5. Adolescentum eruditio in Virtute & Literis. Quia ita aptificantur ad Divinas Literas perdiscendas: Tum ut fiant ex eis idonei tam in Spirituali quam in politico Statu Populi DEI moderatores. 6. Afflictorum Consolatio, v. g. vinctos & in carceribus positos solari, Pauperes in Xenodochiis visitare, discordes concordare, infirmos & moribundos roborare, &c. Ad quod monet Ecclesiasticus: *Non desis plorantibus in consolatione, & cum lugentibus ambula. Non te pigeat visitare infirmum: ex iis enim in dilectione firmaberis.* 7. Conversatio per Colloquia Sacra, sed cum his duabus conditionibus: *Prima, conditio* est, ut instituan-

Epist. 2. Timot. c. 2. v. 4.

D. Thom. quodl. l. 9. a. 14.

Eccl. 7. 38. & 39.

instituantur in materia bona, & fine bono, quomodo docet Ecclesiasticus. *Cum viro irreligioso tracta de Sanctitate*, nempe ut eam sectetur. Similiter & *cum injusto de justitia. Et cum muliere de his, quæ æmulatur*, ne scilicet eam odiis prosequatur, cujus audierit per te virtutem commendatam. *Cum timido de bello*, addens ei animos ad bella Domini cum mundo, satana, & carne. *Cum negotiatore de trajectione* ad bonas merces emptoribus devehendas. *Cum emptore de Venditione*, ne ultra justum pretium augeat. *Cum viro livido de gratiis agendis*, scilicet DEO pro alienis bonis. *Cum impio de pietate, & cum inhonesto de honestate*, ut his virtutibus se arment ad oontraria vitia profliganda. *Cum operario agrario de omni opere*, Ut non tantùm in agricultura, sed in aliis quoque servilibus operibus rei familiaris sit obediens suo Domino. *Cum operario annuali de consummatione anni*, ut spe mercedis diligentiam præstet laboris. *Cum servo pigro, de multa operatione*, ad excutiendam segnitiem & pigritiam. Ecce hæc & similis materia collocutionis Sacræ, proportionatè ad Conditionem cujusque: hic finis, ut ex virtute propter DEUM in ejus gloriam & Salutem propriam, & alienam, quisque operetur. Eccl. 37.

Secunda Conditio: quatenus Conversatio cum aliis sit moderatissima & brevissima. Ne tempora lectioni vel orationi deputata, surripiantur, nevè majoris utilitatis ministeria omittantur, ac deniqúe ne sensim à sanctis in vana & ociosa (quod sæpè usuvenit) colloquia dilabatur.

Dicitur iu definitione *Ad obtinendum perfectum donum contemplationis*. Quia etsi plures soli dediti contemplationi, ejus magnam perfectionem sunt assecuti, Mistæ tamen vitæ navantes operam, multò perfectius donum contemplatlonis accipiunt. Tum in præmium excellentissimarum actionum Charitatis proximi: Tum, ut fiant aptiores in proponenda veritate DEI & Divinorum, ejusque amore & gloria promovenda. Ut tamen actio non tam impediat (quod frequenter evenire solet,) quinpotius promoveat contemplationem, ejusmodi cautelæ adhibendæ: 1. est; Ne actio sit secularis, sed accommoda statui & officio viri sspiritualis. Quippè mundanæ actiones hebetant, imo cæcant oculum mentis suæ terræ pulvere. 2. Ne fastidio silentii & solitudinis, nisi solius

lius gloriæ DEI, & Salutis animarum motivo, acurrat ad juvandos proximos. Alioquin & ipse in multas imperfectiones impinget, & tepidus aridusque minimè alios virtutis amore accendet. 3. Ne nimis anxia & immoderata sit actio, sed nonnisi quantùm necesse est. Immoderantia enim circa exteriora vigorem cordis minuit, & anxietas quietem tollit; utroque autem hoc nequit carere contemplatio. 4. denique: ne sit totus effusus in actionem, sed identidem ad præsentiam DEI se recolligat. His actio fulcita adminiculis mirum in modum disponet hominem ad clariores contemplationis radios, ut in ipsa quoque actione manens, novam quandam veritatis aspiciat lucem, effervescat magis in DEI Divinorumque amorem, ut tandem exoccupatus, mox in altissimum sopiatur mentis excessum.

Dicitur; *Maximè verò Actionis* nempe perfectum donum obtinendum. Quia ex intermista Contemplatione penè tota vis & fructus redundat in Actiones quæ sunt propriæ Mistæ vitæ, nempe Spirituales, ut supra visum.

Dicitur; *Ex eisq; perfectiores effectus & fines supernaturales consequendos.* Nimirum majorem perfectionem Charitatis, excellentiorem Sanctitatem, Beatitudinem propriam & proximi, majorem gloriam DEI, & suorum Electorum.

S. Bern. Serm. 3. in Assumpt. B.V.M. Dico Secundò: *Motiva ad Vitæ Mistæ munia probè obeunda sunt. Primum.* Quia in ejusmodi vita perfectus optimum gradum gratiæ & gloriæ obtinebit. Ita *S. Bernardus* dum ait: Deniq; inquit, paratum cor meum, paratū cor meum. Non semel tantùm sed & secundò, & vacare tibi, & proximis ministrare. Hæc planè pars optima, quæ non auferetur, hæc mens optima quæ non mutabitur, quocunque vocaveris eam. Bonum inquit acquirit gradum qui benè ministraverit: fortè meliorem qui benè vacaverit DEO, optimum autem qui perfectus est in utroque.))

S. Thom. 2. 2. q. 188. art. 6. *Secundum.* Docet *D. Thomas*: Sicut majus est illuminare quàm lucere, ita majus est contemplata aliis tradere, quàm contemplari.))

S. Bern. Simile quid habet Serm: in Nativ: S. Johan Bapt: *Tertium.* Quia Vitæ Mistæ dediti sicut Sol sunt perfecti in splendore & ardore. Eleganter de his *mellifluus Doctor.* Est tantùm lucere, vanum; tantùm ardere, parùm, ardere & lucere perfectum.

post allatum hic ejus sententiam.

fectum.)) Illi lucent, qui ex prædicationis ministerio, auram solùm popularem captant, & non DEI gloriæ, sed propriæ ambitioni servire student. Hoc autem vanum est. Nam quid inaniùs, quàm ex tam sanctis & præstantibus laboribus, non fructum præmii cælestis decerpere, sed inanis gloriæ & insipientis laudationis ventum aucupari? Illi ardent, qui sibi solis vacant, & contemplationi se tradunt. Et solà cordis proprii puritate contenti, aliis doctrinâ non prosunt. Et hoc parum est. Sancta enim rusticitas nullo modo potest cum illius sanctitatis opulentia conferri, cujus eximiæ opes sunt, ut videat unde abundè sibi provideat, & unde in alios sine sui detrimento doctrinæ divitias effundat. Illi verò ardent & lucent, qui in similitudinem solis, splendorem igneum, ardorem splendidum habent. Qui in ardore charitatis se ipsos super omnia creata efferunt, & DEO Creatori intellectu & affectu se copulant, & luce doctrinæ proximos docent, ac vitiis liberatos in viam virtutis adducunt.

Quartum. Christus ejusmodi vitæ ideam in seipso nobis exhibuit dum ut ait *B. Gregorius*: Humani generis Redemptor per diem miracula urbibus exhibet, & ad orationis studium in monte pernoctat, ut perfectis videlicet prædicatoribus innuat, quatenus nec activam vitam amore speculationis funditus deserant, nec contemplationis gaudia penitus operationis nimietate contemnant, sed quietè contemplantes sorbeant, quod occupati erga proximos loquentes refundant.)) *S. Gregorius 6. Moral. c. 17.*

Quintum. Filium quàm exactè imitata sit sua prædilecta Mater in Vita Mista, audi *Suarium* discurrentem hunc in modum. *Beata Virgo meruit per actus perfectissimos tam vitæ activæ, quam contemplativæ.* Hanc conclusionem pono, ad explicandam amplius perfectionem hujus meriti, simulque declarandam eximiam, ac perfectissimam rationem vivendi, & aptissimam ad sanctitatem agendam, quam *B.* Virgo in hac vita habuit. Et Primò in genere probari potest, quia perfectissimus status hominis utramque vitam activam & contemplativam, complecti debet, ut *D. Thomas* docet *secunda secundæ quæst.* 188. *art.* 6. *& infra quæst.* 40. *art.* 1. *ad secundum.* Ubi hanc vivendi rationem dicit Christum assum- *Suarez in 3. p. D. Tho. T. 2. d. 8. sect. 2.*

 psisse,

psisse; maximè autem decuit Virginem imitari Filium & post illum, perfectissimum vivendi modum habere. Secundò declaratur brevi discursu facto de vita Deiparæ, quam in tria potissimum tempora partiti possumus. *Primum* protenditur usque ad Filii conceptionem, de quo supra initio disputationis septimæ ex antiquorum Patrum scriptis ostendimus, B. Virginem in templo habitasse, ibique Divinæ contemplationi potissimùm vacasse, & ardentissimis desideriis, ac orationibus Messiæ adventum impetrasse, ac promeruisse. Addit vero *Ambr. lib. 2. de Virginibus in principio*, non caruisse tunc Virginem perfectissimo exercitio virtutum ad vitam activam pertinentium, inter alia, *Quid ego*, inquit, *exequar ciborum parsimoniam, officiorum redundantiam, alterum ultra naturam superfuisse, alterum pene ipsi naturæ defuisse? Illic nulla intermissa tempora, hinc congeminatos jejunio dies, & si quando reficiendi successisset voluntas, cibus plerumque obvius, qui mortem arceret, non delicias ministraret.* Vbi quanquam Ambrosius, non loquatur in particulari de hoc tempore, sed generatim de tota vita Virginis, tamen, quæ dicit, ad illam maximè ætatem sunt accommodatissima. Refert præterea *Sabellicus lib. 2. exemplorum capitulo 4. & nono, & lib. 8. capitulo 4.* quadam antiquâ traditione, solitam fuisse Virginem totâ hac ætate à prima luce ad tertiam diei horam contemplationi, ac rebus sacris vacare: deinde vero usque ad meridiem operi alicui incumbere: reliquam verò diei partem sacræ lectioni, & orationi impendere. Quod etiam ita fuisse revelatum S. Brigittæ refert Canisius, qui de hac ætate Virginis latè disputat, *lib. de Beata MARIA capitulo 12. & 13.* Secundum *Tempus* duravit ab incarnatione usque ad ascensionem Domini, in quo excellentiora opera utriusque vitæ exercuit: tum quia majori semper gratiâ, & sanctitate pollebat: tum etiam quia majorem opportunitatem perfectiùs operandi nacta est. Primò enim ad hoc tempus spectat singulare illud meritum fidei, charitatis, obedientiæ & humilitatis, quod in ipsa Filii conceptione enituit; quando suum consensum præstitit. Ut mirum in modum ponderat, & exaggerat *Bernardinus Senensis serm. 51.* Deinde quod ad vitam contemplativam pertinet, plurimùm ad perfectionem ejus contulit præsentia Filii, quâ semper fruebatur, & ad illum amandum

mandum non tantùm gratiæ, sed etiam naturæ impetu ferebatur, ut rectè notavit *Anselmus, lib. de excellentia Virginis c.* 5. Accedit quòd *sedens secus pedes Filii audiebat verbum illius*; nunquam enim ferè à Filio discedebat, propter quod *Epiphanius hæres.* 78. eam vocat, *Perpetuam JESU sectatricem.* Quodsi audiendo verba Simeonis, vel aliorum, custodiebat ea, conferens in corde suo, quid audiendo verba Filii existimandum est effecisse? Denique quod ad vitam activam spectat, in hac ætate exercuit summa pietatis officia erga Filium: Sponso etiam suo ministravit, ac familiæ curam gessit. Et (quod caput est) maximos labores, & dolores simul cum Filio sustinuit, ut rectè consideravit *Anselmus de excellentia Virginis, cap.* 5. *Et eleganter Rupertus* 3. *lib. in Cantica, in fine*: Tertium *Tempus* duravit, usque ad Beatæ Virginis obitum, quo tempore cœlestem quandam vitam egisse nemo pius dubitare potest. Unde (ut est apud *Sabellicum supra, & Nicephorum lib.* 2. *Histor. cap.* 3.) post Christi mortem in Joannis domo habitavit, privatamque & ab hominum consortio semotam vitam egit, ubi Filii absentiam perpetuâ illius consideratione & charitate compensabat. Unde *Laurentius Justinianus serm. de Assumptione*, de hac ætate Deiparæ loquens, inquit: *Nullus ardorem Virginis sufficit explicare, quanto desideriorum cremabatur incendio, quàm crebris suspiriis angebatur*, & alia, quæ eleganter persequitur. Et *Rupertus lib.* 5. *In Cantica*, cujus magnam partem in explicanda altissima Virginis contemplatione ponit. Nec verò huic tempori exercitium activæ vitæ defuit: quin potius, cum aliis temporibus activam vitam circa corporales actus exercuisset, in hoc tempore illam in spiritualibus actibus, qui ex suo genere, perfectiores sunt, exhibuit. Nam (ut sub nomine Hieronymi refertur sermone de Assumptione) Apostolos docuit; Et Lucam Evangelistam de mysteriis fidei instruxit. Et credibile est in consolandis, ac spiritualiter juvandis aliis fidelibus sæpè occupatam fuisse: Unde *Beatus Ignatius epist.* 3. ad MARIAM, eam deprecatur, ut se confortare, & consolari dignetur, ad quem Beata Virgo rescripsit, eum confirmans in fide, & ad persecutiones sustinendas erigens, eique adventum suum cum Joanne Evangelista ad Antiochenam Ecclesiam invisendam pollicetur. Et *Epiphanios hæres,* 78. dubitat, an Beata Virgo cum Joanne in Asiam profecta sit: Patres autem

autem *Concilii Ephesini c. 27. tom. 2.* affirmant ipsam cum Joanne Evangelista Ephesiorum civitatem incoluisse. Quod si factum est, propter proximorum salutem, & Ecclesiæ augmentum sine dubio peractum est. Constat igitur Beatam Virginem in toto vitæ suæ progressu perfectissimas operationes activæ ac contemplativæ vitæ exercuisse, quas eleganter describit *Ignatius epist* 1. ad Joannem Evangelistam, ubi post multa ita concludit. *Sicut nobis à fide dignis narratur, in MARIA Matre JESU, humanæ naturæ natura sanctitatis Angelicæ copulatur, & hæc talia excitaverunt, viscera nostra, & cogunt valde desiderare aspectum hujus si fas est, fari, cælestis prodigii, & sacratissimi spectaculi.* Cujus epistolæ meminit etiam *Bernardus serm. 7. in Psalm* 90. Hactenus Suarez.

V. Carolum Stengeliū vit. S. Josephi c.12. *Sextum.* JESUM & MARIAM in vitæ perfectione quis magis expresserit, quàm illorum individuus comes JOSEPH? qui ut *Stengelius* inquit, continuam occasionem habuit perfectissimè exercendi vitæ activæ & contemplativæ munera. Activæ, 30. annis inserviendo Christo, ejusque sustentando corpus; quod utiq; ob unionem hypostaticam fuit nobilius mystico corpore Ecclesiæ. Contemplativæ; exemplo JESU & MARIÆ continuò in cælestia se elevando, & præsenti objecto incarnati DEI in Seraphicum amorem assiduè inardescendo.

Actor. 6. *Septimum.* Quia vita Mista est vita Apostolica ut Apostoli in Actis insinuant dicentes: *Non est æquum nos derelinquere Verbum DEI, & ministrare mensis.* Et paulò infra: *Nos verò orationi & ministerio verbi instantes erimus.* Et Doctor gentium inquit: *2. Cor. 5.* *Sive enim mente excedimus DEO, sive sobrii sumus vobis.* Est quoque vita Mista vita Angelica, quòd Contemplantes DEUM, alios purgant, illuminant, perficiunt. Porrò aliorum Sanctorum exempla patebunt in specie sub singulis virtutibus vel officiis ad vitam Mistam spectantibus.

Quantùm ad *Praxim* Actuum vitæ Mistæ, de his infra agitur, & universaliter sub Actu virtutis, & particulariter sub qualibet earundem virtutum. Denique ipsa combinatio & exercitium vitæ activæ cum contemplativa, quæ est vita mista, qualiter institui debeat, patet ex supra explicatis particulis Definitionis vitæ mistæ.

Finis Summæ Theologiæ Spiritualis.

Pars Prima
THEOLOGIÆ SPIRITUALIS,
SEU
SCIENTIÆ SALUTIS,

Benè Beatequè vivendi in Tempore, ac Æternitate.

DE CAUSA EFFICIENTE MEDIORUM IN STATU VITÆ CHRISTIANÆ SUPERNATURALIS, SEU SPIRITUALIS: AD FINEM SUPERNATURALEM. *ET DE EJUSDEM CAUSÆ OPPOSITO.*

AUTHORE R. P. FELICE SIMPLICI ŁACKI,
S. Theologiæ, Professore, & Priore Monasterii B. MARIÆ V. de Oliva, S. O. Cisterciensis.



PARTES THEOLOGIÆ SPIRITUALIS.

§ I.

Hæ Partes ſunt Tres, includentes quatuor genera Cauſarum Efficientis, Materialis, Formalis, & Finalis; tum earundem Cauſarum Productum ſeu Effectum.



Actenus de Theologiæ Spiritualis Objecto, aliisq; ad ipſam pertinentibus, ſive de Statu vitæ Chriſtianæ Supernaturalis in Summa ſeu Totalitate quadam generica, & ſpecifica actum: Nunc de Partibus ejus in titulo poſitis, quibus conſtat idem Status, agendum. Et quidem quoad Cauſam Efficientem; ſicut Cor in homine, etſi non ſit pars phyſicæ vitæ humanæ actualis, eſt tamen pars ſtatus naturalis vitæ humanæ, inquantùm eſt fundamentum, cauſa & principium effectivum vitalitatis actualis. Ita & in ſtatu vitæ moralis ſupernaturalis, quanquam gratia habitualis, aliaque principia effectiva, ſint minimè pars vitæ actualis moralis ſupernaturalis (ſicut cauſa efficiens non eſt pars effectus quaſi unum quid cum effectu integrans, etſi effectus poſſit dici aliqua pars cauſæ, ſed deciſa à cauſa) ſunt tamen pars ſtatus vitæ moralis ſupernaturalis, inquantùm ſunt fundamentũ & cauſa productiva ſupernaturalitatis, aliorumq; prædicatorum actus ſupernaturalis: perfecta enim notitia totius Status alicujus rei, includit conceptum Fundamenti, Principii, Medii, & Finis, quaſi integrantium perfectæ Totalitatis ſtatus illius rei. Quod verò concernit reliquas Cauſas Materialem, Formalem, ac Finalem, ſiquidem

dem hæ actibus status vitæ supernaturalis dant suum Esse (Objectum enim dat Esse Actui) meritò ejusdem Status actuum partes Essentiales dici possent: quanquam non tali modo, quali corpus & anima sunt partes Essentiales hominis physicè spectati, constantis corpore & anima; sed per modum Intentionis, quo potentia Cognoscitiva tendens in objectum, ejus abstrahit speciem, cum qua producit actum repræsentativum Esse objecti: Volitiva autem tendit in illud repræsentatum objectum, ipsumque contingens, ac ei se uniens, si objectum bonum est, participat ab ipso voluntas rationem Bonitatis, sicut manus odorem ab odorifero pomo, illud comprimens; Si peccaminosum objectum, derivatur quoque malitia ejusdem inappetitivam; Sicut manus picem tangens, inquinatur ab ea. Quod non modò fit in Actibus prosecutionis, verùm etiam in Actibus fugæ, sed ut præsupponunt Actus prosecutionis moraliter bonos vel malos, & ab eis derivantur. Porrò Productum seu Effectus harum Causarum sunt Actus Supernaturales, tum ab his executivè producti alii Effectus, qui se habent per modum Finis Supernaturalis intentionaliter, uti sunt Puritas, Ornatusque animi Supernaturalis, Perfectio, Sanctitas, Beatitudo propria & proximi, Gloria DEI, & Electorum. Adeoque & horum Effectuum sunt illæ quatuor Causæ productivæ juxta illud axioma: *Quod est causa causæ, est causa causati.* Ejusmodi verò Productum seu Effectum esse Partem Theologiæ Spiritualis quid clarius? sunt enim hæc Media & Finis status vitæ Christianæ Supernaturalis.

§ II.

De Ordine Causarum à Prima & Altissima ad Secundas; & de rationibus Divinis, secundùm quas Theologia Spiritualis tum statum vitæ Supernaturalis, tum alia omnia decernere ac regulare debet.

in 1. Metaph. lib. 1. cap. 7. Tom. 3.

SUpposito Theologiam Spiritualem includere dona Spiritus Sancti nempe Sapientiæ & Scientiæ; jam verò cùm juxta Philosophum, *ad sapientem* (etiam sapientiâ naturaliter præditum)

ditum) *pertineat considerare Causam Altissimam, per quam certissimè de aliis judicatur, & secundùm quam omnia ordinari oporteat;* multò magis Sapientiæ supernaturalis sit proprium, quòd juxta S. Augustinum citatum à D. Thoma *intendat rationibus supernis scilicet Divinis, & conspiciendis secundùm quod Divina in seipsis contemplatur: & consulendis, secundùm quod per Divina judicat de actibus humanis, & per Divinas regulas dirigens actus humanos.* Deinde quoniam doni Scientiæ munus est per secundas Causas rectè judicare de Divinis, & discernere agenda à non agendis: Sequitur Theologiam Spiritualem secundùm eandem Causam nempè Primam & alias rationes Divinas, tum per Secundas Causas, debere de Objecto suo scilicet de Statu vitæ Christianæ Supernaturalis rectum formare judicium, eundemque Statum regulare. Deniquè cùm Theologia spiritualis per antonomasiam gaudeat & re & titulo Sapientiæ, officium ejus erit, non tantùm de objecto proprio, verùm etiam & de objectis aliarum Scientiarum, rebusque omnibus per supremam Causam rationesque Divinas decernere quà speculativè, quà practicè. Unde paululùm fusiùs sequenti discursu occupari cogimur. *Praxim* autem quomodo id faciendum, antequam porrigamus, primò ostendere opus has Rationes Divinas, tum ordinem Causæ Primæ qualiter se habeat ad Causas secundas, & suos effectus, & similia.

D.Thom.22. quæst.45.a.3.

Itaque DEUS fide & lumine rationis orbi terrarum notus, cùm sit Ens simpliciter necessarium, & à se, necesse est eum esse summè seu infinitè Bonum bonitate ac perfectione possibili. Bonum verò aut Perfectū naturâ suâ est communicativum sui, id est suæ substantiæ, perfectionis, vel entitativè, vel similitudinariè alteri à se, distincto. Sicut v. g. Vas perfectè plenum propendet ad communionem seu effusionem sui liquoris. Divina igitur Essentia, cùm sit summum Bonum, summè communicat sese ab intra Tribus Divinis Personis. Non quasi Divina Substantia communicando se illis entitativè producat aliam & aliam Substantiam Divinam: sed potius ut *Lessius* ait, largitione suiipsius ac veluti replicatione, ita ut eadem numero simplicissima Natura sit in tribus distinctis numero Hypostasibus. Et hæc communicatio est naturalis, proveniens à Naturæ Divinæ fœcunditate; quæ est super-

Lessius de perfect. Divin. lib.9. cap.1.

abundantia boni perfecti in Divinitate. Alia item est communicatio Divinarum Personarum ad invicem, quâ ex plenitudine perfectionis, seu quod idem est bonitatis, Pater suam Divinam Naturàm communicat Filio per ejus generationem: item Pater & Filius eandem Naturam suam communicant SpirituiSancto per ejus spirationem. Et hæc communicatio DEI Unius & Trini fit ad intra, ab æterno, necessariò, naturaliter, & quoad substantiam, ac perfectiones absolutas ipsius summi Boni. Porrò Communicatio summi Boni quæ est libera, & fit ad extra creaturæ, talem humano modo concipiendi processum habere videtur. In primo signo rationis summè propendebat ab æterno DEUS communicare sese creaturæ modo summo. Et hæc propensio spectatur in bonitate seu perfectione Naturæ Divinæ quasi in actu primò. In secundò signo vidit scientiâ simplicis intelligentiæ creaturas, quibus, & modum, quo se eis posset communicare. In tertiò signo decrevit ex possibilibus aliquas futuras creaturas, quibus, & modum, quo se eis de facto communicaret. Quod DEI decretum & volitio propendens ad sui communionem Creaturæ vocatur *Bonitas* in actu secundo seu *Benignitas*, ortum ducens ex Bonitate vel perfectione Naturæ Divinæ. Ex hac Benignitate oritur *Amor DEI*
Jerem. 31. æternus in creaturam. Unde dicit DEUS: *In charitate perpetuâ dilexi te.* Tum ex Amore *Liberalitas*, *Beneficentia*, *Misericordia*, respectu omnium, *Prædestinatio* respectu Electorum. Quæ perfectiones ab æterno erant in Divina intentione ac voluntate ad communicandum suam Divinam perfectionem creaturæ modo infra posito. Jam verò in tempore executivè easdem perfectiones exercens circa creaturam, alias patefecit suas Divinas perfectiones communicativas DEI in ordine rerum Naturali, Morali, Supernaturali.

Nempe **Primò** quod ipse sit *causa Prima & Universalis* omnium in essendo, & existendo: & primò quidem producens ex nihilo subjecti, unde nomen Creatoris; deinde concurrens cum causis secundis ad suos effectus. Et hæc communicatio summi Boni ut Causæ Primæ & Universalis ad omnem creaturam, non est communicatio entitativa, sed similitudinaria Divinæ substantiæ & perfectionis. Rationalem quidem creaturam producens ad imagi-
nem

nem & similitudinem suam, in aliis verò creaturis vestigium suæ Divinitatis imprimens: uti subtiliter hæc declarat *Angelicus Doctor* dicens: Omnis effectus aliqualiter repræsentat suam causam, sed diversimode: nam aliquis effectus repræsentat solam causalitatem causæ, non autem formam ejus, sicut fumus repræsentat ignem: & talis repræsentatio dicitur esse repræsentatio vestigii. Vestigium autem demonstrat motum alicujus transeuntis, sed non qualis sit. Aliquis autem effectus repræsentat causam, quantùm ad similitudinem formæ ejus, sicut ignis generatus, ignem generantem: & statua Mercurii, Mercurium, & hæc est repræsentatio imaginis. Processiones autem Divinarum Personarum attenduntur secundùm actus intellectus & voluntatis. Nam Filius procedit ut Verbum intellectus: Spiritus Sanctus ut Amor voluntatis. In creaturis igitur rationalibus, in quibus est intellectus & voluntas, invenitur repræsentatio Trinitatis per modum imaginis, inquantùm invenitur in eis verbum conceptum, & amor procedens. Sed in creaturis omnibus invenitur repræsentatio Trinitatis per modum vestigii, in quantùm in qualibet creatura inveniuntur aliqua, quæ necesse est reducere in Divinas Personas, sicut in Causam. Quælibet enim creatura subsistit in suo esse, & habet formam per quam determinatur ad speciem, & habet ordinem ad aliquid aliud. Secundùm igitur quod est quædam substantia creata, repræsentat causam & principium: & sic demonstrat personam Patris, qui est principium non de principio. Secundùm autem quod habet quandam formam & speciem, repræsentat Verbum, secundùm quod forma artificiati est ex conceptione artificis. Secundùm autem, quod habet ordinem, repræsentat Spiritum Sanctum, inquantum est Amor: quia ordo effectus ad aliquid alterum, est ex voluntate creantis. Et ideo dicit August. in 6. lib. de Trinit quod vestigium Trinitatis invenitur in unaquaque creatura, secundùm quod unum aliquid est, & secundùm quod aliquâ specie formatur, & secundùm quod quendam ordinem tenet. Et ad hæc etiam reducuntur illa tria, numerus, pondus, & mensura, quæ ponuntur Sap. 11. Nam mensura refertur ad substantiam rei limitatam suis principiis, numerus ad speciem, pondus ad ordinem. Et ad hæc tria reducuntur alia tria quæ ponit August. mo-

D.Thom.p.1. quæst.45.a.7.

dus, species, & ordo. Et ea quæ ponit in lib. 83. quod constat, quod discernitur, quod congruit. Constat enim aliquid per suam substantiam, discernitur per formam, congruit per ordinem. Et in idem de facili reduci possunt quæcunque sic dicuntur.)) **Secundò.** DEUS in tempore manifestavit se, quòd sit Gubernator universi, concurrens immediatè ad ejus minutissimarum partium Conservationem, quæ conservatio dicitur continuata creatio: tum concurrens mediatè; *Providendo* per secundas causas proportionatè cujusque rei suam permanentiam. Et quia rationalis creaturæ maximum bonum est ex virtute seu honestè agere; & in hoc puncto Altissimus Gubernator seipsum dedit pro Regula prima morum, manifestata in legibus & præceptis Divinis, tum exemplis moribusque Divinis, Christi Domini, & ipsius Electorum, maximè in Scriptura sacra expressis, juxta quæ Regula intrinseca seu dictamen practicum rationis rationalem creaturam dirigeret ad omnem morum rectitudinem. Et hæc communicatio summi Boni ut Regulæ primæ morum ad rationalem creaturam est itidem similitudinariè in largitione Rationis, ut regulantis mores. Tum ut ad similitudinem illius summæ Sanctitatis, quod homo videt rectum, posset operari, dedit *inclinationem naturalem* voluntati, quæ movetur ad amorem boni honesti. Quod præcipuum bonum Naturæ in genere moris perficit multo excellentiùs gratiis & donis supernaturaliter. Quia verò culpâ propriâ homo à Fine ultimo supernaturali defecerat, mediisque supernaturalibus fuerat privatus, ac in extremum exitium actus, misericordissimum Numen providit Unionis Hypostaticæ ac Redemptionis singulare medium, quo in pristinum Statum homo restitueretur. Porrò per Unionem Hypostaticam communicavit se summum Bonum creaturæ substantialiter, adeoque communione tali, quâ major dari nequit. **Tertiò** Tandem: cùm omne Agens agat propter finem, idque maximè deceat primum Agens.
Proverb. c. 6. Hinc *universa propter semetipsum operatus est Dominus*, tanquam propter ultimum Finem omnium, communicando se creaturæ intentionaliter in præsenti per Gratias actuales, in futuro per Gloriam visionis & amoris beatifici.
1. Cor. c. 15. Ut ita sit *DEUS omnia in omnibus*, nempe Princi-

Principium ex quo omnia, Medium per quod omnia, Finis in quem (ita Græcus textus) omnia nempe tendant, ac in quo omnia ultimò terminentur & conquiescant. Et in his omnibus relucet *Omnipotentia DEI*; quia quæcunque voluit Dominus fecit: *Sapientia*, attingens à fine usque ad finem fortiter, & disponens omnia suaviter: *Bonitas* seu Benignitas, communicans se creaturæ in tempore & æternitate multipliciter. V. Rom: c. 11. v. 36.

His positis, jam videre est quænam sit illa Prima & universalisssima Causa, & Rationes Divinæ, ad quas sua scita de Statu vitæ Christianæ Spiritualis, ac de aliis omnibus regulare debeat Theologia spiritualis: nempe Altissima Causa & principium ultimo resolutorium est DEUS ut summum Bonum, Rationes Divinæ sunt ejus Perfectiones, emanantes ex summo Bono. Sicut enim Metaphysica considerat v. g. hominem quà Ens, unum, verum, bonum; Physica quà Ens, constans corpore & anima; Medica, quà Ens sanabile: ac quælibet harum scientia hominis, ut objecti ita considerati, dat proprias rationes & principia. Ita & Theologia spiritualis dum considerat hominem, quà Ens dirigibile supernaturaliter secundùm Causam Primam ad Finem supernaturalem, & maximè ultimum, hujus suæ considerationis non alia dat principia, & rationes, quam Divinas Perfectiones fide cognitas. *Praxis* autem ista faciendi in omni ordine rerum Naturali, Morali, Supernaturali, sequentibus ostenditur.

Et *Primò* quidem in *Ordine Naturali* v. g: quoad speciem humanam, dum à supernaturali consideratur quid sit secundùm animam hic homo seu Petrus ut dirigibilis ad ultimum Finem? *Respondetur*: Esse vivam imaginem repræsentatricem DEI, quæ repræsentatio adeo nobilis, est gloria sui Prototypi nempe DEI, tum hominis gloria & beatitudo repræsentantis & participantis nobilissimum Ens DEUM, adeoque finis ultimus hominis respectu DEI, atque respectu ipsius hominis in ordine naturali finis, quatenùs homo per contemplationem & amorem naturalem possidet DEUM in sua imagine, & per suam imaginem nobilissimè repræsentatum & cognitum. Ultra *quæritur*; Unde anima hujus hominis seu viva imago repræsentatrix DEI? *Respondetur*: A

DEO ut CausaPrima & Universali creativa ex nihilo subjecti. Quid conservativum animæ? *Respondetur:* Eadem potentia DEI, quæ creatrix ipsa & conservatrix suo continuo influxu sustinet animam. Quid movit DEUM ad creationem & conservationem animæ ly Petri seu hujus hominis, idque eo fine, ut esset imago repræsentatrix honorificativa DEI, & hominis simul, occasioque ejus beatitatis? *Respondetur:* Primò Misericordia DEI ut misereretur mali cujusdam physici, quod est nihilum animæ â qua illud malum depelleretur, tum ad Esse promoveretur, quæ est Beneficentia DEI: & quidem ad Esse adeo Nobile, quæ est Liberalitas DEI. *Quæritur:* Hujus misericordiæ, beneficentiæ, liberalitatis quæ causa? *Respondetur:* Amor DEI benevolus erga animam hujus hominis. *Quæritur:* Amor DEI hic unde? *Respondètur:* Oritur ex Bonitate seu Benignitate DEI seu propensione ad miserendum, & benefaciendum idque liberaliter isti humanæ creaturæ ex possibilibus in sua specie. *Quærirur:* Benignitas DEI hæc in actu secundo unde? *Respondetur:* Emanat ex summa Bonitate seu perfectione Naturæ Divinæ diffusiva seu communicativa sui in propria imagine ad extra humanæ creaturæ. Restat quærere, hæc emannatio Benignitatis DEI in actu secundo ad extra terminata v. g. ad Petrum seu hunc hominem juxta quam fit ideam? *Respondetur:* Fit ad ideam repræsentatam in Verbo. Et hic jam sistitur processus quæstionis â Sapientia supernaturali de anima v. g. Petri daturque per multas inferiores Rationes Divinas, ac tandem per ultimum resolutorium, seu primum principium nempe DEUM ut est *Altissima Causa Efficiens*, nempe productionis & conservationis Esse jam producti Petri: *Formalis Causa*, id est Bonitas & perfectio Naturæ Divinæ: *Exemplaris*, scilicet Idea in Verbo Divino: *Finalis Causa* ipse DEUS & gloria sui, & suæ creaturæ ly v. g. Petri. Causa inquam Altissima, quæ est summum Bonum in multiplici genere causæ, communicans se suæ creaturæ. Eundem in simili forma facito processum quæstionis proportionatè de omni alia creatura irrationali, vegetabili, corporea, ac incorporea, substantiali, sive accidentali ordinis naturalis.

In Ordine verò *Morali*, ita â Spirituali viro in sua principia resolvitur processus quæstionis. *Quæritur:* quid sit lumen rationis

nis regulativum hominis reſpectu honeſtatis vel inhoneſtatis? *Reſpondetur*: Eſſe ſimilitudinem DEI, ut eſt prima Regula morum: quæ ſimilitudo pulcherrima cedit in gloriam DEI, & ipſius hominis, ut in finem ultimum intentum ab ordine moris. Similem enim eſſe DEO quid glorioſius homini? & per hanc ſimilitudinem DEUM contemplari & amare, pars beatitudinis eſt. Iterum DEUM in tam excellenti ſimilitudine repræſentari, relucet excellentia Divinitatis, quæ ante nos latebat. Ulteriorē & uberiorem proceſſum quæſtionis per omnia proportionatè formare potes ut ſupra in ordine Naturali, quousque devenias ad Altisſimam Cauſam, ipſumque ſummum Bonum, principium omnis boni.

In Ordine quoque *Supernaturali* ſimiliter procedendum. *Quæritur*; quid Gratia ſanctificans, habitusque infuſi Virtutum, ac Dona Spiritus Sancti, Gratiæ actuales? *Reſpondetur*: Iis homo fit conſors Naturæ Divinæ, Filius DEI, adeoque ſimilis ei in Aſeitate ac perfectionibus Divinis; ut enim Aſeitas in DEO eſt principium ſtabile perfectionum Divinarum, ita & Gratia habitualis eſt in anima principium ſtabile perfectionum v.g. Sapientiæ, Scientiæ, aliorumque Donorum Spiritus Sancti, ac Virtutum infuſarum, tum cujusdem Omnipotentiæ (ut Apoſtolus dixit: *Omnia poſſum in eo, qui me confortat,*) Pulchritudinis animæ, &c. Quæ ſimilitudo in quantam gloriam DEI & hominis cedat, & in qua ac per quam homo particeps fieri poſſit Beatitudinis, facilè eſt advertere, & infra fuſiùs oſtendetur. Proceſſum quæſtionis ulteriorem & ampliorem proportionatè facere potes, ut ſupra in ordine naturali. Simili modo procede & de Viſione beatifica, quâ efficiemur maximè ſimiles DEO, ipſum in nobis repræſentando intentionaliter.

Philip. 4.

Vide p. 3. de beatitud.

Libet autem hic annectere pro confirmatione dictorum ex Diviniſſimo Areopagita qui ait: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum. Quin etiam luminis, quod Patris inſtinctu ac nutu effunditur, progreſſus omnis, ad nos conceſſu ac munere DEI perveniens, rurſum nos, ut vis conjungens excitando dilatat, atq; ad colligentis Spiritus, ut ita dicam, unitatem Divinamq; ſimplicitatem convertit. Nam & ab eo proficiſcuntur, & ad eundem convertuntur omnia, quemadmodum Sacroſancta Scripta tradiderunt.*

Dionyſ. cæleſt. Hierar. c. 1.

Cæterùm

Cæterùm sic declarata Theologia Spiritualis per omnes sui Causas, fundamentalem & perfectam parit cognitionem de propriis objectis. Optima enim cognitio est, quæ per prima prædicata, vel à priori, seu per causam datur. Et Angelicus Doctor
D.Thom.1.2. asserit dicens: *Perfecta ratio uniuscujusq; rei colligitur ex omnibus cau-*
quæst. 55. a.4. *sis ejus*: tum etiam ex perfectione ternarii numeri, habentis prin-
V. part. ter- cipium, medium, & finem (de quo idem S. Doctor) dum scilicet
tiam quæst. 53. ratio rei reducitur ad hunc numerum, & deducitur per suum
art. 2. principium, medium, & finem. Quod ad amussim præstat hæc Theologia Spiritualis. Nam ut incipiamus ab ipso Producto causato à causis Theologiæ illius, usque ad supremum principium summi Boni, etsi quidem Productum hoc, qui sunt Actus supernaturales, tum Perfectio, Sanctitas, &c. non habeant principium, medium, & finem extensionis nisi virtualiter, cùm sint res naturâ spirituales, habent tamen principium, medium, & finem intensionis, & gradualis perfectionis: unde revocantur ad triplicem Hierarchiam tum Officiorum Ecclesiasticorum, tum graduum Virtutis in mente humana, ad similitudinem actionum triplicis Hierarchiæ cælestis Angelorum; tum ad repræsentandum opera Sanctissimæ Trinitatis, ubi Pater depurat humanam mentem ab infimis, & idem cum Filio illuminat sapientiâ, & uterque cum Spiritu sancto accendit amore, hocq; ipsum facit ex motivo suæ infinitæ diffusivæ Bonitatis. Porrò respectu Causarum, Theologiam Spirituale certum est habere principium Causæ Efficientis per plures causas secundas usque ad Primam Causam omnium & ipsum principium Sanctissimæ Trinitatis DEUM Patrem, *ex quo omnia*: habere item medium Causæ Materialis, Formalis, & Exemplaris, ascendendo per causas secundas usq; ad ipsam supremam formã & exemplar Verbi Divini seu Filii DEI, *per quem omnia*: habere item finem Causæ Finalis per causas secundas procedendo usque ad Finem seu Terminum Sanctissimæ Trinitatis, qui est Spiritus Sanctus. Deindè resolvitur ultimatè Theologia Spiritualis in Unitatem Deitatis tanquam cunctorum principium, & ultimum
1.Cor. C15. finem; ut ita appareat *DEUM esse omnia in omnibus*. Denique in dispositione hujus Theologiæ Spiritualis adumbratur mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & unius Deitatis, sibi creata pro eorum

modulo

modulo & capacitate ex immensa Bonitate assimilantis, dum scilicet in Statu vitæ supernaturalis ex hoc repræsentatur, quod ejus perfectum actuale exercitium indivisim procedat & simul, à principio medio & fine, sicut indivisim operatur Sanctissima Trinitas, cujus principium originativum DEUS Pater, media Persona DEUS Filius, finis seu terminus Sanctissimæ Trinitatis DEUS Spiritus Sanctus. Deinde etsi partibus constet Status vitæ supernaturalis, unus tamen est, figurativus inseparabilis naturæ illius Divinissimæ.

Quæ dicta coronet suo asserto sacratissimus *Areopagita* ita dicens: Hoc igitur modo scripta Divina totam Divinitatem, ut omnium Causam laudant, & appellant Unius nomine: unusque DEUS & Pater, ac unus Dominus JESUS CHristus, unusq; etiam Spiritus Sanctus dicitur, ex præstanti totius Divinæ Vnitatis vacuitate partium, in qua singillatim collecta & conjuncta sunt omnia præstanti modo, & ante eximiè insunt. Itaque ad eam recte referuntur, eiq; tribuuntur omnia, à qua, ex qua, per quam, & in qua sunt omnia, & ordine quodam dispolita sunt, manentq; ac continentur, & perfecta sunt, ad eamque convertuntur: nec quidquam invenire possis, quod non Uno, ex quo omnis Divinitas nominatur, & sit id quod est, & absolvatur, & custodiatur. Nos etiam debemus à multitudine ad unum Divinæ Unitatis vi conversi, conjunctè laudare totam unamque Divinitatem: & Unum illud, quod est causa omnium, quod est omni uno & multitudine, omni parte, & toto, omni termino & determinationis privatione, omni fine ac infinitate antiquius: quod ea quæ sunt omnia, atque statum ipsum determinat: quod & omnium, & totorum omnium, & simul, & ante omnia, & super omnia, & singillatim causa est, atque unum ipsum superat, idemque determinat: quandoquidem unum id, quod inest in iis quæ sunt, numeri rationem habet: numerus autem essentiæ est particeps. Unum verò quod essentia superius est, quodque unum est, numerum etiam omnem definit: idemq; est & unius, & numeri, & omnis naturæ principium, causa, numerus, & ordo.))

S. Dionysius. De Divin. Nomin. cap. 13.

Tandem ut cognitio hujus Theologiæ supernaturalizetur, prædictas Causas & Rationes Divinas, quatenus Divinâ fidei revelatione affectas, ubi possibile, in hoc Opere proponimus.

PARS PRIMA THEOLOGIÆ SPIRITUALIS.

DE CAUSA EFFICIENTE MEDIORUM IN STATU VITÆ CHRISTIANÆ SUPERNATURALIS SEU SPIRITUALIS: AD FINEM SUPERNATURALEM.

ET DE EJUSDEM CAUSÆ OPPOSITO.

CAusa Prima & Universalissima effectiva omnium, adeoque & Causarum secundarum ac particularium, productivarum Mediorum seu Actuum vitæ Supernaturalis, est DEUS Trinus & Unus: quippe opera Sanctissimæ Trinitatis ad extra sunt indivisa. Apostolus tamen principium rerum attribuit primæ Personæ Trinitatis, DEO Patri dicens: *Nobis unus DEUS Pater, ex quo omnia.* Et S. *Augustinus* docet *lib. 1. de Trinit. cap. 6.* & ex eo passim Doctores: Præpositio *Ex* appropriatur Patri, eumque insinuat tanquam primum omnium principium, à quo omnia promanant, & à quo omnis potestas, actio, & effectio profluit.)) Potestas inquam seu potentia ac vis producendi quidquid est producibile: unde DEO Patri adscribitur potentia, quòd ipse sit omnia potens, & communicans creaturis potentiam effectionis. Hoc namque denotat Causæ Primæ & perfectionem potentis alia facere potentia, cùm ipsa sit omnium potens, & bonitatem diffusivam similitudinis suæ effectricis potentiæ ad creaturas. Quid autem sit hæc creata effectrix potentia seu Causa efficiens; ita definitur: *Est id, à quo effectus profluit seu pendet per actionem*, vel Intentionalem; & sic causa effectiva erit causa Finalis: vel procedit per actionem Moralem; & ita causa efficiens erit causa Moralis: vel provenit per actionem Physicam; & sic causa efficiens erit propriè talis dicta: vel fit per actionem Formalem; & causa ejusmo-

1. Cor. c. 8.

Ita Corn. à Lap. in Epist. ad Rom. cap. 11. vers. 36.

Ita Suarez Metaph. disp. 27. sect. 1. n. 6.

ejusmodi effectiva erit causa Formalis. Quia verò ordo causarum initium sumit à finali, cùm absque ejus motivo nulla causa prodeat in actum; omne enim agens agit propter finem, quo inclinatur & determinatur ad certos actus: Deinde quia moralis mediante physicâ & formali influit in effectum, adeoque illa præsupponitur istis: Hinc & nos juxta eundem ordinem causarum connaturalem in sequentibus procedemus: nisi quod formaliter efficientem in Medium, intentionaliter verò efficientem seu finalem causam in Finem hujus Operis coaptamus, ad ordinatè stabiliendam imaginationem; quæ principia ab initio, media in medio, finalia in termino seu ultimo loco intellectui repræsentat. Et quanquam Finis sit primus in intentione, ultimus tamen est in executione; poteritque cui libuerit eundem Finem suo loco requirere. De causa igitur tantùm Morali & Physica principali & instrumentali effectiva actuum Supernaturalium Vitæ Christianæ, tum suis Oppositis hac parte primâ agemus, sub benedictione PATRIS æterni, *ex quo omnis paternitas* (seu causalitas effectiva) *in cælis & in terra nominatur.* *par. 3. infra* *Ephes. 3.*

CAPUT I.

De Causa Moraliter efficiente Mediorũ seu Actuum Vitæ Christianæ Supernaturalis seu Spiritualis, ad Finem Supernaturalem.

CAusa Moralis effectiva est, *quæ verè ac per se non influit in effectum, ita tamen se gerit, ut ei imputetur effectus*, vel ob agendi præstitam vim, auxilium, consilium, consensum; exemplum, vel ob preces, merita, minas, promissiones, mandatum &c. Ejusmodi causæ Morales effectivæ cum homine actuum vitæ Christianæ sunt DEUS, & in communione Sanctorum Christus, Deipara, Sancti Comprehensores, & Viatores. *Vide Suarez Metaph. disp. 17. sect. 2. n. 6.*

SECTIO I.

De causalitate DEI in Actus Vitæ Christianæ Supernaturalis.

COncurrere DEUM per causalitatem moralis vel qualiscunque alterius efficientiæ ad Actus Vitæ Christianæ Supernaturales certum est. Ita enim Isaiæ universaliter dicitur: *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine.* Ratio est, quia in subordinatione plurium agentium, agens secundum agit in virtute primi, seu per participatam virtutem à primo agente: per participatam autem virtutem agere secundum agens nequit, nisi in sua actione ab actuali influxu vrtutis primi agentis dependeat. Igitur cùm creata agentia subordinentur increato Agenti, & per participatam ab ipso virtutem agant, necesse est ut cum influxu seu concursu simultaneo DEI agant.

Isai cap. 26.

Concurrit autem DEUS dupliciter ad Actus Supernaturales; per se, & per alios. Per se concurrit item duplici modo; nimirum mediatè, & immediatè. *Primò* concurrit DEUS mediatè quatenus creaturæ proximè agenti dat, & conservat ejus virtutem agendi. Et ideo potiùs est dicendus DEUS agere per creaturam, quàm cum illa. Et ita cum homine concurrit DEUS mediatè ad exercendos Actus Virtutis Supernaturales, quatenus dat & conservat in homine proxima principia earundem actionum, nempe intellectum & voluntatem, habitus infusos Virtutum. *Secundo modo* concurrit DEUS immediatè; quatenus per seipsum suâ virtute & potentiâ simultaneè cum creatura veluti incidenter influit in ejus causalitatem seu actionem (quæ est tendentia ad effectum) & in ipsum effectum, qui est terminus tendentiæ seu actionis agentis. Ratio est: quia non solùm effectus, sed etiam actio causæ secundæ habet rationem entitatis participatæ, hinc necessariò ejus essentia ab imparticipato Ente dependet.

Verùm hic concursus DEI generalis aliter se habet cum causis necessariis, aliter cum liberis. Nam causæ necessariæ sicut à natura sua sunt determinatæ ad unum, ita etiam DEUS suâ virtute influit cum ipsis simul ad idem unum. Vti v.g. cum igne concurrit ad calorem, non verò ad frigus. Jam vero quia causæ liberæ

liberæ ſunt ex ſe indifferentes ad plures effectus ſeu actus: DEUS quoque accommodat eis ſuum concurſum indifferentem ad agere, vel non agere, vel oppoſitum agere. Et ita in actibus vitæ ſpiritualis, & ejus oppoſitis; v. g. eſt eliciendus actus dilectionis proximi, offert DEUS ad hunc actum concurſum ſpecialem gratiæ indifferentis, tum præſto eſt cum concurſu generali pariter indifferenti. Hinc ſi voluntas per gratiæ allectionem determinaverit ſe ad actum dilectionis eliciendum, ſimul DEUS eodem inſtanti concurrit cum voluntate tum concurſu generali, tum ſpeciali gratiæ cooperantis ad effectionem illius determinationis ad amorem. Sin verò voluntas determinaverit ſe ad non eliciendum amorem, ſimiliter DEUS concurrit generali concurſu ad eandem determinationem non eliciendi amoris. Vel denique ſi ſe determinaverit voluntas ad odium proximi, pariter eodem generali concurſu cum peccatore DEUS influit in eandem peſſimam determinationem, non tanquam volens & intendens illam determinationem (quod ſufficit ad hoc ne ſit DEUS author peccati) ſed tanquam cauſa univerſalis quæ ad exigentiam cauſarum ſecundarum, etſi non concurrendo illarum actus poteſt impedire, concurrendo tamen non tenetur impedire.

Modus autem quo concurrit DEUS per alios ad actus ſalutares pro humano concipiendi modulo videtur eſſe talis. DEUS Pater in Verbo ſeu æterna ſua Sapientia Humanitati Chriſti, Deiparæ, Angelis, ac Beatis pro ratione meritorum, & officii eorundem, plùs vel minùs tanquam in ſpeculo voluntario repræſentat; nimirùm quibus velit in triumphante ac militante Eccleſia, & quales gratias, dona, & beneficia, ac quibus mediis conferre. Inter quæ media oſtendit eis promotionem & patrocinium eorundem, ſi videlicet ſuis precibus aliiſque modis intervenerint apud DEUM pro iiſdem beneficiis obtinendis. Similiter hæc eadem in militante Eccleſia per lumen aliquod ſupernaturale revelat.

Tum Spiritus Sanctus movet corda Electorum ad idem medium adhibendum, & quidem in viatorum cordibus, cùm *quid oremus ſicut oportet neſcimus, ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* *Epiſt. Rom. cap. 8.*

 Itaque

Itaque Christus quà homo suæ Matris dilectissimæ, tum Cœlitum coram DEO promovet gloriam accidentalem in cœlo & in terra, siquidem *Caput Christi DEUS; A quo omne datum optimum, & omne donum perfectum.* Viatorum verò gerit curam salutis eorum, cùm *appareat nunc vultui DEI pro nobis.* Similiter Deipara Patronam agit pro accidentali gloria triumphantium in cœlo, pro salute verò æterna militantium in Christi Ecclesia. Hoc quippe decet officium Matris omnium viventium, Reginæ Cœli, Mediatricis DEI & hominum. Deinde sicut Viatores agunt pro cultu & gloria Comprehensorum, ita isti sunt soliciti pro salute illorum: quemadmodum & Viatores pro se invicem orant & laborant, ut salventur: quæ utique est Communio Sanctorum.

1. Cor. 11. Jacob. c. 1. Hebr. c. 9.

DEUS igitur positâ promotione & patrocinio præfato: si juxta Psalmistam *voluntatem timentium se faciet*, multò magis diligentium se; & ut omittam alia, nunc potissimùm de actibus supernaturalibus Viatorum agam. Ad hos igitur actus necessarias gratias supernaturales quoad substantiam scilicet eas, quæ secundùm entitatẽ suam sunt indebitæ ulli naturæ creatæ & creabili, solus DEUS producit & infundit menti humanæ, quales v. g. sunt actuales gratiæ illustrationum & inspirationum. Apposite Doctor Mellifluus: *Quodsi dicas*, inquit, *posse inesse & Angelum, non inficior. Memini scriptum: & Angelus qui loquebatur in me. Atqui differentia & in hoc. Inest Angelus suggerens bona, non ingerens: inest hortans ad bonum, non bonum creans. DEUS sic inest, ut afficiat, ut infundat, vel potiùs ut infundatur, & participetur. Angelus cum anima, DEUS in anima. Ille contubernalis animæ inest, DEUS ut vita.*

Psal 144.

D. Bern. lib. 5. de Consider. cap. 5. Zach. 1.

Modus autem quo ejusmodi gratiæ actuales in intellectu & voluntate à DEO producuntur est multiplex: Vel enim DEUS tantùm infundit Lumen supernaturale nullis speciebus aliter coordinatis, aut de novo infusis; Vel cum Lumine infuso simul aliter distingvit & componit species imaginativæ, aut ejusmodi species novas immittit; Vel deniqve novas species intelligibiles producit, quas illustrans Lumine supernaturali, homo cum ipsis elicit cogitationem supernaturalem.)) Quæ cogitatio una est ex operationibus intellectus; nimirum aut Apprehensio, aut judicium, sive discursus. Eaque Cogitatio vel est indeliberata & sic

Vide Tho. à Jesu de Contempl. Divin. lib. 6. cap. 2.

ſic gratia illuſtrationis erit gratia præveniens, antecedens, excitans, operans, &c. Vel deliberata, & ita gratia illuſtrans erit comitans, cooperans, &c. Quod verò concernit Voluntatem, DEUS itidem in ipſa & cum ipſa varia operatur; nempe per gratiam illuſtrationis, ſeu per piam cogitationem intellectus repræſentativam alicujus objecti eam movendo, modò æqualiter ad menſuram cognitionis, modò intenſiùs ſupra menſuram cognitionis voluntatem afficiendo. Qui motus affectusque nempe ut à gratia & voluntate producti, dicuntur Inſpiratio cordis, &c. Hæc gratia inſpirationis, ſi eſt indeliberata, vocatur itidē gratia præveniens, excitans; Si deliberata, dicitur gratia comitans, cooperans, ad eum modum, ſicut & gratia illuſtrationis dicit concretum cogitationis piæ productæ à gratia & intellectu humano. Sed de his infra. *Cap. 3.*
Porrò Illuſtratio & Locutio DEI ad cor hominis coincidunt in idem. Accommodè *Card: Bona* diſcurrens de locutione Dei: Tertius *inquit* modus ſublimior eſt, cùm vox DEI loquentis in ſilentio ad cor Hieruſalem non aure, non imaginatione, ſed ſolo intellectu ſpiritualiter percipitur. Loquitur enim DEUS in apice mentis, uno ſimplicisſimo verbo, & anima audit ſimplicisſimo mentis intuitu. Sic Angelis & Beatis loquitur non aliquo ſenſibili, ſed imprimendo ipſorum intellectui veritatem, quam illis manifeſtare decrevit: ita in parte ſuperiori animæ verba ſua profert, clarisſimâ quâdam luce infuſâ, in qua ſine labore & faſtidio, imo cum admirabili quiete & ſvavitate, multò plura brevisſimo tempore docetur anima, quàm posſit proprio ſtudio multis annis ediſcere. *Card. Bona. Diſcre. Spirit. cap. 8.*
Appoſitè ait *Gregorius Magnus*: Spiritum DEI quaſi quædam nobis verba dicere & occultâ vi quæ agenda ſunt intimare, & cor hominis ignarum, non adhibito ſtrepitu & tarditate ſermonis, peritum repente de abſconditis reddere.)) Sed hæc gratia paucorum eſt, nec facilè explicari poteſt, quomodo hæc fiant. Sic fortasſis locutus eſt Paulò, cùm audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui. *Lib. 28. mor. c. 2. ad lit. lib. 11. cap. 33.*
Et *Auguſtinus* explicans illa verba Geneſeos. Cum audiviſſent vocem Domini DEI deambulantis in Paradiſo; Fortasſis *ait* DEUS cum illis loquebatur, ſicut cum Angelis loquitur, ipſa incommutabili veritate illuſtrans mentem eorum.)) *Gen. 3. 8. De gen. ad lit. lib. 11. c. 33.*

Itaq;

Gratias verò supernaturales quoad modum, quæ scilicet non sunt supra vires naturæ exigentiales activas & passivas, sunt tamen indebitæ pro hac vel illa circumstantia, v.g. ut hìc & nunc detur homini cogitatio aliqua congrua quam quidem aliquis concursus rerum v. g. Agonizatio moribundi causare naturaliter posset, ad præsens tamen nulla ejusmodi occasio movens exhibetur, sed per ministerium Angelicum homini circa alia minùs utiliter occupato species phantasiæ excitantur, ut repræsentent intellectui aliquod objectum salubre, ut sic ulteriùs eliciantur piæ Cogitationes: Ejusmodi inquam Gratias supernaturales quoad modum: Primò certum est eas fieri ministerio Angelorum, qui cum sint ex infima Angelorum Hierarchia, tum istas gratias, tum alia beneficia purgationis, illuminationis, perfectionisque humanæ, quam etiam propriæ, participant à Superioribus Ordinibus & Hierarchiis Angelorum. Horum verò supremi immediatè à DEO perficiuntur ut *B. Dionysius* in cœlesti Hierarchia variis locis insinuat: Sicut etiam quod inferiores Seraphim à superioribus Seraphim illustrentur. Porrò supremi Seraphinorum sunt illi septem Spiritus Angelici, stantes in conspectu DEI, de quibus in *Apocalypsi* legitur: probatque fusè *Cornelius à Lapide* hosce septem Spiritus esse septem primarios Angelos, qui assistunt DEO quasi stipatores ac primores Regni ipsius, parati ad omne imperium DEI, vel per se, vel per alios inferiores Angelos exequendum, præsertim in cura & administratione hominum. Hi septem Principes totius Curiæ Cœlestis ejusmodi habent nomina; *Michael* seu Quis ut DEUS, hic est primus omnium Spirituum ut B. Laurentius Justinianus ait *Sanctis Spiritibus prælatus est Michael, sicut Lucifer malis.* *Gabriel*, id est Fortitudo DEI. *Raphael* id est Medicina DEI. *Uriel*, seu Lex vel ignis DEI *Sealthiel*, id est Oratio DEI. *Jethudiel*, id est Confessio vel Laus DEI. *Barachiel*, id est Benedictio DEI. Porrò tam inferiores Angelorum, quam Superiores, etiam dictos septem Principes Seraphinorum, suam & alienam perfectionem, gratias, dona à DEO accipere per dispensationem & manus Matris Virginis, ac Sponsi ejus Sancti Josephi, infra videbimus: quandoquidem iidem altissimi Regni cœlestis primates suos demittunt vultus coram Regina Universi, prout fassus est hoc ipsum Angelus Gabriel

V. S. Dio. c. 4. de cœlesti Hierarch. & alibi.

Cap. 1. & c. 5. Ita comment. in Apoc. S. Joan. c. 1.

Ibid. Vide Cornel. in Apocal. Justin. Serm. de S. Mich.

Sect. 2. Sub. 2.

briel ad B. Amadæum: *Septem Angeli sumus, qui Genitricem DEI nostri veneramur, alios omnes generis nostri præcedimus.* Cron.S.Franc: lib.6.cap.3.

Restat videre, quomodo sancti Angeli homines informant ad Actus salutares: nimirum id præstant duobus potissimùm actibus Locutionis, & Illuminationis, ut asserunt Theologi. Locutio Angelorum cum hominibus contingit multipliciter, vel per voces sensibiles, quas in corporibus assumptis pronunciant, vel citra corporum assumptionem, per easdem voces sensibiles in aëre efformatas, vel per somnia, vel excitando phantasmata & componendo, vel stimulando, concutiendo, &c.

Illuminationem verò hominum ab Angelis procedentem diversimodè explicant Scholastici. Alii dicunt quòd sicut ex oppositione duorum speculorum, similitudines rerum, quæ sunt in uno resultant in altero: ita & ex applicatione Angeli ad mentem humanam in ea repræsentantur species rerum, quæ sunt in Angelo. Alii docent Angelos illuminare, non per infusionem alicujus luminis, (prout quidam asserunt) aut ipsum lumen, per modum objecti, vel speculi, opponendo: Sed per modum lingvæ sermonem proferentis, adinstar Magistri, qui dicitur illuminare docendo. Denique alii sentiunt Angeli illuminationem fieri, nimirum sicut Magister rem unico conceptu intellectam, in plures dividit propositiones, illustrat similitudinibus ad captum discipulorum; ita & Angelus speciem expressam seu cognitionem universalem distingvit in plures vel pauciores conceptus pro capacitate intelligentis, tum mentem confortat, & adjuvat ad revelatorum intelligentiam. Atque ex his patet modus, quo DEUS per alios ad actus vitæ Christianæ supernaturales concurrit.

Deinde DEUS concurrit causalitate Morali ad præfatos actus, eos mandando, consulendo, exemplo proprio demonstrando, aliisque modis inducendo; (uti in processu hujus Operis patet.) Tum quodam alio modo, nempe *Tentando*. Quæ tentatio DEI juxta *D. Augustinum* explicantem mox citata loca Scripturæ, non est *seductionis* seu inductiva ad malum, sed *probationis*. De tentatione seductionis S. Jacobus ait. *Nemo cum tentatur, dicat, quoniam à DEO tentatur, DEUS enim intentator malorum est, ipse enim neminem tentat.* De Tentatione probationis *Deuter:* dicitur. *Tentat vos Dominus DEUS vester, ut palam fiat, utrum diligatis eum, an non.* Hæc enim

Lib.2. de Consf. Evangel. c.30. Jacobi c.1. Deut. c. 13.

 tentatio

tentatio DEO convenit tanquam Patri in Filios, Magiſtro in Diſcipulos, Domino in Servos; tum ut experiatur illorum affectum, ingenium, fidelitatem, tum ut incitet promoveatque ad omne bonum. Tentatur autem homo à DEO vel interiùs vel exteriùs. Interiùs infundendo conſolationes cœleſtes, an futurus ſit, & ut ſit, homo DEO gratior, ad profectum ſpiritualem ferventior, humilior. Sive etiam deſolationem animi immittendo, experiendo illius patientiam, & in exercitiis Virtutum conſtantiam. Exteriùs DEUS tentat, conferendo homini bona temporalia, an ſit illis uſurus in bonum, vel in malum; ſive eadem bona ſubtrahendo, calamitates varias, morboſque corporis permittendo; ut probet ejus patientiam, & in Divinam voluntatem reſignationem; ſicut fecit cum ſanctis Job & Tobia, quos invenit fideles ſibi in proſperis, & adverſis. Vel ardua & heroica opera præcipiendo, ut tentavit DEUS Abraham in immolando filio ſuo Iſaac, probando ejus timorem in DEUM & obedientiam. Porrò DEUS tentat ſeu probat homines, non ideo quaſi neſciret quid futurum ſit, ſcit enim omnia, ſed ut palam faciat ſuam Virtutem in ipſis, & nobis innoteſcant illorum ſtupenda opera ad exemplum reprobis, qui ſimiles occaſiones à DEO accipientes in bonum finem applicandas v. g. Divitias, Honores, &c. vel etiam Adverſitates; illis tamen aut non utuntur in bonum ſuæ ſalutis, proximi, gloriæ DEI, aut abutuntur in offenſam DEI, perniciem æternam propriam & alienam.

Cernere demum in his omnibus eſt, qualiter Diviniſſima TRINITAS per humanam Trinitatem JESUM, MARIAM, & JOSEPH, (ita à *Cancellario Pariſienſi* appellatam) Trinam Cœleſtem Hierarchiam; & per illam, Trinam Eccleſiaſticam Hierarchiam; Trinis gradibus ſacrorum officiorum; tum Trinis generibus bonorum ſupernaturalium, nempe gratiæ gratum facientis, donorum Spiritus Sancti, & gratiæ gratis datæ; nec non Trinis gradibus perfectionis Chriſtianæ, incipientium, proficientium, & perfectorum, ac Trinâ ratione gloriæ eſſentialis, accidentalis communis, & accidentalis ſpecialis; illiusq; Trinis aureolis Martyrum, Doctorum, & Virginum; purgat, illuminat, & perficit; Trinum animi gradum in ratione, ſpiritu, mente. Eademque Diviniſſima TRINITAS ſeſe Trina unione phyſicâ ſeu hypoſtaticâ in

De Nativ. V. ſerm. & cum illo Carthag. lib. 4. h. 8.

câ in Christo, morali per gratiam in justis, intentionali per beatificam visionem in Beatis, omnibus Suis intimè communicat: & ubique ex infinita Bonitate sui in Suis repræsentans similitudinem Trinitatis, eos sibi assimilat Ter opt. max. DEUS.

SECTIO II.

De Causalitate per Communionem Sanctorum in actus vitæ Christianæ, Supernaturales.

COmmunio Sanctorum seu Corporis Mystici Ecclesiæ describitur à comparatione Communionis, quæ fit mutuò inter membra corporis physici. Etenim ut *Svarez* docet: Sicut in corpore humano unumquodque membrum non in suam tantùm, sed etiam aliorum utilitatem operatur; ita & in Mystico Ecclesiæ Corpore, membra quæ viva sunt, & utiliter operari possunt, non solùm sibi mereri, sed etiam aliis præstare possunt auxilium.)) Quia verò communio unius membri ad alterum præstari non potest, nisi per spiritum vitalem sibi mutuò in ratione vitæ membra unientem: hinc quoque ad Communionem Sanctorum requiritur unio per Spiritum Sanctum vivificantem; de quo aptè *S. Bonaventura* referens articulum fidei in Symbolo Apostolorum, nempe Communionem Sanctorum: *Iste* inquit *articulus pertinet in præsenti ad Spiritum Sanctum: quia Spiritus Sanctus pertinet ad Sanctorum Communionem, id est, unionem membrorum in Corpore Ecclesiæ ad Caput; scilicet ad Christum, & alia membra in Corpore morali, id est fidelium ad invicem. Sicut Spiritus bonus unit membra in corpore naturali: Sic Spiritus Sanctus unit membra Spiritualia scilicet fideles in Corpore mystico, quod est Ecclesia.*

De Suffrag. disp. 48. sect. 1.

In dieta Salutis tit. 5. c. 3. de Fide.

Corpus itaque mysticum, in quo fit dicta Communio, est Ecclesia DEI triumphans, & militans. Hujus Corporis seu Ecclesiæ Caput est Christus, ut Apostolus ait: *Ipse est Caput Corporis Ecclesiæ, qui est principium primogenitus ex mortuis: ut sit in omnibus ipse primatum tenens.* Et: *Qui est Caput omnis Principatus & Potestatis.* Reliqua membra hujus mystici Corporis, sunt Sancti comprehensores, & viatores: de quibus Apostolus: *Vos* inquit, *estis Corpus Christi, & membra de membro.*

Epist. Collos. cap. 1.

Ibidem cap. 2.

1. Cor. cap. 10.

Porrò hæc Communio contingit dupliciter. *Primò Generaliter*, dum v. g. ex parte Christi fit interpellatio ad Patrem universaliter pro omnibus electis, iisque universaliter Christi merita applicantur. Item, dum à Cœlitibus fit oratio generaliter pro Ecclesia militante. Item, dum ex intentione Christi & Ecclesiæ applicatur fructus generalis omnibus fidelibus ex Missæ Sacrificiis, Divinisque Officiis. Item, dum ab aliquo fidelium offeruntur preces, aliaque pia opera in salutem cunctorum. Ex parte verò Ecclesiæ militantis fit generalis Communio ad triumphantem, quando Christi Domini, Deiparæ, & Cœlicolarum in generali cultus, honor, gloria, variis modis promovetur. *Secundò* Communio hæc accidit *Particulariter*, ex quo v. g. Christus, Deipara, Cœlitum unus, vel plures procurant salutem alicujus personæ in particulari, tum quando Missa &c. specialiter pro aliquo offertur, vel unus pro altero determinatè orat, sive quidpiam boni exercet. Et vice versâ dum aliquis privato nomine, Christi, Deiparæ, Cœlitumque honori, & gloriæ tuendæ augendæque studet.

Posse verò unum alteri mereri dispositiones actuum supernaturalium ad gratiam non quidem merito de condigno sicut Christus, sed de congruo, certum est. Et ita unus alteri potest mereri dispositionem ad primam gratiam, ut docet *D. Thomas.* Quia sicut homo in gratia DEI constitutus implet DEI voluntatem, ita congruum est ut secundùm amicitiæ proportionem DEUS impleat hominis voluntatem in salvatione alterius: nisi hunc quandoq; contingat habere aliquod impedimentum ex parte sua, atque ita non assequi salutem, in quo sensu dicitur Jeremiæ 15. *Si steterit Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Deinde potest unus alteri orando impetrare apud DEUM dispositiones actuum supernaturalium tum ad primam, tum ad secundam gratiam. Prout elicitur ex verbis Apostoli monentis: *Orate pro invicem ut salvemini.* (a) Imò potest unus alteri impetrare finalem perseverantiam. Et Trigosius probat authoritate S. Augustini lib. 2. de bono perseverantiæ cap. 22: *Si qui*, inquit, *nondum sunt vocati, pro eis oremus ut vocentur: quia fortasse sic sunt prædestinati ut nostris orationibus concedatur, ut eandem gratiam accipiant, quâ Electi velint esse, & sint.*

1. 2. quæst. 114. art. 6.

Jacob. Epist. Can. cap. 5.

(a) *V. D. Tho. 1. 2. quæst. 114. a. 9. ad 1.*

Trigos. Comment. in sum. Th. S. Bon. p. 1. q. 18. a. 10. d. 3.

Patet

Patet igitur ex dictis quæ sit causalitas & quomodo influat per Communionem Sanctorum in Actus salutares hominis viatoris.

SUBSECTIO I.

De Causalitate Christi in actus vitæ Christianæ Supernaturales.

CHristus quà DEI Filius, idem cum Patre & Spiritu Sancto eandem causalitatem in actus Christianæ vitæ supernaturales exercet, de qua præcedenti capite. Trinitas enim ad extra indivisim operatur. Quà verò est Homo, ad eosdem actus supernaturales concurrit *primò*, vi meritorum suorum. Tum quia omnia principia actuum supernaturalium nobis meruit: Tum quia iisdem meritis movet DEUM ad tribuendum nobis dicta principia actuum vitæ Christianæ. Et ita Joannes dicit: *De plenitudine ejus nos omnes accepimus.* Ad Ephes. verò Apostolus: *Unicuiq; nostrum data est gratia secundùm mensuram donationis Christi.* Ratio est, quia Christus cùm sit Caput mysticum Ecclesiæ, influit moraliter in membra sua vitam gratiæ, quà vegetentur, & ad functiones Spirituales aptificentur, sicut caput naturale influit physicè in membra corporis vitales spiritus ad actus vitæ exercendos. *Secundò.* Concurrit vi interpellationis suæ, impetrando nobis apud Patrem Virtutem & Modum supernaturaliter operandi, sicut Apostolus insinuat dicens: CHRISTUS *JESUS qui mortuus est, imo qui & resurrexit, qui est ad dexteram DEI, qui etiam interpellat pro nobis. Tertiò.* Trahit nos suo exemplo ad bonum: unde dicit: *Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Quartò.* Movet ad meliora suâ Evangelicâ doctrinâ, tot signis & prodigiis confirmatâ. Nempe, *potens in opere & sermone coram DEO, & omni populo. Quintò.* Christus Dominus mandans, consulens, minans, promittens, aliisque modis jam per se jam per suos Electos est causa Moralis cujusque hominis actuum vitæ Christianæ supernaturalium, ut latiùs declaratur hoc in Opere. *Sextò.* Titulo Mediatoris, Advocati, aliisque innumeris nominibus Christus Dominus apud æternum Patrem, rem nostram gerit, promovet, ac necessaria vi-

Joan. c. 1.
Eph. c. 4.
Rom. c. 8.
Joan. c. 13.
Luc. c. 24.

tæ ſupernaturalis obtinet. Non enim nomen ſine rē vacuum portat. Denique ut aſſerunt Theologi: Quidquid in Reparatæ naturæ ſtatu conducit ad gratiam & gloriam æternam, id totum dari in Nomine Chriſti, & ex meritis ejus; ſi conducit directè & per ſe, datur ex meritis directè; ſin verò indirectè, & per accidens, datur quoque ex meritis Chriſti indirectè & per accidens. Et ita v. g. Si directè meruit Chriſtus, ut baptizaretur hic infans, ſequitur quod etiam indirectè meruerit ut inveniretur hic & nunc aqua ad eundem baptizandum; & ſic de aliis. Similiter bona Naturalia etſi remotè & indirectè conducant ad ſalutem, tamen eadem indirectè quoque meruit Chriſtus: Quia ſi ejusmodi bona conducerent in ſtatu puræ naturæ ad actus naturales virtutum, etiam in ſtatu elevationis conducere poſſunt ad virtutem ſupernaturalem. Unde ſic divitiæ ſunt occaſio ad eleemoſynam faciendam; fama bona ad converſionem infidelium; probi parentes, magiſtri, ingenium indolesque bona, congrna cogitatio ſunt magis promotiva ad ſalutem; quàm qui iniquam haberet educationem, craſſum ingenium, feramque indolem, &c. Dari autem bona naturalia ex meritis & Nomine Chriſti, probat tum Eccleſiæ conſvetudo eadem bona petentis in Nomine Chriſti; tum major gloria Chriſti, quòd ejus intuitu etiam ejusmodi bona tribuantur.

Ex dictis manet probatum intentum in titulo hujus ſubſectionis poſitum.

Cæterùm quàm admirandâ ſolicitudine curam gerat ſalutis noſtræ Dominus N. JESUS CHRISTUS etiam nunc exiſtens in Cœlis; & quomodo omnia per illum in nos derivantur bona, pulcherrimis revelationibus eſt expreſſum *in Libro inſinuationum Divinæ pietatis à S. Gertrude* conſcripto. Quem tum propter dicta, tum propter alios indicibiles fructus ſpirituales congregandos, tanquam immenſum theſaurum tibi comparare feſtina.

SUBSECTIO II.

De Cauſalitate Deiparæ, & S. Joſephi, in actus vitæ Chriſtianæ Supernaturales.

POſt Chriſtum quoad Communionem Sanctorum primas partes tenet ejus ſanctiſſima Mater, Regina Cœli & terræ,

tanquam

tanquam Collum ſub Capite Chriſto ejus Corporis Myſtici. Ita illam asſimilat Divus Hieronymus, poſtquam ex Apoſtoli ad Epheſios 5. Chriſtum comparaverit Capiti Eccleſiæ dicens: *In Chriſto fuit plenitudo ſicut in Capite influente, in Maria verò ſicut in Collo transfundente. Unde de Virgine ad Chriſtum Salomon ait. Collum tuum ſicut turris eburnea: Nam ſicut per collum vitales ſpiritus à capite deſcendunt in corpus, ſic per Virginem à Capite Chriſto vitales gratiæ in ejus Corpus Myſticum transfunduntur.* *Serm. de Asſumpt.*

Modus autem quo id fiat ſupra attactus, ulteriùs declaratur. Nimirum gratiæ ſalutares cauſantur nobisque conferuntur *primò,* per merita Beatisſimæ, dum ſcilicet Filio præſentat ſua Ubera, Filius Patri ſua Vulnera, & ita inclinatur Pater Miſericordiarum ad ſubveniendum miſeris, quorum Mater cum Filio miſeretur. *Secundò.* Per Orationes Virginis Matris gratiæ & conferuntur & conſervantur. Unde Richardus ait: *Maria non ſolùm gratiam impetrat, ſed etiam impetratam conſervat, & hoc eſt neceſſe, quia cito bonum perditur, quod à largiente non cuſtoditur. Propter quod convenit ei illud Eccleſ. 17. Gratiam hominis quaſi pupillam conſervabit. Tertiò.* Per manus Mariæ oblatæ noſtræ preces & pia opera gratiora ſunt DEO, & nobis utiliora. Sic faciebat *Henricus Suſo* ut ipſe fatetur. Cum ſurgo manè, ad te primam reſpicit anima mea, & cum ſerò dormitum abeo, te poſtremam contemplatur, certa videlicet, quidquid purisſimis manibus tuis oblatum fuerit, & commendatum, etiamſi in ſe ipſo vile, & exiguum ſit, gratum & acceptum reddi apud DEUM, idq; ob tuam DEO id exhibentis dignitatem; Neque enim rejici ullo modo poteſt aut reſpui, quidquid ipſa utpote purisſima, charisſimo Filio præſentaverit.)) *Quartò.* Per Exemplum Virginis Matris clarisſimè illuſtratur Eccleſia. Pulchrè D. Bonaventura dum inquit: *Maria eſt illuminatrix plurimorum per exempla lucidisſimæ vitæ ſuæ, ipſa eſt cujus vita glorioſa lucem dedit ſeculo; ipſa cujus vita inclyta illuſtrat Eccleſias: ipſa enim lucerna eſt Eccleſiæ ad hoc illuminata à DEO, ut per ipſam contra tenebras mundi illuminaretur Eccleſia. Quintò.* Per doctrinam cœleſtem Deiparæ Apoſtoli, & per illos Orbis terræ in ſupernaturalibus eruditur, ita Euſeb. Emiſ. *Omnia,* inquit, *verba hæc in corde ſuo ideo conferebat nobisq; conſervabat, & memoriæ mandabat, ut ipsâ poſtea docente, ipsâ narrante & nunciante ſcriberentur, & in universo*

Sect. 1. & 2. & ſubject. 1.

Lib. 2. part. 1.

Speculo B. V. cap. 3.

Serm. 2.

verso mundo prædicarentur, cunctisq; nationibus nunciarentur. Ab ipsâ hæc Apostoli audierunt, & ipsâ dictante scripserunt, nobisq; legenda mandaverunt. Similia habent plures alii. *Sextò.* Titulo Mediatricis, Advocatæ, aliisque mille respectibus quantùm prodest universo Orbi!

Additur Virgini Beatissimæ Sponsus ejus S. Joseph, tanquam manus sinistra in adjutorium dexteræ, ad disperti endas cœlestes gratias in Corpus quà triumphantis, quà militantis Ecclesiæ. Quidni? Si enim elevatus (a) supra omnes Cœlites ad latus JESU donatus sede sinistrâ, ut Virgo Mater dexterâ (id pie asserentibus (b) viris probatissimis) Secretarius non deberet fieri in minori consilio promovendæ Beatitudinis Electorum, qui in terris positus fuit ante omnes solus conscius cum sua Consorte, & (c) *solus Coadjutor fidelissimus* illius magni consilii, & mysterii à seculo absconditi Incarnationis Divinæ? Quid magnum tueri, fovere, beare, gratiis cœlestibus Corpus Christi morale, cùm multò majoris sit muneris esse tutorem nutritiumque Divinissimi physici Corporis Christi? Quid mirum Josephum fieri Universi Patrem, Regem ac Dominum, & titulo & officio gubernationis ac providentiæ actualiter exercendo, qui ab ipso Filio DEI in similem id est providentiæ suum Patrem adscitus, ejusque regimini & dominio subditus mansit triginta annis? prout Mater & Virgo alloquitur inventum in Templo Filium: *Ecce Pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Ac ibidem Evangelista de Christo asserit dicens: *Et erat subditus illis*; id est MARIÆ, & Josepho. Tum ipsa quoque Deipara jure matrimoniali Josephum agnoscebat & venerabatur ut Dominum suum. Ita testatur piissimus Gerson dum inquit: *O miranda prorsus Joseph sublimitas tua! O dignitas incomparabilis! ut Mater DEI, Regina Cæli, Domina Mundi, appellare te Dominum non indignum putaverit.* Un- de merito Antonius de Escobar *probat D. Josephum esse Principem Mundi.* Ac idem Author alibi hæc ait: *Ad Patrem Josephum accurrite, cui totum cessit Coelestium imperium ex Custodia, ex Conjugio, & Paternitate.* Coronet dicta clarissimo testimonio mellifluus Doctor sic asserens: *Ille Joseph* (scilicet Patriarcha in Ægypto) *frumentum servavit non sibi sed omni populo: iste Joseph panem vivum è cælo servandum accepit tam sibi quam toti Mundo.* Si servandum accepit, ergo & dispensandum, sicut ille Joseph in Ægypto figura nostri sancti Joseph

(a) *Vide in Hist. vit. S. Josephi Carol. Stengel. plures citantē propia senten: asserendi gloriam S. Josephi sup: omnes SS.*

(b) *Carthag. lib. 4. homil. 8. de S. Joseph.*

(c) *D. Bern. serm. 2. super missus..*

Luc. cap. 2.

Serm. de Nativit. Virg.

Volum. ligni vital. de S. Joseph. Paneg. 1. Observat. 5. Et Paneg. 3. Observ. 5.

S. Bernard. Homil. 2. super missus.

ſeph & ſervavit & diſpenſavit frumenta toti Ægypto. Jam verò diſpenſare Panem vivum, quid aliud niſi diſpenſare dona gratiæ & gloriæ ſitæ in fruitione illius Panis vivi, ex quo ſi quis manducaverit vivet in æternum?

Ex his facilè liquet B. Joſephum cum ſua Sacratisſima Sponſa eſſe diſpenſatores theſaurorum cœli, per eosque uti manus Chriſti dexteram & ſiniſtram largiri omnia dona & bona, derivarique in totam triumphantem ac militantem Eccleſiam. Prout manifeſtè Richardus à S. Victore de B. M. dixit: *Nihil à throno DEI divini muneris defluit, quod per Mariæ manus non pertranſeat.* *Ita Cit. Tilkowski in Fidel. Prophet. cap. 2. num. 9.*

SUBSECTIO III.

De Cauſalitate Cœlitum, præcipuè Sanctorum Patronorum, & S. Angeli Tutelaris, in Actus Vitæ Chriſtianæ Supernaturales.

OMnes Cœlites, & ſpecialiter SS. Patroni noſtri ſunt nobis Cauſæ Morales actuum ſupernaturalium; *Primò*, meritis & precibus ſuis, ut Magiſter ſententiarum aſſerit: *Intercedunt pro nobis ad DEUM Sancti & merito, dum illorum merita ſuffragantur nobis, & affectu, dum vota noſtra cupiunt impleri.* Et poſt pauca: *Quia eis volentibus DEUS vult, & ita fiet.* *Lib. 4. Sent. diſt. 45. circa finem.* Et S. Bernardus: *Conſiderare debemus auxilium ſancti, quia qui potens in terra, potentior eſt in cælis ante faciem Domini DEI ſui. Si enim dum hìc viveret miſertus eſt peccatoribus, & oravit pro eis: nunc tantò ampliùs, quantò veriùs agnoſcit miſerias noſtras, orat pro nobis Patrem.* *Serm. in Vigilia Petri & Pauli Apoſt.* *Secundò.* Oſtendunt nobis viam vitæ tum exemplo ſuo: quia *ſemita juſti recta eſt, rectus callis juſti ad ambulandum.* *Iſaiæ cap. 26.* Et S. Ambroſius inquit: *Sanctorum vita cæteris norma vivendi eſt.* *Ex lib. de S. Joſeph.* Tum permovent nos doctrinâ ſuâ ad currendam viam mandatorum DEI: quia dicitur: *Verba Sapientium ſicut ſtimuli, & quaſi clavi in altum defixi, quæ per Magiſtrorum conſilium data ſunt à Paſtore uno. His ampliùs Fili mi ne requiras.* *Eccleſ. cap. 12.*

Jam verò Sanctos Patronos, quos nimirum, ſpecialiori cultu proſequimur ſpecialiùs quoque concurrere ad opus ſalutis noſtræ, indubium eſt. Id enim reciprocus charitatis amor, quo ipſi

erga miseros mortales fervent, ampliùs erga amatores & cultores suos, exigit: tum gratitudo in recompensam benè affecti in suam personam & obsequium animi. Quod millenis nè dicam quotidianis patet exemplis & experientiis, quantùm est ex re salutis æternæ, habitare sub patrocinio speciali cujuspiam Sanctorum.

Porrò S. Angeli præcipuè Tutelares nostri, quantùm ipsi communicent suam operam, concurrantque ad salutem nostram, videndum est. *Primò.* Quia ipsi offerunt vota & preces nostras DEO, non ut ipsum doceant, sed ut ejus voluntatem super his consulant, & nobis gratias deferant. Quippè ut Apostolus loquitur: *Omnes sunt administratorii spiritus: in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.* Et Scriptura dicens: Quoniam *ascendit fumus aromatum in conspectu Domini de manu Angeli*, solicitè præmisit data ei fuisse *incensa multa. Nostros enim sudores* ut D. Bernardus ait, *non suos, nostras non suas lachrymas offerunt DEO: nobis quoq; ejus munera referunt, & non sua.. Secundò.* Quia ipsi intercedunt pro nobis prout videtur referre parabola de illa ficu Evangelica seu homine non ferente fructus virtutum tribus annis scilicet juventute, virili ætate, senectute: quare jubente Domino ut hæc infructuosa arbor succideretur per mortem, cultor illius id est S. Angelus Custos rogat, ut adhuc uno anno nempe in Senio vivere dimittatur, quatenus per ejus diligentiam circa talem hominem is DEO fructificet, aliter succidendus & in ignem mittendus. *Tertiò.* Quia innumerabilia præstant nobis beneficia, vel removendo mala culpæ & pœnæ, vel ministrando media ad bonum. Hinc mellifluus Doctor supra illum versum Psalmi: *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis: Quantam* tibi, inquit, *debet hoc verbum inferre reverentiam pro præsentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro custodia!* Et paulo-post: *In manibus* inquit *portabunt te: In tuis quidem viis custodient te, & deducent parvulum quà potest parvulus ambulare. Cæterùm non te patientur tentari supra quam sustinere potes, sed in manibus tollent te, ut pertranseas offendiculum.* Et infra: *Spirituales sunt manus istæ & auxilia utiq; Spiritualia, quæ singulis Electorum pro cujusq; discriminis modo, & objectæ difficultatis tanquam lapideæ molis quantitate, ab his qui sibi deputati sunt Angelis spiritualiter & multipliciter exhibentur.*

Hebr. 1.
Apocal. cap. 8.
Serm. 1. in Festo S. Michaelis.
Vide Nicol. de Lyra in caput Luc. 13. v. 4.
D. Bernard. in Psalm. Qui habitat Serm. 12. vers. 11.

Igitur

Igitur ex dictis videre est, quâ & quali causalitate concurrunt Cælites ad actus salutares & meritorios vitæ æternæ, ab hominibus in vita præsenti eliciendos.

SUBSECTIO IV.

De Causalitate mutua Viatorum inter se in Actus Supernaturales.

HÆc Causalitas quomodo tum in Generali tum in Particulari exerceatur inter Viatores, & quòd possit unus alteri mereri ac impetrare vel dispositiones actuum supernaturalium ad gratiam, & impetrare in bono Perseverantiam supra dictum est universaliter de Causalitate per Communionem Sanctorum. *Sect. 2.* Quòd verò doctrinâ, consilio, jussione, consensu, auxilio, & potissimùm exemplo: Tum cumprimis administratione Sacramentorum, & usu ac exercitio Sacramentalium possit esse unus alteri causa & occasio ad multiplex genus Virtutis, quotidianâ id probatur experientiâ.

Verùm placet hìc paulo fusiùs agere de emolumento Societatis & familiaritatis bonorum, quanti hæc referat ad Causalitatem actuum virtutis, adeoque comparandam salutem æternam.

Primò. Coronatus Propheta inquit: *Cum Sancto Sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris: & cum electo electus eris.* *Psalm. 17.* Prov: *Qui cum Sapientibus graditur sapiens erit: amicus stultorum similis efficietur.* *Prov. 13.* Siracides: *Cum viro sancto assiduus esto, quemcunque cognoveris observantem timorem DEI.* *Eccl. 37.*

Secundò. *S. Ambrosius* ait: Sequatur conversationis electio, ut adjungamur probatissimis quibusque Senioribus. *S. Ambros. lib. 1. de Offic. cap. 43.* Namque ut æqualium usus dulcior, ita senum tutior est; qui magisterio quodam & ductu vitæ colorat mores adolescentium, & velut murice probitatis inficit. Namque sibi qui sunt ignari locorum, cum solertibus viarum iter adoriri gestiunt: quantò magis adolescentes, cum senibus debent sibi novum iter aggredi, quo minùs errare possint, & à vero tramite Virtutis deflectere? nihil enim pulchriùs quàm eosdem & magistros vitæ & testes habere. *Et rursum:* Adolescentibus quoque utile ut claros & Sapientes vi-

ros sequantur; quoniam qui congreditur Sapientibus, sapiens est: qui autem cohæret imprudentibus, imprudens agnoscitur. Et ad instructionem itaque bonis jungi plurimùm proficit, & ad improbitatis testimonium: ostendunt enim adolescentes se imitatores esse, quibus adhæserint, & ea convalescit opinio, quòd ab his vivendi acceperint similitudinem, cum quibus conversandi

Basil:Capita monitoria. hauserint cupiditatem. *Basilius Imperator* instituens filium suum Leonem inquit: Utere medicis animorum assiduè, ut ipse animo valeas: ab eis enim discere poteris, quas res expetere, & à quibus abstinere debeas: quibuscum hominibus assuescere, & à quorum consvetudine abhorrere, & quomodo vitam totam dispensare oporteat, ne in frequentes morbos incidas. Si hanc institeris viam, ad solidæ germanæque Virtutis veros limites brevi pervenire

S. Basilius in hom. poteris. *S.Basilius*: Svave aromatum odoramenta proprium quiddam per aërem continentem spirant, quibus præsentes recreantur; ita vir bonus toti sibi commorantium contubernio salutaris & jucundus est.))

Ambros. 2. Offic. 20. *Deut. 31.* Tertiò ab Exemplis. *S. Ambrosius* inquit: Tantus Jesus Nave, quòd eum non solùm erudivit ad legis scientiam Moysis copula, verùm etiam sanctificavit ad gratiam. Moyses cum DEO loquebatur: Jesus pariter nube sacrâ tegebatur, &c: Unde factum est, ut qui fuerat socius conversationis, fieret successor potestatis. *Et post*: Omitto quod Abrahæ adhæsit Loth adolescentulus etiam proficiscenti, ne fortè hoc propinquitatis magis fuisse existimetur, & necessariæ potiùs quàm voluntariæ adjunctionis. Quid de Elia atque Elisæo loquamur? licet enim non expresſè Elisæum juvenem scriptura significarit, advertimus tamen & colligimus juniorem fuisse. In actibus Apostolorum Barnabas Marcum assumpsit, Paulus Timotheum, Paulus Titum. Sed illis Superioribus videmus divisa officia, ut Seniores consilio prævalerent, juniores ministerio.))

Genes.13. v.1.
3.Reg.19.v.9.
Actor.12.v.25.
Actor.15.v.27.
Actor.16.v.3.
Gal.2. v.1.

Genes.39. DEUS propter consortium bonorum malis benedicit in temporalibus. Dicitur enim; *Benedixit Dominus domui Ægyptii propter Joseph, & multiplicavit eum in ædibus, quàm in agris cunctam ejus substantiam.* Et quod magnâ admiratione dignissimum, DEUS amplissimis

plissimis Civitatibus, Regionibus, multis centenis millibus Populorum ipsis debitas pœnas temporales & æternas, ob horrenda scelera debitas, propter paucos Justos in illis locis vel populis repertos, parcere vel differre paratus est. Ut si fuissent decem justi in Sodomis, propter decem minimè deleta fuisset. Quin & propter unum Moysen, toties gravissimè exacerbatus Dominus à populo Israel, ei tamen non semel pepercit. Sed hoc prorsùs excedit omnem æstimationem bonæ Societatis, quòd DEUS propter boni sodalitii charitatem, de inferni voragine ad vitam & salutem æternam revocet. Refert *B. Petrus Damianus*, stupendum hac in parte exemplum: In Monasterio *inquit* beati Sylvestri quod in Urbinati constitutum est territorio, quidam Monachus obiit, & ab incipiente gallicinii nocturnalis articulo usque ad secundam diei horam cadaver exanime locatum juxta morem consvetum, atque fratribus circumquaque psallentibus in feretro jacuit. Cumque transactis jam Missarum ex majori parte solenniis Agnus DEI juxta regulam diceretur: ecce repentè qui mortuus jacebat in medio, anima redeunte surrexit. Stupefacti sunt fratres & novâ nimis admiratione perterriti, nimirum quem funeris officium persolventes extulerant, nunc vitalem spiritum recepisse videbant. At cùm propiùs accesissent, verbaque audire ex ore ejus avidiùs inhiarent, ah scelus! maledicta & contumelias in DEUM cœpit effundere, benedictum nomen Salvatoris impiè blasphemare, vivificæ Crucis signum, ut oscularetur oblatum sacrilego ore conspuere, intemeratam quoque DEI Genitricem ignominiosis non timebat opprobriis lacerare: Quid inquiens pro me psallitis, vel Sacrificiorum hostias offerre tentatis? Ego enim in ipsa flammantia tartari profunda descendi, ibique meus magister & dominus Lucifer me irrevocabiliter deputavit. Coronam planè suam æream inexstingvibili semper ardore candentem mihi in capite posuit; ejusdem quoque metalli chlamyde, quâ induebatur, ipse me vestivit. Erat autem chlamys tam longa, ut talotenus flueret, & tam ferventer ignita, ut liquefacta guttas emittere videretur. Cumque fratres eum ut pœnitentiam ageret, atque ut occulta sua in medium proferret, unanimiter hortarentur, ille anathematiza-

Genes. 18.

Exod. & Num.

Pet. Damian. Epist. 5. ad Dominicum c. 7.

bat, & blasphemabat, & non solùm pœnitentiæ remedium, sed & omnia redemptionis nostræ mysteria ore rabido ac sacrilego condemnabat. Monachi verò semper adjutricia orationis arma pio studio recurrentes, cœperunt abjectis indumentis corpora sua scopis illidere, pugnis pectora tundere, psalmodiæ atque omnium quibus valebant precum generibus insudare. Cunctis itaque fratribus in luctuosis orationibus & jejuniis constitutis, ac sub Divinæ Pietatis expectatione suspensis, tandem supernæ Virtutis splendor emicuit. Ecce enim desperatus ille, & voragine maris hiantis absorptus ad superficiem rediit. DEI quippe Salvatoris omnipotentiam laudat, nequissimis Sathanæ ludificationibus abrenunciat, Crucem adorat, pœnitentiam flagitat. Confessus est autem, quia post abrenunciationem seculi in fornicationem cecidit, quam tamen eatenus nulli penitus per confessionis judicium patefecit. Laudans igitur & benedicens DEUM usque in diem alterum vixit, sicque Creatori suo mirabiliter restitutus, in sancta de hoc seculo confessione migravit: Sic mirùm fraternæ orationis fructus effloruit. Quæ videlicet oratio ex ipsis gehennæ visceribus, prædam rapuit, & de flammarum stipula in structura cœlestis Hierusalem lapidem vivum posuit.))

Ejusmodi Incentivis animus mirum in modum accenditur ad expetenda contubernia & familiaritates Proborum. Quas etiam ipso effectu venerabundus & promptus feliciter sectare.

SUBSECTIO V.

De Causalitate morali Superiorum Spiritualium, in actus salutares suorum Inferiorum.

NOn agimus hìc de Superioritate Civili. Licet enim hæc gubernans secundùm Leges civiles, sibi subjectos, sit eis quandoque occasio ad actus salutares vitæ æternæ: id tamen fit per accidens, cùm jurisdictionis civilis sit proprium dirigere suos subditos ad finem temporalem, Reipublicæ vel Communitati alicui bonum & convenientem, v. g. pacem, concordiam, justitiam, &c.

Cæterùm

Cæterùm tamen quomodo gubernaculum civile posſit ſupernaturalizari, cedereque in meritum coram DEO Gubernatori, agitur infra ſub Virtute Prudentiæ multitudinis regitivæ; tum ſub juſtitia, ubi de officiis Dominos inter & ſervos, &c.

Porrò in Seculari ſtatu, qui erudiunt & dirigunt ſibi ſubjectos ad finem ſupernaturalem, quales v. g. debent eſſe Parentes circa filios ſuos, Magiſtri circa ſuos diſcipulos, &c. hi tantùm participare habent de pertinentibus ad ſuperioritatem ſpiritualem, quantùm proportionatur ipſorum ſtatui.

Igitur quod concernit hanc Superioritatem Spiritualem, ejus proprium & unicum munus, eſt conformiter ad Legem DEI & Eccleſiæ regere & dirigere ſuos ſubditos, ad conſequendum finem ſupernaturalem gratiæ DEI, & gloriæ; in tantumque permittere, vel prohibere etiam ſtatui ſeculari bona temporalia, inquantùm hæc ſerviunt vel impediunt à conſecutione prædicti finis ſupernaturalis.

In qua Jurisdictione ſpirituali ſupremum apicem tenet reſpectu totius Eccleſiæ Summus Pontifex Romanus, tanquam Vicarius Chriſti, & legitimus Succeſſor Petri Principis Apoſtolorum, in horum locum ſuccedunt Epiſcopi per ſuas Diæceſes, ſicut in locum ſeptuaginta Diſcipulorum, quos Chriſtus miſit binos ante faciem ſuam, veniunt Prælati Epiſcopis inferiores reſpectu ſuarum Communitatum, quales v. g. ſunt Abbates; tum Parochi ac reliqui Curati animarum in ſuis Beneficiis. Horum poteſtatem delegatam participant alii Superiores inferiores plùs vel minùs pro arbitrio delegantis.

Superiorem itaque Spiritualem quibus oporteat eſſe præditum qualitatibus, ut rectè ſuo fungatur officio, viſum eſt ſupra, ubi de ſtatu Eccleſiaſticorum, & de vita Miſta: particulariùs tamen hac in materia agit *Seraphicus Doctor*, Præſidem animarum efformans inſtar Seraphim ſex præclaris dotibus, quaſi quibusdam alis decorum, quibus tum ipſe per ſublimitatem vitæ, contemplatione, & amore, ſublevetur proximè in DEUM; tum ſibi ſubditos lumine Divinæ Scientiæ, & igne Charitatis ſuccenſos, Alisque multimodæ protectionis confortatos & tutatos, ad æterna transferat. Sed placet S. Doctorem audire, omiſſo tamen illius

S. Bonavent. Opuſc. de ſex Alis Seraphim.

illius fusiori discursu, quanquam adsufficientiam propriis ejusdem verbis res ipsa panditur.

§ I.

PRima itaque Ala Rectoris animarum est *zelus justitiæ*, quâ non potest aliquid injustum, sine cordis murmure, in se & in aliis sustinere. Tantùm enim quisque bonus æstimandus est, quantò plùs & puriùs odit malum. Quantùm enim res diligitur, tantùm de ejus destructione doletur. *Et post pauca.* Quantùm diligis DEUM, & quæ DEI sunt puriùs desideras, tantùm doles de offensa DEI, ubi vides eum non agnosci, & ideo inhonorari, ubi vides eum non amari, & ei non obediri, & ejus cultum destrui, & adversarios multiplieari, & lætificari. Et quantùm diligis salutem proximi, tantùm affligeris de perditione ejus & nocumento profectus ejus. Et licet hæc Charitas requiratur in omnibus amicis DEI, maximè tamen in Vicariis DEI, qui secundùm cor DEI moveri debent amore justitiæ, & odio iniquitatis, juxta illud Psalmistæ: *Dilexisti justitiam, &c.* Justitia potest hìc dici observantia omnium, quæ saluti vel profectui animarum necessaria sunt. *Tandem paulò post.* Principaliter igitur cavenda & dolenda est transgressio Præceptorum DEI: deinde inviolabilium præceptorum Sanctæ Ecclesiæ: deinde illorum quæ sub Voto voluntario sibimet quisque fecit necessaria, ut regulares observantiæ, maximè quæ snb præcepto sunt statutæ: deinde omnia scandala speciem mali quamcunque habentia, nempe avaritiæ, superbiæ, invidiæ, gastrimargiæ, iracundiæ, suspectæ familiaritatis, inobedientiæ, & similium vitiorum, quæ odorem famæ Religiosorum, quo alii fideles debent ab eis ædificari, & ab eis discere quid cavere debeant & facere, fœtere faciunt, ut magis per eos inficiantur scandalo, quàm reficiantur Virtutis exemplo, dicente Apostolo: *Nomen DEI per vos blasphematur inter gentes.* Faciliùs autem gravius peccatum occultum curatur, quàm tale scandalum; quia illud per secretam potest sanari pœnitentiam, scandalum autem vix avellitur à cordibus omnium, ad quos fortè pervenit.

Psalm 44.

Rom. c. 2.

Deinde

Deinde cavenda eſt perturbatio Stndii devotionis, ex qua fulcitur omnis vera Religio, & omne Virtutis exercitium impinguatur. Arida eſt omnis Religio, quæ non oleo iſto ſaginatur. Inſtabilis eſt bonorum operum ſtructura, quæ devotæ orationis frequentiâ non compaginatur, ſicut paries lapidum ſine cæmento. In omni Religione ubi devotionis fervor tepuerit, etiam aliarum Virtutum machina incipit deficere, & propinquare ruinæ. Lampades fatuarum Virginum ſine oleo extingvuntur, ut ait *Matthæus*. *Matth.* 25.

Deinde cavenda eſt negligentia exterioris diſciplinæ, quæ pro decore Religionis, & habilitationis profectus ſpiritualis ſtatuta eſt; cujus deſertio ſignum eſt neglectæ conſcientiæ, & interioris levitatis. Talis autem diſciplinæ obſervantia non ita mandatur, quaſi aliter non liceat vivere, ſed quia ſic magis convenit propter honeſtatis conformitatem, & uniformem Fratrum converſationem; ne pro libito quisque vivat, & faciat, unde fortè alii turbentur. In talibus autem obſervantiis, quæ in ſe indifferentes ſunt, ſed propter aliud ſtatutæ, ut dictum eſt, major eſt habenda diligentia, ut benè ſerventur, quàm ſcrupulosè timendum, ſi ex aliqua ſubreptione quandoque transgrediantur, niſi fortè conſvetudo generaret deformitatem, & diſſimulatio negligentiam nutriret, tunc propter aliud malum conſequens præcavendum, zelus diſciplinæ dormire non debet.

Verus igitur juſtitiæ zelator primò cavet, ne malum aliquo modo faciat, vel doceat. Secundò, ne licentiet, vel concedat quacunque importunitate, ſeu circumventione mollitus. Tertiò, ne faveat vel diligat fieri, etiamſi eo irrequiſito fiat, vel abſente. Quartò, ne diſſimulet & taceat quaſi neſciens, cùm ad eum pertineat arguere, & oſtendere quantum malum, & deterrere, ne ulteriùs audeant ſimilia attentare. Quintò, ne inultum eſſe patiatur, quia aliquod bonum parit peccati caſtigatio, ſcilicet quòd ipſe qui fecit, prohibetur ultra peccare, dicente Domino: *Jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Item, quia purgatur à peccato, ne à DEO poſtea duriùs puniatur, ait enim Scriptura: *Tu Virgâ percuties illum, & animam illius de inferno liberabis.* Item, quia per hoc alii erudiuntur, ut caveant ſimilia perpetrare, juxta illud: *Peſtilente flagellato, ſapientior erit parvulus*, id eſt tenellus & novus *Joan.* 5. *Prov.* 23. *Prov.* 18.

cautior esse discet. Item, ipse Prælatus, Vicarius superni Judicis, liberat animam suam à peccato negligentiæ, officium suum sic implendo: Quod quia Heli Sacerdos non fecit, mortis sententiam
1. Reg. 4. cum filiis peccantibus excepit: ut habetur *in* 1. *Regum.* In hoc enim differunt laudabiles Religiones, & jam dilapsæ, non quòd nullus peccans in laudabilibus reperiatur, sed quòd nullus impunè peccare sinatur, & peccandi aditus studiosè præcludantur, & incorrigibiles & alios inficientes eliminentur, & boni foveantur & diligantur, ut perseverent, & in melius semper proficiant. Nam cùm in conventu Angelorum ante confirmationem, & in ordine Apostolorum sub magisterio Christi reperta sit pravitas, quis ordo bonorum in terra audeat sibi arrogare hanc prærogativam, quòd peccatum in eo non sit? quia etsi plurimi
Joan. 13 per DEI gratiam immunes ibi fuerint, sed non omnes. *Vos mundi estis, sed non omnes*; ait Dominus. Bonis enim quamdiu sunt hic in statu merendi, expedit aliquos malos secùm habere, qui eis sint majoris occasio meriti, quibus compatiantur in malis suis, contra quos zelus eorum inardescat, quos corrigere laborent, quibus similes fieri pertimescant, qui eis sint tentationis materia, à quibus etiam persecutiones sustineant, & ex quorum consideratione confusi humilientur; quia tales non sunt, admoneantur gratiarum actionis ei, qui custodit eos, ne tales efficiantur. Si autem deessent bonis prædictarum Virtutum occasiones, merita ipsorum tan-
Gal. 6. tò fierent etiam minora, dicente Paulo: *Quæ enim seminaverit homo, hæc & metet.* Nec tamen diligendi sunt mali seu fovendi, sed tolerandi: maximè quorum occulta sunt mala, & alios non inficiunt, & est spes de correctione ipsorum. Ubi verò ista defecerit, ibi sine gravi detrimento sustineri non possunt: & ideo eliminandi sunt, ne putetur eorum pravitas bonis placere. Interim etiam dum tolerantur, puniendi sunt stimulis admonitionum, correctionum, confusionum, & castigationum; ungendi etiam fomentis exhortationum, consolationum, & orationum, & promissionum; si fortè convalescant de infirmitate, & fortes fiant. Præcludenda est eis via peccandi, & tentationis aditus obstruendi; quod etiam bonis expedit, ne opportunitas mali faciat eos deteriores. Prælatus enim Vicarius DEI, cui data est potestas à Domino super familiam suam, & cui debent subditi ea de causa vice

Domini

Domini obedire, si non corrigit delinquentes, si permittit sub se vitia crescere, & consvetudines malas oriri, & jam exortas roborari & dilatari, si videt regulares observantias dilabi, & transgressiones multiplicari, & pro posse non obviat tam præsentibus malis, quàm imminentibus triplicem DEO reddet rationem.

Primò, pro sua negligentia, quando non fecit ad quod officio tenebatur, nam ait Sapiens: *Cùm essetis ministri regni illius, non rectè judicastis, nec custodistis legem justitiæ, neq; secundùm voluntatem ejus ambulastis. Horrendè & citò apparebit vobis; quoniam Judicium durissimum his, qui præsunt, fiet, &c.* Sapient. 6

Secundò, quòd omnia peccata subditorum quæ poterat & debuerat correxisse & præcavisse, imputantur ei. Unde dicitur Ezechiel: *Si non fueris locutus, ut custodiat se impius à sua via, ipse in impietate sua morietur, sangvinem autem ejus de manu tua requiram.* Ezech. 33.

Tertiò, pro abusione honoris & potestatis sibi collatæ, quam ad propriam gloriam & commodum retorsit, & non ad quod data est ei. *Tollite ab eo talentum*, ait Christus, *& inutilem servum ejicite in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium.* Matth. 25. Ostendat ergo bonus zelator, quantùm diligat DEUM, in eo quòd beneplacitum ejus in se & in aliis promoveat, nec ab hoc zelo mollescat per desidiam, ne labore lassetur, nec consiliis flectatur, nec astutiis circumveniatur, nec amicitiâ, nec blandimentis deliniatur, nec minis terreatur, nec per diuturnæ pravæ consvetudinis præscriptionē desperet, quin suum officium exequatur. Hæc S. Bonaventura.

Ad zelum Justitiæ refertur *visitatio Spiritualis Communitatis, quâ à Superioribus fit inquisitio de statu suæ Communitatis, ut semper in salvo & integro permaneat.* Collector. Dicitur; *à Superioribus*, non quibuscunque sed supremam habentibus potestatem; quales sunt Legati Apostolici, Archiepiscopi, Episcopi, & eorum vicarii generales Visitatores. In Religionibus verò quales sunt Generales, Provinciales, Commissarii extraordinarii, Abbates denique in suis Cænobiis. Dicitur; *fit inquisitio de statu suæ Communitatis*, scilicet de statu tam in ratione bonorum spiritualium quoad observantiam Canonum Ecclesiæ, vel Regulæ & Statutorum cujusque Religionis; quàm in ratione bonorum temporalium. Dicitur; *ut semper in salvo & integro permaneat.* Hic namque fi-

nis seu scopus est visitationis, ut deprehensâ per inquisitionem labefactatione vel ruinâ status bonorum spiritualium & temporalium, in pristinum vigorem restituatur, simulque provideatur in futurum indemnitati ejusdem status.

Visitatio hujusmodi alia est publica seu externa; quando, v. g. à mediato Patre seu Superiore fit visitatio, vel licet ab immediato cum solennitatibus tamen visitationis. Alia visitatio est privata & interna; dum ab immediato Superiore v. g. à suo Abbate fit inquisitio de statu Cænobii sine solenni ritu visitationis, ad imitationem tamen ejusdem; talis visitatio solet dici Scrutinium.

Res prorsus est admiranda, & nullo non pretio æstimanda ad Statum Ecclesiasticum & Religiosum in suo flore, decore, robore, conservandum; si Visitationes præfatæ & Scrutinia rectè instituantur. *Primò.* Quia Superiores immediati Communitatum, dum recogitant se rationem reddituros villicationis suæ Visitatori, verentur omnia opera sua, scientes quòd non parcitur delinquentibus. Cavent cum imperio & potestativè dominari in Clero, considerantes quòd qui ante modicum tempus supra pennas ventorum ferebatur, nunc per altiorem Superioritatem elisus, & confusus, de suo fastu stolido irridetur. Timent dissipare bona Domini in suum suorumque genium, felle & absinthio poulò post exsolvenda. Et super omnia vigilantiâ solertiori præstant boni Pastoris officium super gregē Christi sibi commissum, ne probroso nomine Mercenarii notentur, aut cum Lupis dispergentibus oves Christi, ab eis per veros Pastores procul abigantur, sive in Caveam recludantur. Alioquin si non foret altior timor humanus super Superiores Communitatum immediatos, quorum nonnulli vix timent DEUM, vix reverentur homines, quid non fieret? cùm etiam sub altiori Virga positi aliqui, nec sic quidem formidant, quin pro suo libitu & dominatu cuncta nihil ad rem disponant, imo quandoque susque deque omnia invertant & perdant. Audi zelosum *Tritbemium:* Visitatio, *inquit*, si debitè fiat, ordinis est reformatio, disciplinæ conservatio, pacis & concordiæ restauratio, & totius honestatis ac pulchritudinis consummatio. Ipsa einm collapsa erigit, dispersa congregat, dissoluta reformat, confracta reintegrat, vaga reducit, divulsa componit, quæ

Tritbemius de visitat. c. 1.

sancta

ſancta & juſta ſunt, opportunè cuſtodit. Ipſa inter caput & membra Abbatem & Fratres, unitatem & pacem reformat: & inferiora Superioribus reconciliat. Viſitatio ſi zelosè, charitativè & diſcretè fiat, Capitulis debitam obedientiam à ſubjectis exhiberi compellit. Ceſſet ipſa, & diſciplina religionis velociter expirabit. Denique ſi ipſa negligatur, cito Provinciale Capitulum à ſuis filiis contemptum patietur. Ipſa eſt enim, quæ conſervat obedientiam bonorum: & protervıam contumacium humiliat. Facit enim timere delinquentes: & proficientes charitatis ſinu amplectitur. Pauci ſunt, qui ex amore obediant: multos timor ſervilis à malis coërcet. Et felix neceſſitas, quæ ad meliora compellit. Nam ſicut ſeta introducit filum, ſic timor initialis charitatem. *De poe. diſ.* 2. § *hæc quæ antexi.* Et væ ibi eſt ubi periit timoratus de terra. *Michææ* 7.))

Et hæc ſunt eximia bona viſitationis rite actæ: Sicut ê contra viſitationis imprudenter, vel perfunctoriè, vel perversè factæ mala quis explicet? Ita enim qui nocuit, nocebit adhuc; & qui in ſordibus fuit, ſordeſcet adhuc. Elevantur & triumphant mali: compreſſis humeris, obſtupeſcunt afflicti boni. *Laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur.*(a)*Locutus eſt ſuperba, & juſtificaverunt illum: humilis deceptus eſt, inſuper & arguitur; locutus eſt ſenſatè, & non eſt datus ei locus.* Diffidentia, averſio animorum, ſuſpicio, diſcordia, contentio, detractio, ſuſurratio, ſcandala, multâ zizaniorum meſſe excreſcunt ad ignem æternum, &c. Ut præſtasſet per viſitationem ineptam vel iniquam malum bono loco poſitum non moviſſe, quàm motum non amoviſſe, olebit enim magis. *V. Apoc. c.* 22. *Pſalm* 9. (a) *Eccl.* 13.

Modus & Tempus inſtituendæ viſitationis. Quoad utrumq; reſpectu Eccleſiaſticorum *vide ſupra.* Reſpectu Religioſorum, hi pro diverſitate ſui Inſtituti alii frequentiùs, alii non ita frequenter viſitantur. Cæterùm ubi ſingulis bienniis vel trienniis tantùm fit viſitatio, tum Superiores immediati ſua Cænobia ſemel & iterum per annum viſitent privatâ Viſitatione ſeu Scrutinio. Quia etſi paſtorali vigilantiæ diu noctuque ſedulam impendant curam, perverſitas tamen malitiæ humanæ, & verſutia diabolicæ fraudis facilè novas excogitat artes, quibus effugiat vigilantem oculum Paſtoris, ut grex aliquà parte ſui periclitetur. Itaque medio tali *Sum. Theol. Spir. c.* 6. *ſect.* 4. § 3. *med.* 5.

Visitationis seuScrutinii multa mala occulta in Superioris notitiam devenient, quibus aliàs non obviasset: magis pernoscet statum, & inclinationes Suorum: agnoscet denique clariùs profectum & defectum Suorum, ut illum ampliùs promoveat, isti remediis moraliter medicativis & præservativis opportunè occurrat. Porrò modum seu formam rectè instituendi visitationem publicam seu privatam præscribunt cujusque Religionis propria instituta. Videatur hoc in puncto Abbas *Trithemius*, ex quo hic nonnulla pono. Et quidem ex parte Visitatorum requiritur *Primò*, ut eligantur Visitatores viri maturi, (ubi intelligo maturitatem juxta illud; *Senectus enim venerabilis est, non diuturna, neq; annorum numero computata: cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata,*) in multis experti, non neophyti, magistri antequam discipuli: zelum DEI & animarum secundùm scientiam habentes, docti in sacris Scripturis, periti legum Ecclesiæ, ac sui Instituti; Viri virtutis.

Tritbem. lib. de Visitatione.

Sap. cap. 4.

Secundò. Priùs visitent & reforment seipsos, & sibi subjectos: ne dicatur eis illud: *Medice cura teipsum.*

Luc. 4.

Tertiò. Non sint onerosi familiâ & equitaturâ superfluâ, victuque ordinario & congruo sint contenti, paucisque diebus in visitatione morentur, omnia tamen faciant summa cum diligentia, & effectu perfecto.

Quartò. Qualiter se in Scrutinio seu inquisitionibus gerere debeant, describit *Trithemius* dicens: Sint hujus negotii (*id est visitationis*) vel in se, vel in aliis experti, ne non credenda credant temere, aut impudenter credenda dissimulent. Utrumque enim malum est. Nam, *Qui citò credit levis est corde*. Eccles. 19. Et mala de aliis non citò debemus credere 86. dist. *Si quid.* Et mala de proximo priùs sunt probanda, quàm credenda 2. q. 1. *DEUS.* Et 3. q. 8. *Judicet.* 11. q. 3. *In cunctis &c. Quamvis.* Scriptum quippe est Eccles. 19. *Non omni verbo credas.* 11. q. 4. *Non solùm.* per quid. At verò nulli credere velle, impudentis hominis est. Et quidem innocens semper benè credit, & benè judicat de aliis. Proverb. 14. 22. q. 4. *Innocens.* Sint itaque Visitatores discreti & prudentes: ut zelum deponentium vitam & meritum considerantes, scire possint, quibus credere debeant. Testes enim ex fide, dignitate, & morum gravitate pensandi sunt. 4. q. 3. §. *Item in testibus.* Et ibidem, per totum,

Trithem. lib. de Visitat. c. 5

rum. Quantùm ergo fieri poteſt, Viſitatores deponentium intentiones, motus, & cauſas diligenter examinare debent: ne fortè non ex juſta ratione moveantur. *Et paulò poſt:* Nec aliquem ex ſola ſuſpicione, aut unius teſtis depoſitione condemnent. Manifeſtâ verò accuſatione non indigent. 2.q.1. *Quæ Lotarius. §. in manifeſtis.* Et C. ſequenti. Eum quoque non charitatis amatorem, ſed fraudulentum judico, qui causâ diffamationis vel vindictæ occultum Fratris crimen revelat. 5.q.5. *Qui ambulat.* 6.q.1. *ſumma* Crimen non ſolùm mortale delictum, ſed etiam omne veniale intelligi poteſt. 25. *di. Unum orarium. §. nunc autem.*

In gravibus autem negotiis & famam concernentibus, diligens inquiſitio fiat: Sed ante juſtam probationem, niſi in manifeſtis nullus judicetur vel condemnetur. 30.q.5. *Nullum ante veram.* Et *c. ſe.* Et in talibus duo aut tria ſunt adducenda teſtimonia. 2. q. 5. c. 1. *&c. Placuit.* Cauti ſint igitur Viſitatores in talibus ſecretis judicandis ad vitandum ſcandalum, niſi convictus quis fuerit, aut ſponte confeſſus. 2. q. 1. *Nos verò quenquam, &c. ſe. nomen Presbyteri & c. ſe.* Quod ſi in probatione accuſator defecerit, pœnâ debet puniri talionis. *Extra de calum. c.1.* 2.q.3. *Calumuiator. &c. c. ſe.* q. 8. *Qui crimen.* 3.q.10. *eos. &c. c. ſe.* Cavendum quoque eſt, ne ea quæ correcta & punita ſunt, denuo retractentur. *Extra. de accu. c. de his. et c.* 2. q. 1. *Prohibentur.* 23. q. 4. *Si illic.* Sic etiam Patres ſancti conſtituerunt. Caveat autem quiſque ne incipiat ea retractare, quæ fuerant ante dignè correcta & emendata: ne quis ſuggerat incomperta, ne novis ſuſpicionibus turbet animos Fratrum aut Patrum ſuorum. Inſuper, ſi quæ ſecreta revelata ipſis Viſitatoribus fuerint, caveant ea deducere in publicum. 2. q.1. *Si peccaverit:* 6. q. 2. *Epiſcopus ſi clerico. c. placuit.* Et de occultis non eſt nimis curioſè inquirendum. *Extra. de accu. qualiter. ii.* De manifeſtis tamen, ut ſupra dixi, non eſt accuſationis clamor neceſſarius: *Eo ti. c. evidentia.* Si quando ſenſerint aliqua non debitè propoſita faciant ut prudentes & quantùm ſalvâ veritate fieri poteſt non facilè credant, & ſi credendum eſt: ea tamen quæ quo animo fiant neſcitur, in meliorem partem interpretentur: quia potiùs debemus præſumere bonum quàm malum. *De regul. juris. c. Eſtote.* Et in talibus deponentis intentio potiùs eſt penſanda, quàm verba. Nam ſi quis vera ex mala intentione proponat, bonum opus intentio malum facit. 23. *c. Placuit.*

q. 5. Cum minister. Sint Visitatores cauti & præcipuè discreti in examinandis excessibus Prælatorum: qui cùm aliorum habeant peccata corrigere, frequenter odium multorum incurrunt: & insidias patiuntur: *Extra. de accu. c. qualiter. ii.* In omnibus sic semper agant, ut charitatis & veritatis formam non amittant. Correctio enim debet pro uniuscujusque gradu, atque salvâ pace Ecclesiæ fieri. *23. q. 4. Ecce. &c. Quisquis c. 10. Quidam. c. Cum quis. §. c. Ipsa pietas. c. Quid faciet. circa me.* Item Correctio debet fieri animo medendi non sæviendi. *86. dist. Odio. 23. q. 4. Ita planè. circa me.* Et non ex odio sed ex charitate. *Extra. De accusa. c. Qualiter. ii. 24. q. 3. Corripiantur.* Et plus habeat mansvetudinis interdum quàm rigoris. *45. dis. Qui sincera. &. c. Licet:* quia leniter castigatus reverentiam exhibet castiganti. *c. Cum beatus Paulus, 12. q. 2. Fraternitas. 24. q. 3. Corripiantur.* Hæc & alia Discretionis (Matris Virtutum) testimonia, Visitatores, ut dignè & justè procedant, non debent omittere. *Hæc Trithemius.*

Quintò. Puncta secundùm quæ Visitator inquisitionem seu Scrutinium facere debet, sunt sumenda ex Regula, Statutis Religionis, Ordinationibusque præcedentium visitationum; & primò generaliter à singulis quærendum, an hæc observentur, vel si eis quidpiam contrarii fiat; deinde in specie alia à Senioribus, alia à junioribus proportionatè requirenda. Unde hujusmodi punctorum formulas ad manum paratas habeat Visitator.

Sextò. Constit: Benedicti XII. prohibentur sub censura

Exod. c. 23. Visitatores munera quoquo modo per se vel per suos familiares accipere. *Quippe munera etiam excæcant prudentes, & subvertunt verba*

Isai. 1. *ba justorum.* Et ne exprobretur eis illud Isaiæ: *Principes tui infideles, socii furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones.* Item

Isai. 5. *Qui justificatis impium pro muneribus, & justitiam justi aufertis abeo. Propter hoc sicut devorat stipulam lingva ignis, & calor flammæ exurit; sic radix eorum quasi favilla erit, & germen eorum ut pulvis ascendet.*

Vide infra plura de Correctione fraterna. *I. 2. tra. 2. cap. 3. Sect. 14. §. 2.*

Sed quid multis? *In summa* principalis optimusque visitationis prodibit effectus, si per Visitatorem digni Superiores instituantur. Quid enim à bono Rectore boni non sperandum? ut à

Ut à malo quid mali non metuendum? Felix & beata visitatio, quæ ejusmodi optatissimum fructum reliquerit. Profectò quidquid DEUS, Ecclesia, Religio, Visitator recti voluerit constitueritvè, præsidentibus Communitatis Superioribus probis, fiet: Sicut sub Pastore Idolo, negligente, vel improbo, Leges Divinæ humanæque pessum eunt. Et frustra Æthyops lavatur, non deponet nigredinem suam: Ita & Superior vitiosus nullis statutis, monitis, minis, mutabit consvetudinem suam. Dejiciendus ergo, & in locum ejus dignus Christi Ovilis Custos cum consilio proborum Seniorum & aliorum substituendus. Quare beatas illas Religiones dixerim, in quarum visitationibus Superiores & Officiales sua resignant officia, vel ubi mutantur singulis trienniis; magnus & multiplex ejusmodi mutationis (modò rectè fiat) fructus in Religionem redundat, quod ad oculum patet in quibusvis reformatis sacrisque Ordinibus. Sed optarem, ut Visitator mutationem seu Electionem Superiorum & Officialium faciat juxta modum supra à nobis porrectum. *V. Sum. Theol. Spirit. cap. 6. sect. 1. subs. 2. § 1. med. 9.*

Unum denique restat, ut Commissarii extraordinarii à Generali Religionis delegantur, quorum singuli per singulas Provincias certo tempore visitent Cænobia, &c. potissimùm hoc duplici fine, ut quod neglectum vel malè actum fuerat à Visitatore Provinciali, suppleant & corrigant; deinde ut ipse Visitator non benè actorum reddat rationem, pænamque subeat, quando & ubi Religio statuerit. *Hæc Collector.*

§ II.

SEcunda Ala Ecclesiastici Seraph. est *Pietas*, sive fraterna compassio, ut sicut eum Charitas DEI ad zelum justitiæ inflammat, ita fraterna dilectio ad pietatem informet. Nam etsi vitiis debetur Virga feriens, infirmitati tamen necessarius est baculus sustentans, dicente Propheta: *Virga tua, & baculus tuus*, &c. Et paulo: *In virga veniam ad vos, an in charitate & spiritu mansvetudinis?* Sic & ille Samaritanus vulneribus illius semivivi relicti, infudit vinum zeli ferventis, & oleum pietatis mitigantis. Alia est autem infirmitas corporis, alia mentis, & utraque indiget compassione. *S. Bonav. Opusc. de sex alis seraphim. Psalm. 22. 1. Cor. 4.*

Infirmitati Corporis triplici pietate subveniendum, scilicet remediis medicinalibus, si congruè potest fieri; item relaxatione rigoris in victu, vestitu, vigiliis, & hujusmodi; item exemptione laboris, in officiis, servitiis, decursibus, & hujusmodi, prout cujusque necessitas exquirat. *Ex paulò infra.* Bonus autem Prælatus agnoscit se fratrum suorum Patrem, non dominum, & exhibet se eis medicum, non tyrannum: nec reputat eos ut jumenta sua, vel servos emptionis; sed ut filios, hereditatis supernæ consortes: & facit eis, sicut vellet sibi fieri, si similiter indigeret. Sed fortes & sani non sentiunt, quod sentit æger, ideo nesciunt eis compati, scient autem postea, cùm dolebunt. Quodsi objiciant, quia sæpè fingunt se quidam debiliores, quàm sint, nunquid propter hoc omnes sunt hypocritæ judicandi? cùm è contrario pro
Genes. 18. paucis justis, ut habetur *in Genesi*, multis malis Dominus voluerit pepercisse.

Sed dicunt aliqui: Illis debilibus dignè subvenitur, de quibus est spes convalescentiæ, in illis verò de quibus non præsumitur, quòd aliquando convalescant, inutiliter consumuntur expensæ. Hoc rectè diceretur, si non propter meritum Charitatis, sed propter retributionem humanæ utilitatis deberet infirmis misericordia exhiberi.

Infirmorum mente sunt tria genera. Primi, ex devotionis defectu, vel tentationis impulsu, proni sunt ad scandala & peccata, ex facili occasione vacillantes, & ad lapsum proclives, ut ait Apo-
1. Cor. 11. stolus: *Inter vos multi infirmi & imbecilles*, &c.

Secundi, qui licet bonæ voluntatis sint, & devoti; tamen ex levi correptione, vel invectiva objurgatione effecti pusillanimes, aut concidunt in quandam desperationis diffidentiam, aut prorumpunt in gravem commotionis impatientiam, unde postmodum dolent, & cæteri quandoque turbantur. Unde Paulus:
Rom. 15. *Debemus nos firmiores imbecillitates*, &c.

Tertii sunt omnes generaliter imperfecti, qui in diversis virtutum studiis sæpè vacillant, & variis passionum febribus sentiunt se interdum, etiam reluctantes, pulsari, modò elationis, modò iræ, modò acediæ, & invidiæ, concupiscentiæ, gulæ, & aliorum vitiorum tam carnalium quàm spiritualium, qui dicere debent

cum

cum Psalmista: *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum*, &c. Remedia his infirmitatibus adhibenda sunt, ut subtrahatur eis occasio scandali, opportunitas peccandi, ne videant unde infirmentur, vel audiant, & ne sæpè permittantur extra domum vagari: Dina enim, ut ait Scriptura, egressa domum corrupta est: Et per exhortationes crebras exemplis patientiæ confortentur, & à duris increpationibus, donec convalescant de infirmitate, parcatur eis & aliis offensis, quibus perturbentur. Unde Apostolus: *Patres nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant.* Qui enim ampliùs commovet satis per se commotum, quasi provocat contra se canem latrantem, ut mordeat eum. Item æquanimiter mores, & imperfectiones eorum supportentur: nam dicit Sapiens. *Non omnes omnia possunt.* Sicut autem rudibus, & minùs peritis solent doctores eorum imperitè dicta ignoscere, cùm minùs rectè sentiant; ita & virtuosi benignè supportant aliorum defectus, scientes, quòd non omnes possunt æqualiter esse perfecti, & quasi parvulis & teneris in Christo graviora, quàm valeant portare, onera non imponunt, nec ab eis exigunt ea, quæ vires ipsorum excedunt. Hinc in Genesi: *Nosti quod parvulos habeam ac teneros, & oves & boves foetas mecùm, quas si plùs in ambulando fecero laborare, morientur unâ die cuncti greges.* Hoc est: Qui parvulos imperfectos, & aliquam bonam habentes voluntatem, quasi fœtus in utero, plus urget in exercitio Virtutis, quàm secundùm gratiam, quam acceperunt, etiam illud quod jam habent, supra vires agitando extingvit in eis; quod prævidens Paulus ait: *Facti sumus parvuli in medio vestrûm, tanquam si nutrix foveat filios suos*, quòd ita humiliter & piè blanditus sum vobis, condescendens vestræ teneritudini & imperfectioni. Quò contra de duris, & non compassivis Pastoribus conqueritur Dominus dicens: *Quod infirmum fuit non consolidastis, & quod ægrotum non sanastis, & quod fractum non alligastis, & quod perierat non quæsistis: sed cum austeritate imperastis eis, & cum potentia*, &c. Et Bernardus: Ut quid gravatis jugum vestrum, in cervicibus discipulorum, quorum vos potiùs jugum portare debetis? Ponite onera, producite ubera, pecora lactate, quiescant. Etsi interdum severitate opus sit, paterna sit, non tyrannica, juxta illud. *Porta eos in sinu tuo, sicut portat mulier infantulum suum, & defer in terram pro qua juravi*, &c.

Psalm. 6.
Genes. 34.
Coloss. 3.
Eccles. 1.
Genes. 33.
1. Thess. 2.
Ecclef. 34.
S. Bern. Serm. 23. in Cant. ante med. paucis mutatis.
Num. 11.

§ III.

TErtia Ala Ecclesiastici Seraph. est *Patientia & constans Longanimitas.* Sicut enim tectum tabernaculi, ut interiora munda maneret & nitida, excepit in se pulveres, & imbres, & ventorum impulsus; ita Superiores qui fideliter subditos suos defendunt à turbine peccati necesse est, sæpè diversarum excipere tempestates adversitatum; sicut gallina pro pullis se objicit miluo, ut eos defendat.

Tria verò sunt inter alia, in quibus patientia ei necessaria maximè videtur. Primò propter multiplices labores, & curas, & occupationes diversimodè emergentes. Cura enim continua urget eum, tam de spiritualis providentia disciplinæ, quàm de corporalis subsidii provisione. Unde & Apostoli non solùm de spiritualibus, sed & de temporalibus fidelium necessitatibus, maximè
Galat. 2. pauperum, soliciti erant, juxta illud: *Jacobus, & Joannes, & Cephas dexteras dederunt mihi, & Barnabæ societatis, ut nos in gentes, ipsi autem in circumcisionem,* scilicet Evangelii prædicationem extenderent, *tantùm ut pauperum Christi memores essemus: quod etiam solicitus fui, hoc ipsum facere, &c.* Dominus quoque turbas, quas verbo salutis pavit, etiam pane corporali in deserto se sustinentes, cùm aliunde non
Marc. 6. haberent, refecit. Occupationes quoque variæ tam ex domesticis curis, quàm extraneis causis frequenter emergunt, quibus cogitur aliquatenùs implicari, & quomodo se de illis expediat, anxiari. Ex his etiam labores plurimi crescent discursuum, vigiliarum, tractatuum, & aliarum fatigationum, pro quibus omnibus patientia ei necessaria est, ita, ut Moyses mitissimus & DEO familiarissimus propter hoc in plures onus gubernationis populi sit parti-
Deut. 1. tus, quasi non valens tot negotia sustinere, sicut scriptum est: *Non valeo solus vestra negotia sustinere, & pondus ac jurgia, date ex vobis viros sapientes & gnaros, & quorum conversatio probata sit in tribubus vestris, & ponam vobis eos principes, &c.*

Secundò est ei patientia necessaria, pro tardo profectu illorum, in quibus continuè fatigatur. Videt enim paucos eorum proficere; videt postea, quia per multos conatus suos, ea quæ multo labore in modico jam emendari cœperant, ex facili iterùm dilabuntur,

buntur, & propter plures difficultates & obstacula profectum spiritualem impedientia, quasi in desperationem tendere fructum laboris sui; Sicut qui multa seminavit, & pauca conspicit oriri. Videt etiam quandoque, quæ personaliter jubet & ordinat, negligenter impleri & servari; & sæpè sub specie boni latenter malum subintrare, ita quòd non audet apertè ut malum redarguere, cùm bonum in superficie appareat, & tamen in fine per hoc majus bonum destruitur, & apertioribus malis aditus aperitur. V. g. ut multi salventur, plures, quàm opportunè tenere possumus, recipimus. Sed ipsâ tandem multiplicatiò, erit paupertatis nostræ obfuscatio, dum plures pluribus velint gaudere, non carere: inde sequitur frequentior discursus pro acquirendo necessaria, exquiruntur viæ insolitæ in petendo, incautiùs agitur contra regulam; vel recipiendo: quies devotionis extinguitur, mores religiosi in dissvetudinem vertuntur, consvescunt Fratres libenter evagari, & diversa carnis commoda foris venari; familiaritates, in regula prohibitas, contrahere, munera à confitentibus quærere, ædificationes animarum pro quæstu vendere, divitibus, adulari, areas dilatare, sumptuosa Palatia exaltare, scandala non curare, & DEI honor, qui ex nostrâ sanctâ conversatione, & aliorum exinde ædificatione provenire debuerat, agendo his contraria, conculcatur. Idem est de præpropera promotione juvenum, & nondum probatorum ad Ordines, & Officia confessionis, prædicationis, & prælationis. Idem de pluribus quæ coram hominibus sunt alicujus apparentiæ, sed Religionis puritatem interiùs coram DEO obscurant: & rudes in Religione, qui interna non sapiunt, putantes in his exterioribus honestatibus, totam vim spiritualis conversationis constare, magno zelo eas defendunt, & de veris virtutibus, & spiritualibus non curant. Hæc & alia plurima videns spiritualis Prælatus, qui omnia in veritate dijudicat, tabescit, & uritur, & non valens corrigere pro desiderio, in virtute patientiæ mirabiliter exercetur, & dicit cum Propheta: *Tabescere me fecit zelus meus. Zelus domus tuæ comedit me, &c.* *Psalm. 118. & Psalm. 68.*

Tertiò, necessaria est ei patientia, pro ingratitudine illorum, pro quibus tantâ solicitudine laborat, scilicet quòd vix unquam eis satisfacit, quin semper conquerantur, quòd aliter

posset eis & meliùs facere, si vellet; quòd sæpè perplexus est, an debeat eorum importunitatibus cedere, & acquiescere in omnibus quæ cupiunt, vel rigidè tenere, quod credit esse magis expediens, juxta illud Pauli: *Quid eligam ignoro, coarctor enim,&c.* Item, quòd invertunt ei plurima quæ facit, & interpretantur ad deterius, & super his visitant eum, & murmurant, & accusant, & detrahunt ei, & sumunt inde materiam scandali, unde putabat se DEO & ipsis obsequium præstitisse; ita, quòd vix in aliquo potest inveniri remedium, in hoc quod ordinat aut quod facit, quin semper aliquibus displiceat & turbentur. Item, quòd etiam in faciem quidam resistunt ei, vel literis arguunt eum, & despiciunt, & concitant alios, ut se ei opponant, vel astutè impediunt, ne possit perficere, quæ debet. His & aliis adversis quibus diversimodè impetitur, triplici patientiæ scuto studeat se opponere.

Phil. 1.

Primò, ut modestè & maturè & benignè ad singula respondeat, & impetum fervoris reprimat, ne in voce, aut vultu, seu moribus impatientiam ostendat. Tunc enim magis proficit per patientiam, & tandem devincit, quos impetuosè agendo amplius provocaret. Impatientia enim Prælati alios scandalizat: Reddit subditis & aliis contemptibilem: Non audent ei subditi necessitatem suam aperire: Replet domum murmure & rancore: Teneros mente fugat, & pusillanimes facit: Nemo audet eum monere de his, quæ forent emendanda.

Secundò, studeat esse pacificus, ut nec vindicet se de illatis injuriis, nec in corde oderit illos, nec curam segniùs agat: nec quærat eos à se removere, imo lubentiùs teneat eos, ut per hoc & illos & alios ædificet benefaciendo ingratis, & ut per se Virtutis exercitium in eis habeat exemplo Summi Pastoris, qui ait: Eritis filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos & malos. Cùm enim sit propriè officium Pastoris docere virtutes, si vitiosos removet à se, quos docebit? Si medicus fugit ægros, quos curabit?

Vide Matt. 5. vers. 25.

Tertiò, si patiens non minùs sit voluntarius, & studiosus ad exequenda ea, quæ officii sui solicitudo requirit, propter tædium laboris, vel tarditatem profectus, vel importunitates subditorum, vel alia gravamina; quia sic ad alta merita pervenitur juxta illud: *Vos ergo confortamini, & non dissolvantur manus vestræ, erit enim*

2. Par. 15.

merces

merces operi vestro. Et inferius: Animare etiam debet Rectorem ad laboris tolerantiam, quòd non minùs meretur in illis, qui deficiunt, vel modicùm proficiunt, quàm in his qui maximè proficiunt. Non enim dicit Apostolus: *Unusquisq; propriam mercedem accipiet* secundùm suum profectum, sed *secundùm suum laborem*; DEI enim est incrementum dare. Plùs enim laborat doctor in indocili, quam in docili discipulo: & ideo apud justum æstimatorem laboris, plus meretur. In terra sterili & saxosa agricola plus laborat, & si fructus paucior, sed pretium majus. Et quæ difficiliùs elaborantur, sæpè cariùs venduntur. 1. Cor. 3.

§ IV.

QUarta Ala est, ut sit *Exemplaris in Vita.* Ipse namque cæteris debet esse norma vivendi, ut quæ docet verbis ostendat actionum figuris; nam dicitur in Actis: *Coepit JESUS facere, & docere.* Quamvis igitur non solùm præfatis sed in omnibus virtutum exemplis debeat Rector præcedere subditos, specialiter in his tribus: scilicet in communis observantiæ conformitate, in mansvetudinis humilitate, & in maturitatis honestate. Unde Apostolus: *In omnibus te ipsum præbe exemplũ bonorũ operum, in doctrina, in integritate, in gravitate*, Communem vitã cum cæteris observet, in victu, vestitu, & labore, ut non vacet conviviis & potationibus, cùm alii sobrio cibo & potu utantur; nec sit illis dissimilis habitu, cum quibus est ei professio communis. Nec à labore cæterorum se subtrahat, qui illos jubet in eisdem laboribus exerceri. Pastor si se à grege segregat, oves insidiis luporum exponit. Sanus sit sanis, & infirmus infirmis, velut alter Paulus, qui dicebat: *Factus sum infirmis infirmus*, scilicet exemplar, *ut infirmos lucrarer. Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.* Nam si sanus debiliter vivat, facit eos exemplo suo carnales. Si verò infirmus recusat infirmorum remedia, facit eos pusillanimes: innuens, quòd aut velit eos similiter facere, aut non cupiat eis, ut meliùs fiat illis. Alacriùs certat miles in acie, si ducem suum secum cernit laborem certaminis tolerare. Unde in Actis dicitur: *In omni tempore, quo intravit & exivit, inter nos Dominus JESUS, incipiens à baptismate Joannis, usq; ad diem quã assumptus est à nobis.* &c. hoc est à primo tempore, quo cœpit habere discipulos post bapti-

Actor. 1.
Tit. 2.
1. Cor. 22.
Actor. 1.

baptismum, usquequo ascendit ad Patrem semper exemplo suo erudivit nos, intrans, familiariter cum discipulis vivendo; & exiens, utiliter cum turbis, prout congruebat, conversando.

Sit etiam humilis moribus, ut mores ejus ostendant eum non alta de se sentire, nec affectare prælationem, sed timere & coactum tenere, & magis desiderare subesse, & eos quibus præest, meliores se judicare, & eorum potiùs se Servum, quàm magistrum vel dominum reputare. *Qui major est in vobis fiat sicut minor: & qui præcessor est sicut ministrator*, ait Dominus. *Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat*, &c. Unde in Ecclesiastico dicitur: *Rectorem te posuerunt*, &c.

Luc. 22.

Eccles. 23.

Sit etiam humilis affabilitate, ut subditi facilem accessum ad eum habeant, & fiducialiter ei loqui, de quibus indigent, audeant, & patienter eos audiat, & benignè eis satisfaciat, & studiosè instruat, & alacriter exhortetur: studeat magis amari, quàm timeri; quia lubentiùs obedietur ei qui diligitur, quàm qui timetur. Obedientia dilectionis propriæ est voluntaria, timoris autem magis est coacta. Quantò ergo illa habet de voluntario, tantò sublimior est in merito; finis autem officii regiminis est commissos sibi ad vitam æternam dirigere, & ad similia Virtutum merita fideliter promovere.

Sit etiam humilis in usu rerum temporalium, ut nihil habeat pomposum vel diligat, sed omnia quæ habere videtur, paupertatem voluntariam demonstrent, & humilitatem ostendant, scilicet vestes, libri, cella, lectulus, utensilia, mensa, pallia, & hujusmodi, ut nihil in omnibus appareat, quod notam jactantiæ vel curiositatis habeat, nec talia fieri ab aliis patiatur. Similia etenim similibus congaudent, alta sublimibus, humilia humilibns delectando. Non est autem humilis cordis indicium curiosa quærere, pretiosa affectare, & excelsa ambire. Nam scriptum est: *Omne sublime videt, ipse est Rex super universos filios superbiæ.*

Job. 41.

Maturitatis honestas perpenditur in tribus, scilicet, si non sit levis in moribus videlicet in verbis, & jocis scurrilibus, & irreligiosis; quæ licet in se quandoque quasi grata putentur, minus tamen reverendum faciunt, & verendum. Gregorius enim dicit: *Non facilè ejus prædicatio recipitur, si levis in moribus videtur.* Nam etsi

Greg. homil. in Ezech. ante med.

etsi Prælatus magis diligendus sit, expedit tamen, ut ab insolentibus timeatur. Ipse amor aliquomodo svavior sentitur cum reverentia mixtus. Quod patet in amore summi Conditoris; cujus quò Majestas sublimior agnoscitur, dignationis dulcedo sapidiùs amatur, sicut dicit Propheta: *Dulcis & rectus Dominus, propter hoc legem dabit*, &c. *Psal. 24.*

Item, si non sit levis in affectu per privatos amores notabiles, tam ad fœminas, quam ad quaslibet leves personas. Licet enim meliores in affectu præferendi sint minoribus, & omnes propter spem salutis in Christo amplectendi sint; in actu tamen exterioris exhibitionis taliter se gerat ad omnes, ut nullus se ab eo contemni propter alios suspicetur, sed quilibet se ab eo diligi præsumat, & fiducialiter ei quasi singulari amico confidat: ne alicui indignatio & invidia in aliis nutriatur, sicut Fratres Joseph qui oderunt eum, pro eo quòd à Patre singulariùs amaretur, ut dicitur in Genesi. *Genes. 37.*

Item, si non est levis in proposito, & inconstans in consilio, ut quod jam placet mox displiceat, modò velit unum, modò contrarium; ubi rationabilis causa non apparet. Quis enim ejus judicio credat, vel ejus voluntati se contemperet, quem in neutro stabilem agnoscat? Ideo ejus subjecti non possunt ejus revereri prudentiam, nec sciunt se parare ad voluntatis ejus obedientiam, & in utroque non potest non esse modicum nocumentum. Propterea Paulus dicit: *Omnia probate, quod bonum est tenete*, & facite sine hæsitatione, & retractationibus, quæcunque facitis. Ubi tamen causa rationabilis subest justæ necessitatis, vel piæ utilitatis, ut aliter & aliter aliquid fieri expediat, non est hoc levitatis, sed maturitatis: quia sicut stultum esset melius mutare in deterius; sic etiam stolida est obstinatio, tam pertinaciter inhærere conceptis, ut pro majori bono, & aperto, ab eis flecti non possit, juxta illud: *Nec putetis, si diversa jubeamus, ex animi nostri venire levitate, sed pro qualitate & necessitate temporum, ut reipublicæ possit utilitas ferre sententiam.* Unde & Apostolus excusat se: cùm promiserit Corinthiis se venturum, quòd non levitate hoc promiserit, sed pro eorum utilitate, cùm dicit: *Volui priùs venire ad vos*, &c. Et in Ecclesiastico: *Secundùm judicem populi, sic & ministri ejus; & qualis rector est civitatis, tales & inhabitantes in ea.* *Genes. 37.* *1. Thess. 5.* *Esth. 16.* *2. Cor. 1.* *Eccl. 10.*

Boni magistri bonos discipulos facere consveverunt, ut frequentiùs multi fierent meliores in Religionibus & in Ecclesia, si melioris vitæ eis exempla à suis authoribus proponerentur. Negligentia verò hujusmodi ab illis, qui culpabiles sunt, districtè in judicio requiretur. Nam Dominus dicit: *Ecce ego ipse super pastores, & requiram gregem meum de manu eorum.* Doctrina verborum sine exemplis operum, est sicut cæmentum sine calce aridum & invalidum. *Ipsi liniebant parietem absq; temperamento, dic eis, quòd casurus sit.* De correctis exemplaribus, correcta scribuntur volumina, de corruptis corrupta. Tenaciùs inhæret doctrina operum, quam verborum. Nam cujus vita despicitur, restat ut ejus prædicatio contemnatur. Rector enim præcipuè ad hoc studere debet, ut sibi commissos faciat Christiformes, id est, ut formam vitæ ad doctrinam Christi eis imprimat, ut non solùm mente eum attendant, sed & moribus imitentur. Unde Apostolus ad Ephesios dicit: *Estote imitatores DEI sicut filii*, &c. Et ad Galatas: *Filioli mei: quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis.* Sed cùm ex verborum doctrina minùs capiant de doctrina Christi, debent etiam formam ejus visibilem in seipsis ostendere, ut eis profundiùs imprimatur, dicentes cum Apostolo: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi*; quasi dicat: Si formam Christi desideratis ad imitandum agnoscere, in meis hanc moribus considerate. Et ad Galatas: *Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Christus.* Vicarius enim Christi, vicem Christi debet gerere, in beneplaciti ejus promotione, in potestatis ejus authoritate, & in similitudinis ejus repræsentatione; Scilicet ut ea quæ vult, promoveat in subditis, ejus authoritate illa possit quæ eis expediunt, & eum se imitabilem illis moribus, & vitâ demonstret, idem dicente Apostolo alibi: *Non enim nosmetipsos prædicamus, sed JESUM CHRISTUM Dominum nostrum, nos autem servos vestros per JESUM.* Ille verò seipsum & non Christum prædicat, qui gloriam propriam quærit dicendo, & qui malis exemplis, se potiùs quam Christum ingerit subditis imitandum. Nam dicit Apostolus: *Æmulantur vos non benè, sed excludere vos volunt, ut illos æmulemini,* hoc est non bono zelo præsunt vobis, qui per sua prava exempla excludunt vos ab imitatione Christi, ut mores eorum discatis & exempla sequamini.

Marginal references: Ezech. 34. — Ezech. 13. — Ephes. 5. — Galat. 4. — 1. Cor. 11. — Galat. 2. — 2. Cor. 4. — Galat. 4.

§ V.

QUinta Ala Ecclesiastici Seraph. est *Circumspecta discretio, & provida faciendorum consideratio.* Hinc Salomon praetermisis omnibus petivit Sapientiam, sine qua asseruit non posse populum bene regi. Rector enim est dux gregis sibi commissi, & si ipse erraverit, grex in dispersione confusus, interibit. *3. Reg. 3.*

Duplex Circumspectio Rectori est necessaria, ut sciat quid agendum sit, & qualiter. Nam nec bonum simpliciter bonum est, nisi bene fiat, id est sicut decet. Bernardus; Tolle discretionem, & virtus vitium erit. Sine ipsa zelus præcipitat: Item, compassio condescendit usquequaque sub specie pietatis, sicut dicitur in Proverbiis. *Qui parcit Virgæ odit filium,* hoc est qui sub specie pietatis peccantem non corrigit, animam ejus ad interitum mittit. Item, patientia sine discretione remissum in regiminis vigore facit, cùm sub specie humilitatis rebelles non reprimit. Item, sine discretione qualecunque bonum exemplum inefficax fit ad ædificandum alios; sicut bonus cibus non est delectabilis sine condimento salis. Bona facere non sufficit nisi discretè, qualiter, quando, ubi, quare agendum fuerit, videatur. *S.Bern.super Cant.serm.49.* *Proverb.13.*

Quamvis plurima sint, circa quæ oportet Rectorem esse circumspectum, tamen quatuor videntur præcipua. Primum est, quomodò in statu debito commissos sibi gubernet, ut boni Sui proficiant & persistant. Secundum, quomodo lapsos & devios corrigat, & emendet. Tertium, exteriora negotia, quæ requiruntur adeo congruè disponat. Quartum, quomodo se in his custodiat & gerat. *Hæc antequam explicet S. Bonaventura præmittit dicens.* Ad statum debitum tenendum convenit, ut Rector omnium subditorum mores, conscientias, & vires perspicuè agnoscat, ut secundùm quod unicuique expedit, onus observantiæ regularis imponat. Non enim omnes omnia possunt æqualiter, & unusquisq; proprium habet donum ex DEO, alius sic, alius verò sic.

Quoad *primum* igitur nempe quomodo in statu debito commissos sibi gubernet, sic prosequitur *S. Doctor:* Prima *inquit* observantia consistit in illis, quæ sunt juxta cujusq; professionis for-

mam de necessitate salutis: quæ ita annexa sunt Ordini & Regulæ, ut eorum transgressio temeraria inducat mortale peccatum; ut est obedientia præcepti, voluntaria paupertas, castitas, & alia præceptoriè imperata, in quibus locum non habet dispensatio Magistri, cùm & ipsesit ad ea servanda ligatus. Hæc necesse est Prælatum vigilanter agnoscere, quia tenetur ea facere, ab omnibus studiosè servari, & nolentes cogere ad servandum, & pro nulla causa permittere, quantùm in se fuerit, aliquem contraire, etiamsi magna propter hoc sibi & Fratribus tribulatio seu dispendium immineret.

Secunda versatur circa illa, quæ spectant exercitium altioris perfectionis, scilicet singularis patientiæ, admirandæ humilitatis, stupendæ charitatis, arduæ sobrietatis, eximiæ paupertatis, & sublimis devotionis, & similium virtutum; ad quas debet Rector commissos, exhortationibus, monitis, & exemplis efficacibus afficere, & attrahere magis, quàm invitos cogere. Consilia enim perfectionis svadentur, non imperantur: præter ea, quæ in Voti emissione exprimuntur, ut continentia. Præcipua tamen causa Monasticæ institutionis fuit, ut esset schola palæstralis exercitii perfectionis.

Tertia consistit in illis, quæ nec sunt de pura necessitate salutis, nec de eminentia perfectionis, sed tamen ad utriusque acquisitionem, & conservationem à sanctis Patribus aptè statuta sunt, ad exercitium bonorum operum & decorem ipsius Religionis, & ad ædificationem intuentium; ut sunt jejunia, silentium, solennitas divinorum officiorum, & exteriores corporalium exercitationum honestates, quæ juxta Apostolum tam utiles sunt, sicut instrumenta pro artificiis, quæ possent & aliter peragi à peritis, cùm prius fuerint artes quàm talia instrumenta. Unde discretus Prælatus, cùm necessitas exigit, vel major utilitas requirit, dispensat in causa pro talibus pro loco, & tempore, sine difficultate, cum viderit expedire. Ubi autem major utilitas, vel necessitas non exigit, studiosè faciat ea servare. In hoc indiget Prælatus non modicâ discretione, ut sciat inter rigorem & remissionem medium tenere. Si autem nimis fuerit rigidus, & ipse minùs erit dilectus Fratribus, & illi minùs erunt voluntarii

1. Tim. 4.

ad

ad alia quæ utiliora, & necessaria forent. Rursum, si fuerit plus quàm convenit remissus in talibus, citò major dissolutio subsequetur. *Qui spernit modica, paulatim decidet*, ait Sapiens. Eccles. 19.

Quoad secundum, nimirum circa lapsorum correptionem discretio Prælati similiter vigere debet. Tria sunt genera delinquentium. Quidam enim cùm deliquerunt, mox aut intus moti à Spiritu, aut foris correpti ab homine, ad pœnitentiæ remedium confugiunt. His cum clementiæ fomentis medicus spiritualis remedia satisfactionis, sic temperata debet adhibere, quibus & satisfaciant DEO de offensis, & proximo de scandalo, ut cæteri peccare magis timeant, & tamen propter levitatem remedii ipsos non pœniteat se pœnitentiæ submisisse, nam dicit Paulus: *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis*, subaudi medici, *hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans temetipsum*, &c. id est, talem ei satisfactionem imponite, per quam cognoscat pondus reatus sui, ita tamen clementer, sicut tibimet velles alium compati, si tali peccato delinqueres. Alii cùm delinquunt, tegunt, palliant, defendunt, & virus interiùs latet. Et licet Rector ex certis indiciis deprehendat ibi saniem putridam esse collectam, tamen non ita erumpet exteriùs, nec per evidens testimonium, nec per voluntariam confessionem, quòd possit opportunè ferro apertæ correctionis secare. Si corripit non proficit, & videtur magis vitiorum diffamator, quàm vitiosorum corrector: sed movetur & dissimulat, uritur & anxiatur tam pro anima Fratris quàm pro se, quia non corrigit delinquentem. Cùm ergo aliud congruè facere non possit, oportet, dissimulet, patientiam suam exerceat: & quod arguendo non valet, orando laboret obtinere, ut aut DEUS citiùs demum corrigat, aut latentem ejus malitiam detegat, ut aliquod remedium apponatur. Sicut Dominus Judam proditorem diu tacitè toleravit, quòd eum apertè non corripuit, donec in tantùm ejus iniquitas crevit, quòd per se patenter erupit. Quæ quamdiu latuit, licet in se lethaliter ægrotaret, tamen aliis non nocuit, & ideo irreprehensibiliter potuit tacitè tolerari. Nam dicit Dominus in Matthæo: *Sinite utraq; crescere usq; ad messem*, id est zizania cum tritico. Et in Apocalypsi dicitur: *Qui in sordibus est, sordescat adhuc.* Debet tamen talibus, ubi potest, cautè caveri ab

Gal. 6. Matth. 13. Apoc. ult.

occasione peccandi; & in communi moneri debent, ut resipiscant, juxta illud: *Væ! homini illi, per quem Filius hominis tradetur.* Sed cùm ad tam singulare facinus non potuisset Judas subitò proruisse, nisi diu paulatim in deterius semper prolapsus, apparet eum à Domino in malo statu diu occultè toleratum. *Ego tacens, & quasi non videns.* Talis ergo dissimulatio in corde Rectoris multâ discretione indiget, ut in neutro deviet à justo. Tertii offendunt graviter apertè & non recipiunt debitam correctionem, vel fictè recipiunt, quia non emendantur, & alii ex eis fiunt deteriores; vel scandalizantur de ipsis; vel imitari eos incipiunt, si vident eos impune peccare, volentes sibi parci, sicut illis parcitur. Ubicunque ergo quatuor illa conveniunt, scilicet graviter, apertè, peccare, & non esse spem correctionis propter obstinationem, seu inveteratam mali consvetudinem, & alios infici per ejus exemplum, vel scandalizari: quia talia tolerantur; quid restat, nisi ut ovis morbida abjiciatur, & membrum putridum præcidatur, ne sana inde inficiantur, & corrumpantur? Unde dicit Apostolus: *Utinàm & abscindantur, qui vos conturbant.* Et ad Corinthios: *Auferte malum ex vobismetipsis. Quod si infidelis discedit, discedat.* Et Lucas dicit: *Succide* ergo *illam*, scilicet, ficum infructuosam, *ut quid etiam terram occupat?* Ex Matthæus: *Omnis arbor quæ non fert fructum bonum, excidetur.* Et in Numeris: *Præcipe filiis Israel, ut ejiciant de castris omnem leprosum, & qui semine fluit, pollutusq; est super mortuo, ne contaminent ea, cùm habitaverint vobiscum,* &c. Ad ista tamen non debent impetu ferri, sed maturo consilio prudentum, & Spiritum DEI & donum consilii habentium: *Omnia cum consilio fac, & post factum non poenitebis.* Et in Matthæo: *Qui scandalizaverit unum ex pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris*: hoc est, cujus vita in habitu Religionis magis scandalizat simplices, quàm ædificat, expedit, ut foris missus, solus damnetur, quàm per eum sacra Religio contaminetur.

Matth. 26. Isa. 57. Isa. 57. Galat. 5. 1. Cor. 5. 2. Cor. 7. Luc. 13. Matth. 3. Numer. 5. Eccles. 32. Matth. 18.

Quoad Tertium, nimirùm Negotia, quæ per Prælatum sunt disponenda, quorum alia expedit, ut aliis disponenda committat, alia per seipsum disponat, alia præcidat, & removeat, quantùm valet. Sic CHRISTUS commisit alia Discipulis procuranda, ut

ut Judæ loculos, sibimet retinuit prædicationis & curationis officium, ut patet in Luca. Requisitus enim ut inter Fratres quosdam hæreditatem divideret, respondit: *Homo, quis me constituit judicem aut divisorem inter vos?* Exteriora & temporalia corporalis necessitatis officia, si per seipsum voluerit actu disponere, impeditur ab interiorum & meliorum provisione, quia sparsus ex se mentis oculus minùs videt interiora & necessaria saluti. Unde in Exodo dicitur: *Esto tu populo in his quæ sunt ad DEUM, & leviùs feres partito in alios onere,* scilicet leviorum. Et in Actis: *Non est æquum nos relinquere verbum DEI, & ministrare mensis,* &c. Si alios non haberet, quibus curam exteriorum committeret, potiùs deberet ab alio fraudem in temporalibus pati; quàm ipse Prælatus in talibus occuparetur, exemplo Christi, qui sciens Judam esse furem, tamen permisit eum exteriora procurare, juxta illud: *Fur erat, & loculos habebat, & ea quæ mittebantur, portabat.* Hoc est contra illos, qui faciliùs inveniunt, quibus curam animarum committant, quàm rerum suarum temporalium: cùm incomparabiliter majus sit dispendium periclitari animas, quàm res perire. Spiritualia verò & quæ ad salutem necessaria sunt, & profectum virtutum, principaliter debet animarum custos & Rector sibimet curanda retinere, cùm hæc sint de substantia officii pastoralis, & de his maximè sit in judicio rationem Domino redditurus. Hæc sunt, qualiter regula studiosè servetur, & alia statuta, & ordinis disciplina. Item, quòd pax & dilectio sit inter Fratres. Item, ad ipsum pertinet conscientias singulorum agnoscere, de qubuslibet perplexitatibus expedire, pericula peccatorum prævidere & præcavere, monere Fratres ut proficiant, corrigere corrigenda, elucidare dubia, informare singulos, qualiter officia sibi commissa congruè administrent, quo & Fratribus, prout convenit sufficiant, & conscientiam non offendant. Ubi verò non potest hominibus satisfieri, nisi cum offensa DEI, ibi servetur ad DEUM obedientia, & ad homines patientia, & dicamus cum Petro: *Obedire oportet DEO magis, quàm hominibus.*

Luc. 12.
Exod. 18.
Actor. 6.
Joan. 12.
Actor. 5.

Prælatus gerit vicem capitis in corpore fraternitatis, ut cum alia membra debita sunt actionibns sibi competentibus, caput omnibus præsidendo provideat, quasi omnium sensuum capax,

capax, & omnia regens & sensum & motum omnibus transmittens per jussiones vel concessiones sanctæ obedientiæ, quasi quorundam compaginatione nervorum: unde & caput singulari actione non occupatur, ut vacet omnium membrorum provisioni. Omnibus enim proficit, pro omnibus audit, odorat, gustat, & loquitur. Sic & Prælatus sibi commissis. *Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus reddituri*; ait Apostolus.

Hebr. 13.

Superflua verò & non necessaria saluti, vel profectui animarum negotia, expedit præcidere, & tam à se quàm à Fratribus quantùm opportunè poterit, removere. Cùm enim propter temporis brevitatem, & diei malitiam, vix necessariis sufficimus disponendis, si supervacuis vel alienis volumus occupari negotiis, negligimus utiliora & meliora, cùm distractus animus ad plura, fit minor ad singula providè peragenda. Inde fit aliquoties, cùm Prælati & Religiosi nimis se exterioribus occupationibus implicant, ædificiorum, librorum, causarum, & aliorum, quibus fructuosiùs carerent, ut non solùm meliora interim negligant, sed etiam conscientiam sæpiùs inquinent, & ex usu exteriorum tenebrescat oculus mentis ad contemplationem spiritualium & internorum, & tepescat ad desiderium supernorum. Sicut enim humores noxii affluunt, ubi fuerit in corpore læsio, nisi cautè removeantur, ne fiat ibi tumor vel ulcus; ita & negotia crescunt ad internecionem spiritus, qui se eis acquieverit occupari. Ideo discretio Prælati debet providè prospicere, quid ex quolibet eventu possit consequi, & quæ negotia admittere, vel quantùm expediat ea exequi, circumspectè rimari. Ait enim Sapiens: *Fili, ne in multis sint actus tui.* Qui sarcinam satis gravem portat imprudens est, si adhuc onera plura sibi portanda imponit, quibus potest opportunè carere.

Eccl. 11.

Quod concernit Quartum, nempe quomodo se custodire & gerere debeat. *S. Doctor* dicit: Super omnia verò debet semetipsum Rector circumspicere, ne aliis providens seipsum negligat: ne alios salvans, seipsum in periculum demergat. *Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Et Joannes: *Videte vosmetipsos, ne perdatis quæ operati estis*, supple, in aliis: *sed ut mercedem plenam suscipiatis.*

Matth. 26.
2. *Joan.*

Una circumſpectio ſui verſatur circa conſcientiæ ſerenitatem, ut illa ſemper ſecura ſit, & munda. Secura ſit, ut nihil velit, agat, jubeat, vel permittat illicitum & indecens, profeſſionique ſuæ contrarium, in quo peccatum ſeu ſcandalum deprehendatur. Munda, & de bonis quæ fecit, vel promovet, gloriam ab hominibus non captet, nec ſibimet exindè immoderatè placeat, ſolius DEI beneplacitum in omnibus quærens, ut quæ pro eo facit, id eſt vice DEI, etiam purè faciat propter eum & ipſius amorem. *Si oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit*: hoc eſt, ſi intuitus intentionis purus fuerit charitate, totum corpus bonæ operationis dignum erit præmio lucis æternæ. *Si autem nequam fuerit*, &c. Scrutetur ergo conſcientiam ſuam ſolicitè dijudicans quid egerit, quid omiſerit de agendis, & quo fine bona fecerit, & de malis doleat, & confiteatur, & corrigat, & caveat: de bonis verò non in ſe, ſed in Domino glorietur cum Apoſtolo; qui ait: *Si nosmetipſos dijudicaremus, non utiq; judicaremur.* Qui pulverem ab aliis detergit, vix poteſt tranſire, niſi & ipſe pulvere reſpergatur, quem etiam in ſe detergere neceſſe habet, juxta illud: *Medice cura teipſum.* De bonis verò quæ facit ſic lætetur, ut inde non extollatur, æſtimans quòd non propter ſe, ſed propter alios, quibus præeſt, DEUS dederit ei bene facere, vel dicere, vel ſentire.

Matth. 6. *1. Cor. 11.* *Luc. 4.*

Alia circumſpectio ſui verſatur circa exteriores mores & verba, quibus oportet eum aliis magis quàm ſibimet deſervire. Qui enim pluribus cogitur vivere ad exemplum, & ſatisfacere ſingulis & omnibus placere, multâ indiget diſcretione, ut medium valeat tenere, ne ſit nimis triſtis vel hilaris, nimis ſeverus vel lenis, nimis ſocialis vel alienus, nimis tacitus vel verboſus, nimis durè loquens vel blandè, nimis rigidus vel remiſſus, nimis ſæpè cum hoſpitibus vel rarò, nimis lautè reficiens vel tenuiter, nimis facta Fratrum obſervans vel diſſimulans, nimis fovens aliquos vel alios parvipendens, & ſimilia. Cùm ergo non poſſit ſemper teneri, quod de omnibus placeat; minùs tamen deviat, ſi ad benignitatis partem plùs declinat, per quam redditur ſubditis magis amabilis, ob quam libentiùs obtemperant, & audaciùs ad eum recurrunt, in quibus indigent, & alacriùs imitantur. Ipſa enim poteſtatis authoritas facit eum ſatis timendum ſubditis, & ſi huic jun-

gitur austeritatis severitas, pavidis fit mentibus onerosa. *Vos autem cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia, & dispersæ sunt oves meæ, dicit Dominus.* Et in Ecclesiastico: *Noli esse quasi Leo in domo tua, subvertens domesticos tuos.* Hinc est, quòd ipse summus Princeps pastorum Dominus JESUS tantam nobis benignitatis charitatem exhibuit, ut se nobis faceret amabilem, & ita imitabilem, ut per amorem suæ Humanitatis, traheret ad amorem & cognitionem suæ Divinitatis, ut dum visibiliter DEUM cognoscimus, per hunc in invisibilium amorem rapiamur. Sic & Vicarius Christi, Prælatus, ad hoc maximè studeat à subditis diligi, ut sic faciliùs trahat eos ad amorem Christi. In omni tamen dubio semper magis inclinet se ad illud, quod secundùm veritatis judicium virtuti charitatis, & humilitatis, & professæ puritati magis consonat, & Evangelicæ perfectioni.

Ezech. 34.
Eccles. 4.

Ultimò etiam ipsa discretio, quæ cætera omnia dijudicat, circumspiciat seipsam, ne ei contingat ut oculo corporis, qui cùm alia videat, non videt seipsum: videlicet ne plùs sapiat, quàm oportet sapere, ne sibi plùs credat quàm expedit, ne sit sapiens in oculis suis, quia teste Beato Gregorio: *Sicut subditorum tentatio est, reprehendere in Prælatis, quòd in multis non rectè agant; ita Prælatorum tentatio est, quòd de cæteris sapientiores se æstimant.* Unde dicitur: *Vidisti hominem sapientem sibi videri, magis illo spem habebit stultus.* Stultus enim sibimet non confidens, quærit consilium à sapientibus, ne decipiatur: Ille autem dum de se plùs quàm debet præsumit, etiam ubi errat, rectè se plerumque sentire deceptus putat. Inter omnes autem tentationes videtur ista periculosior cuique Christiano, scilicet, proprio sensui nimis inniti. Cùm enim nemo reperiatur ita perspicacis intelligentiæ, quin possit in aliquibus falli, qui hoc totum & solum reputat justum quod ipse senserit, astuto adversario ad varias seductiones sub specie boni liberum aditum pandit. Ait enim Psalmista: *Sedet in insidiis cum divitibus in occultis, ut interficiat innocentem.* Ibi enim libentiùs insidiatur, ubi majores meritorum divitias cernit inquiri, ut ibi innocentem inquirat & occidat, ubi DEO magis obsequium præstari sperabat. Unde cautum est semper Rectori, consilia libenter audire, & humiliter quærere. Et in hoc triplex utilitas consistit. Primò, si alii idem

Greg. in sensu lib. 26. Mor. cap. 14. cir. fin.
Proverb. 26.
Psalm. 9.

idem ſentiunt quod & ipſe, ſecurior eſt quòd non decipiatur. Secundò, quidquid fecerit cum prudentium conſilio, ſi aliquid inde evenerit contrarii, minùs ei poterit imputari, quàm ſi de ſuo tantùm ſenſu id feciſſet. Tertiò, quòd ſæpè in merito humilitatis talis, DEUS dat ei agnoſcere per ſe vel alium, quod ante non intellexit. Hinc Moyſes, cui DEUS facie ad faciem loquebatur, conſilium Jethro ſoceri ſui gratum habuit & ſervavit. Hinc Apoſtolus Paulus Spiritu Sancto repletus, Evangelium quod per revelationem JESU CHRISTI didicerat, ipſius inſtinctu aſcendens Hieruſalē, cum Petro, & Joanne, & Jacobo Co-Apoſtolis ſuis contulit, ut eſſet ſecurior in prædicando, cùm ab eis non diſcordaret: & exemplum per hoc daret fidelibus Prælatis conſilium requirendi. *Omnia cum conſilio fac, & poſt factum non poenitebis*, ait ſcriptura. Aliqui verò cùm ad officium regiminis aſſurgunt, ita ſe continuò repletos Spiritu ſcientiæ reputant, ut omnia anteceſſorum ſuorum facta ſtulta judicent & perverſa: alii verò è contrario cùm ab eodem abſolvuntur officio, quæcunq; ſucceſſores eorum faciunt, ſimili modo condemnant, non attendentes, quòd ſicut ipſi aliorum facta deprimunt, ita eorum facta alii poſſunt deſpicere, hinc dicit Iſaias: *Væ! qui ſpernis, nonne & ipſe ſperneris?* Nullorum enim facta tam ſtudioſè ſolent ab aliis obſervando notari ſicut illorum, qui aliorum facta ſeverè dijudicant, ſi fortè in quo ipſi alios arguunt reprehenſibiles, reprehendantur. Exod. 18. Gal. 2. Eccl. 32. Iſa. 33.

Sunt enim duo genera hominum, quorum conſilia prudens Rector non facilè debet recipere, ſcilicet adulatores, & detractores. Primi iſtorum ſeducunt eum, ut magis de ſe quàm expedit, præſumat: juxta illud: *Qui beatum te dicunt, ipſi te decipiunt*, & viam greſſuum tuorum diſſipant, ne de te vera ſentias humilitate propriæ cognitionis. Secundi inducunt eum, ut pejus, quàm habet, de aliis ſuſpicando, ſentiat, & ſæpè innocentes condemnet, & priusquam veritatem rei plenè cognoſcat, dicente Scriptura: *Aures Principum ſimplices, & ex ſui natura aliud æſtimantes, callidâ fraude decipiuntur; & malis quorundam ſuggeſtionibus Regum ſtudia depravantur; ut eos qui credita ſibi officia diligenter obſervant, & ita cuncta agunt, ut omni laude ſint digni, mendaciorum cuniculis conentur ſubvertere, &c.* Cum autem tribus de cauſis ſoleat requiri conſilium Iſa. 3. Eſth. 16.

filium, scilicet propter emendationem, ut discatur, de quo dubitatur; propter authoritatem, ut magis habeat vigoris, quod per tales consultum fuerit; & propter pacem, ne habeant aliqui occasionem murmurandi: propter primam causam, consulendi sunt prudentiores; propter secundam nominatiores; & propter tertiam omnes, ad quos negotium pertinere videtur. Sed quia singularia sine numero sunt, in quibus discretio est necessaria, non potest dari certa & communis regula, quæ valeat pro omnibus.

§ VI.

SExta & ultima Ala est, sine qua reliquæ perfici non valent, maximè est necessaria, nimirum *Devotio ad DEUM*, per quam zelus justitiæ accenditur, pietas compassionis infunditur, patientia roboratur, exemplum bonum conditur, discretio clarificatur. Hæc est Unctio Spiritus, docens de omnibus, quæ expediunt saluti. Unde dicit Joannes: *Vos unctionem habetis à Spiritu Sancto, & nostis omnia, & non necesse habetis, ut aliquis vos doceat: sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus.* Et infra Seraphicus Doctor post enumeratos mirabiles devotionis effectus (de quibus alibi) ait: PræcipuèRector animarũ studiosus esse debet eam *id est devotionem* habere, per quam semper informetur quid faciat, adjuvetur ut possit, conservetur, ne deviet. Non enim solùm pro se orare necesse habet, sed etiam pro illis qui sibi commissi sunt, quos non sufficit sine Divino auxilio custodire. Nam, *Nisi Dominus custodierit civitatem*, &c. Est enim Prælatus mediator inter DEUM & Subditos, ut sicut negotium DEI gerit apud illos, docendo, corrigendo, sursum agendo; ita etiam negotia eorum studeat apud DEUM fideliter promovere, placando, gratiam impetrando, & conservando à malo. Unde & scriptum est: *Ego sequester & medius fui inter DEUM & vos.*

2. Joan. 2. — *Vide de Gaudio Spiritus S.* — *Psal. 126.* — *Deut. 5.*

Alia autem devotio communis, alia specialis, alia assidua: communis in Divinis officiis, specialis in orationibus, assidua in omnibus agendis. Quod concernit Communem devotionem vide infra suo loco. Quod verò Specialem devotionem in oratione id est mentali & vocali attinet: Si Prælatus præpeditur variis curarum distractionibus, speciali devotione sæpiùs intendere: saltẽ interdum, cum opportunè valet; quasi furtim & raptim ad orationis studium

1. 2. tra. 2. c. 6. sect. 5. subs. 1. § 1.

dium se conferat, ne omnino refrigescat, ne in desvetudinem orandi veniat, ne à DEO alienus efficiatur, ne gratia Divinæ propitiationis ei quasi insensibiliter subtrahatur. Unde Moyses cùm per populi negotia exteriùs vexaretur, crebrò in tabernaculum fœderis ad Dominum recurrit, familiare ipsius colloquium ibi expetens, quo intrinsecus in Spiritu reficeretur. Dominus quoq; diebus prædicans turbis, noctibus in orationibus solus pernoctavit. Et licet parva detur mora Prælato orandi, tamen quia pro aliis debet ex officio orare, datur ei quandoque propter alios copiosior orandi gratia; ut quibus prodest agendo, possit etiam orando prodesse, tantùm non negligat quærere, nec abjiciat cùm offertur, ne ex merito ingratitudinis ab eo gratia elongetur.

Quod Assiduam devotionem spectat: hæc semper debet Prælato adesse, sicut & quibuslibet proficere volentibus in religionis virtute. Et ipsa triplex est: Una est jugis memoria DEI ante oculos cordis. Alia est continuum studium DEO placendi in omni actione vel locutione. Tertia est omnia agenda oratione saltem mentali prævenire, ad omnes eventus oratione se præmunire, & omnia beneficia gratiarum actione prosequi ac laude Divinâ. Et in omnibus agendis semper plus orationi fidat, quàm propriæ industriæ vel labori.

His igitur & aliis pennis Ecclesiasticus Seraph id est Prælatus Spiritualis, Domino sedenti super solium excelsum & elevatum, ornatus assistat: quarum primas duas super caput elevet, mediis duabus corpus & pedes contegat, ultimis duabus in latum & altum volet: ut zelum ejus non humanæ laudis fervor deprimat, nec compassionem ejus carnalis inclinet affectus, sed sursum recta intentio sustollat, & fraternæ charitatis pietas in altum erigat, propter retributionem supernam, juxta illud Psalmistæ: *Inclinavi cor meum ad faciendas*, &c. Patientia verò, & vita exemplaris contegant eum à perturbationum jaculis, & à nuditate inopiæ meritorum, quibus quasi armis defendatur, & quasi sacris vestibus adornetur. Unde ait Isaias: *Induere fortitudine tuâ Sion, induere vestimentis gloriæ tuæ.* Circumspectione verò ubique circumvolet, videndo quid, & qualiter sit agendum; & devotionis studio, quæ sursum

Psal. 188.

Isa. 52.

Coloss. c.3. sursum sunt, quærat, ubi *Christus est in dextera* DEI *sedens* sublimi volatu ad ipsum accedens. *Hactenus S. Bonaventura.*

SUBSECTIO VI.

De Causalitate morali Magistri Spiritualis in Actus Salutares Discipulorum Divinæ Sapientiæ.

MAgister Spiritualis Quis, Qualis, Quæ ejus necessitas & utilitas, & Quomodo suo officio fungi debeat, patebit sequentibus.

§ I.

QUod concernit primum punctum: Magister Spiritualis videtur expedire *Primò,* ne sit Superior (loquor autem spectatâ calamitate præsentis temporis in paucitate dignorum Superiorum) Tum quia plerumque Superiores graviter distrahuntur ad Marthæ officia in cura, providentia, conservatione rerum temporalium suæ Congregationis; munus verò Magistri Spiritualis totum sibi vendicat hominem: Tum quia Superiorum est errores, abusus, culpas delinquentium privatim & publicè arguere, punirè; quod facile in imperfectioribus Subjectis (quorum infinitus numerus) solet labefactare ad Superiores Confidentiam, sine cujus medio Magister Spiritualis ne hilum valet: Tum quia ipse terror Superioritatis ingerit potiùs Subjectis timorem & recessum à se quàm amorem & accessum; quod à Magistro Spirituali summè vitandum. Si tamen Superior agat Magistrum quoque spiritualem, prout revera est hæc potissima pars Officii superioralis, videat infra, qualiter se hoc in munere gerere debeat.

Secundò. Magister Spiritualis procul esse debet à negotiis officiorum Communitatis, sive illa officia versentur circa administrationem temporalium, sive spiritualium distractivorum; maximè in corrigendis aliis pænaliter, ne quidem adsit consilio. Horum rationes datæ immediatè.

Tertiò. Multùm videtur boni importare, si Magister fuerit Confessarius suorum Spiritualium Discipulorum. Eò enim confidentiùs coram ipso extra Confessionem aperient suas tentationes, defectus, vel profectus spirituales, &c. quò majorum secretorum

torum cordis, nempe suarum culparum occultarum noverint illum esse ex confessione conscium. Ipseque Magister fundamentaliùs noscet conscientias suorum Discipulorum: unde & cuivis proportionata magis poterit adaptare media spiritualia ad finem supernaturalem.

Quartò. Eligentes Magistrum Spiritualem, videant perspicaciter Quem seu Qualem constituant, ne si errore vincibili, aut affectu inordinato minùs aptum elegerint, horrendum DEI subeant judicium. Quippe in Magistro totum pondus profectus vel defectus spiritualis animarum, ac exinde major vel minor fructus in Ecclesiam DEI redundans, consistit. Quibus autem qualitatibus Magister Spiritualis eligendus præditus esse debeat, sequitur.

§ II.

Qualitates Magistri Spiritualis patent proportionatè ex dictis Sectione quinta præcedenti; nimirum eum esse oportere unum de Seraphim, seu ardentem & lucentem. Ardentem *Primò* Charitate in DEUM: quia cùm sit Perfectionis Christianæ Magister, perfectio verò in perfecta DEI charitate essentialiter & principaliter sistat, quomodo is docebit practicandam perfectionem, qui perfectâ seu summâ ardentissimâque charitate in DEUM caret? docere quidem ejusmodi potest, sed cum modico fructu, non enim alios ardere faciet ipse non ardens.

Ferveat *Secundò* necesse est Dilectione in Discipulos suos, sicut Pater & Mater in suos filios, quos enutriat, donec in eis *formetur Christus in virum perfectum*; imo tanquam Animam suam, quatenus membra & sangvinem Christi, suos Discipulos æstimet, amet, & curet. Appositè hìc *mellifluus Doctor* discurrit: Longè tamen graviori & periculosiori debito tenentur adstricti, qui pro multis animabus reddituri sunt rationem. Quid ego infelix, quò me vertam, si tantum thesaurum, si pretiosum depositum istud, quod sibi Christus sangvine proprio pretiosius judicavit, contigerit negligentiùs custodire? Si stillantem in Cruce Domini sangvinem collegissem, essetque repositus penes me, in vase vitreo, quod & portari sæpiùs oporteret, quid animi habiturus

Epist.Gal. c. 4. & Eph. c. 4.

S. Bernard. in Adv. Domini serm. 3.

„ biturus essem in discrimine tanto? Et certè id servandum ac-
„ cepi, pro quo mercator non insipiens (ipsa utique Sapientia) san-
„ gvinem illum dedit. Sed & habeo thesaurum istum in vasis fi-
„ ctilibus, & quibus multò plura quam vitreis imminere pericula
Homil. 17. in „ videantur.)) Quare S. Gregorius rectè ait: *Qui caritatem erga al-*
Evangel. *terum non habet, prædicationis officium suscipere nullatenùs debet.* Et
Petrus nonnisi trinâ interrogatione à Christo probatus de sua di-
V. Joh. 21. lectione *Petre amas me:* curam pascendi gregis Dominici accepit.

Deinde Lucens sit humilitate & mansvetudine, aliisq; insi-
I. Cor. II. gniis virtutum, ut possit cum Apostolo dicere. *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi,* sitque primò potens opere, tum sermone: ita enim exemplo proprio, brevi perficiet discipulos suos in summa virtutum. Deinde quia nunquam tantâ efficaciâ Speculativus virtutis Doctor potest docere virtutem, nisi etiam fuerit Practicus: multò enim meliùs, & aliter, per experimentalē scientiam virtutis, de ea conceptus formantur, v. g. quoad arduitatem, modum exercendi, &c. quàm in speculatione erant formati. Porrò humilitas Magistro post charitatem maximè necessaria, ne in Domo DEI supra candelabrum positus, tanquam omnium opinione perfectissimus, à flatu superbiæ extingvatur. Mansvetudo autem, ut sciat alios corrigere in Spiritu lenitatis: ubi omnino caveat duriorem correptionem, ne affectus imperfectiorum à se alienet. Præstat enim lenissimâ correptione longanimiter & patienter durum cavare ac emollire cordis lapidem, quàm in impetu Spiritus vas confractum irreparabiliter conterere. Semel enim perdita confidentia non tam facilè reparatur. Diffidentia verò inter Magistrum & Discipulum quid afferet, nisi aversionem animi, fictionem & simulationem, nil boni, plurima mala? Imo, dum quispiam graviùs corripitur à Superioribus, apud eosdem intercedat Magister, in cujus gratiam prudentes Superiores de pœna aliquid minuant, ut ita major concilietur animorum unio Magistrum inter & suos Discipulos. Neque unquam deferat ad Superiores vitia suorum Discipulorum in specie nisi ex consensu eorum, vel nonnisi in genere ut v. g. sint Vigilantiores Superiores circa talia Loca, vel Tempora &c. in quibus abusus aliqui contingunt: Quodsi Magister simul sit & Superior, ne à se absterreat piam confidentiam

riam

tiam suorum discipulorum, omnimode caveat indiscretum zelum in corrigendo; vel si puniendum est, eâ industriâ utatur quòd reus verè agnôscat se esse dignum pœnâ, eamque ultro & libenter acceptet. Id fieri potest, si reo manifestè ostendatur privatim sua culpa, si protestetur Superior, non ex ullo odio, sed mero amore velle & debere punire publice, propter observantiam S. Regulæ, &c. ne ob impunitatem scandalizentur alii, ne tum reo tum Superiori postea exprobretur, &c. Deinde publicè & judiciariè corrigens, non nimiâ utatur authoritate in situ, vultu, oculis, voce, verbis, sed quandam mansvetudinem cum mediocri severitate permistam habeat; neque multùm perstringentia verba vibret; ipsamque pœnitentiam moderetur. Denique post executionem pœnitentiæ, ipsum consoletur privatim: & imperfectiores pusillanimes imagunculâ, vel haustulo vini, vel portione cibi lautiori, &c. exhilaret: Moneatur verò, ne Diabolo det locum, conanti ruinare confidentiam inter Superiorem & Subditum; quâ labente infinita bona impediuntur, & infinita mala exoriuntur in regimine animarum, quæ tandem simul cum suo Regente plerumque æternùm pereunt. Jam verò non tam in sua Industria, quàm in ferventissima sua & suorum Oratione ad DEUM ponat fiduciam, qui omnia potens, *de lapidibus* quoq; *suscitare filios Abrahæ* seu obstinatissimos & induratos malis facile corrigere valet. Quod etiam faciendũ & circa alios Discipulos, ut capiant incrementa in profectu Divinæ Sapientiæ seu perfectionis Christianæ. *Non* enim id *volentis neq; currentis sed miserentis est DEI.* Porrò ejusmodi qualitatibus instructum Magistrum Spiritualem requirimus ad rei exigentiam; & spectato ordinario cursu providentiæ DEI. Nam extraordinariè videns DEUS vel bonam voluntatem assumentis sibi aliquem minùs aptum in Magistrum Spiritualem, vel in defectu qualificatorum, vel ratione officii Superioralis (si Superior est) vel ratione oneris Magistri Spiritualis ex obedientia suscepti; defectus, si qui reperiuntur, supplet supernaturali lumine & gratiâ extraordinariâ, ut rite possit fungi officio suo. Nihilominùs tamen ejusmodi imperfectus Magister (quod & perfectissimis expedit) semper corde quandoque & ore fateatur coram suis Discipulis, indignum se esse hoc Angelico imo Divino munere ac

Matth. 3.

Rom. 9.

vires ſuas excedere; altisſimarum Divinisſimarum, ſupernaturaliumque rerum eſſe Magiſtrum, facere tamen pro poſſe, ex intenſo amore ſalutis & perfectionis ſpiritualis ſuorum Diſcipulorum; Quodvè profectûs ſpiritualis in vita ſua deeſt, in vita ſuorum Diſcipulorum ſuppleatur, gaudeatque ſi non de proprio, ſaltèm de alieno fructu, &c. Tali enim actu humilitatis, majorem gratiam pro ſuo officio meliùs exequendo apud DEUM merebitur, & apud Diſcipulos, ſi quid ſiniſtræ opinionis ex defectu quopiam ortum fuerit, facilè diluetur.

§ III.

QUanta ſit Necesſitas Magiſtri Spiritualis pro omnibus Vitæ Chriſtianæ ſtudioſis liquet. Proverb. 11. juxta 70. Interpretes dicitur: *Quibus non eſt gubernatio, cadunt ut folia, ſalus autem eſt in multo conſilio.* Quæ explicans *S. Dorotheus* inter cætera ait. *Monet ac cavere nos docet, ne nosmetipſos inſtituere & informare velimus: ne ſciolos nos, prudentes atq; cordatos exiſtimemus; névе omninò credamus poſſe nos ipſos regere aut gubernare.* Ubi oſtendens periculum eorum, qui carent Duce Spirituali in via

S. Doroth. ſerm. 5.

„ Domini ex ſimilitudine foliorum ita diſcurrit: Quia ſicut folium
„ initio viride & jucundum, ſenſim langveſcit, areſcit, cadit &
„ conculcatur, ſic & Religioſus principio quidem fervorem habet
„ quendam ad jejunia, ad vigilias, ad quietem & ſilentium, ad o-
„ bedientiam, & cætera ejusmodi bona. Deinde fervore illo
„ ſenſim extincto, ſi nullum habuerit, qui moderetur eum, & fer-
„ vorem illum jam extinctum excitet, accendat, foveat, & nutriat;
„ is proculdubio ceu arefactus ac deſiccatus cadit, atque in mul-
„ tos errores & peccata perfacilè dilabitur: fitque miſer captivus,
„ & veluti mancipium ab hoſtibus ſusque deque raptatur, ludi-
„ brio exponitur, & ea deniq; fiunt in eo, quæ hoſtibus ſuis placent.
„ De his verò, qui ſua ſenioribus denunciant, atque aperiunt; ni-
„ hilque temere, & absque conſilio gerunt, dicit Scriptura: Salus
„ autem eſt in multo conſilio. *B. Laurentius* inquit: Cuncti in-
„ digent præceptore, quamvis non æquali. Quemadmodum verò
„ alia ſunt infantium joca, alia juvenum exercitia, alia ſenû inſtituta:
„ Ita etiam ſpiritualiter, non enim incipientium, proficientium,

B. Laurent. lib. de Caſto Connub. c. 3.

& perfectorum similia sunt, licet finis dissimilis non sit. Primi „ circa exteriora, secundi circa interiora, circa Divina tertii exer- „ centur.)) Quia ordinariè juxta axioma receptum: Nulla ars sine Magistro discitur, suppone perfectè; Quidni ars artium Divinissima, supra naturam, captum & sensum humanum, vita Spiritualis absque Magistro addiscatur? Hinc *S. Bernardus*: Qui se *inquit* sibi Magistrum constituit, stulto se Discipulum subdit. Et *Climachus*, citatus à Gersone: Qui sibi dux esse vult, spreto duce proprio, non jam indiget dæmone tentante, quia factus est sibi dæmon.)) Jam vide, quid Tu ipse stultus Magister & dæmon tibi factus, te ipsum docere possis, nisi errores & perniciem æternam. Ratio insuper est, summa difficultas inveniendi Mediũ in exercitio virtutum, (vel ob ignorantiam, vel etiam ob dæmonis & carnis tentamenta) ne videlicet per defectum vel excessum delinquatur. Nam ad defectum tentans dæmon, rebellis appetitus, propriusq; amor, potentissimè & calidissimè urgent. Ad Excessum verò in virtute, Angelus sathanæ transformatus in Angelum lucis sub specie boni facilè incautos perducit, & perdit. Deinde hoc vult DEUS (ut *S. Bernardus* inquit) ut homo per hominem doceatur. Et *Cassianus* ait: Unde manifestissimè comprobatur nulli à Domino viam perfectionis ostendi, qui habens unde valeat erudiri, doctrinam Seniorum, vel instituta contempserit.)) *S. Vincentius*: Imo plùs dico, quod nunquam Christus suam gratiam ministrabit (sine quo nihil possumus) si homo habet, à quo possit instrui, ac deduci, & negligit, vel non curat alterius ducatum amplecti, credens se sibi sufficere, & per se posse investigare, & invenire; quæ sunt utilia ad salutem.)) Neque dicas aliquos immediatè edoctos à DEO, vel à SS. Angelis, sine visibili Magistro; nam *S. Bonaventura* ait: Quia verò tales difficile est reperiri, ideo paucis convenit vivere absque obedientiæ jugo. Ideo & qui aliis præsunt, ut meliùs & cautiùs agant, necesse aliis subesse, à quibus regantur, usque ad summum omnium Pontificem, qui vice Christi Caput est totius Ecclesiæ militantis.)) Itane etiam ipsis Superioribus, etiam Senioribus, quamvis perfectis, sanctis, doctis, discretis, prudentibus, magnæque sint experientiæ opus est Magistro quamvis juniore, minùs perfecto & erudito? Ita equidem *S. Chrysostomus* asserit

S. Bernard. Epist. 87. ad Oger. can.

Gerson. T. 1. consid. de lib. pag. 2.

S. Bernard. lib. de ord. vit.

Cass. coll. 2. cap. 15.

S. Vincent. tra. de vita spirit. c. 4.

S. Bonav. l. de sex alis seraphim. c. 2.

S. Chrysost. hom.

hom. 22. in Epist. ad Rom. 12. ferit dicens: Consiliariis omnes opus habent, etiamsi Moysi (*qui licet cum DEO sæpiùs loquens facie ad faciem, optimum tamen Consilium Jethronis Madianitæ acceptavit*) conferri possint: Multa enim sunt quæ magni & admirabiles viri ignorant, quæ tamen parvi abjectique scire solent.)). Hinc S. Franciscus Seraphicus non erubescebat à minoribus parva quærere verus Minor; qui magna didicerat à Magistro supremo. *S. Bonavent. in vita S. Francisci c. 12.* Studio namque præcipuo solitus erat exquirere, quali viâ, qualive modo, DEO posset secundùm ejus beneplacitum perfectiùs deservire. Hæc summa ejus Philosophia, hoc summum ejus desiderium extitit, quoad vixit, ut quæreret à sapientibus & simplicibus, perfectis & imperfectis, parvulis & grandævis, qualiter ad perfectionis culmen virtuosus pervenire valeret.)) Accedit quòd DEUS lumen majus tribuit Superioribus, vel Magistris Spiritualibus licet minùs doctis & perfectis, illud denegans aliis. Quia juxta Angelicum Doctorem DEUS ad officium rite peragendum, ad quod aliquis à DEO assumitur, proportionata tribuit gratiæ auxilia. Deinde juxta Theologos Superiores speciales sui muneris habent Angelos præter personæ propriæ SS. Custodes, à quibus in suis officiis rectè administrandis doceantur. *Prov. 23.* Quare sapiens monet: *Ne innitaris prudentiæ tuæ,* *Prov. 35.* *& ne sis sapiens apud temetipsum.* Sed ut alibi idem ait: *Omnia fac cum consilio, & post factum non poenitebis.* Igitur omnibus necessarius est Magister Spiritualis, Incipientibus ut proficiant; Proficientibus ut se perficiant; Perfectis ne deficiant, sed ad perfectiora ampliùs proficiant. Quippe viatores sumus, & ad terminum Patriæ cœlestis non progredi est regredi, non proficere semper, est deficere; ut axioma spiritualium fert. Imo signum est illum esse eò perfectiorem, quò magis se indigere Magistro arbitratur; minùs perfectum quò in oculis suis prudentior & ferventior sine alieno Magisterio sibimet apparet. Major enim Humilitas amplioris quoque perfectionis & sanctitatis signum est. Unde ille planè *Apoc. c. 3.* juxta Apocalypsim *est miser & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus,* (in gratia Dei & virtute) qui dicit: *quod dives sum & locupletatus* (carismatibus Divinis) *& nullius egeo* (amplioris perfectionis, consilii, auxiliique humani, &c. Porrò utilitas Magistri colligitur ex illa *S. Vinc. tr. de vita spirit. c. 4* nobilissima doctrina *S. Vicentii* dicentis: Sciendum igitur, quòd homo

homo faciliùs, & in breviori tempore posset ad perfectionem pertingere, si haberet instructorem, cujus regimine duceretur, cujus obedientiâ in omnibus actibus, parvis & magnis, totaliter sequeretur, quàm aliquis posset se ipsum perficere, quantumcunque, vigeat acumine intellectus, & libros habeat, in quibus videat virtutum omnium structuram exaratam.))

§ IV.

MOdus, quo Magister Spiritualis officium proprium ritè obire possit in erudiendis ad Sapientiam Divinam suis Discipulis est duplex; Primus quoad eruditionem speculativam, Secundus quoad eruditionem practicam. Quod concernit eruditionem speculativam: Multùm refert ad ejus profectum, si scientia hæc (quod & de aliis intellige) proponatur ad captum & facilem intelligentiam Discipulorum; ita verò proponitur; si ad stabiliendam bonam imaginationem seu harmoniam quandam & conceptum ordinatum rerum & materiarum spiritualium in intellectu formandum accommodetur; accommodatur autem, si materiæ spirituales in serie sua ad exigentiam earum naturalem, quòd una naturaliter fluat ex alia, ut dicitur, *in filo*, ordinato cursu proponantur. Quod ipsum in gratiam Magistrorum & Discipulorum Spiritualium hoc Opere Theologiæ Spiritualis an præstiterimus, altiori judicio submittimus. Priùs enim in Summa seu in genere, tum in specie proportionatè ad cujusvis Christiani Statum & officium materias spirituales digessimus: deinde ad ipsas Causas Vitæ Spiritualis hoc Opus reducendo, easdem nempe Efficientem, Objectivam seu Materialem, ac Formalem, & Finalem inter se ordine tali (ut enunciantur) collocavimus: Sub ipsis quoq; Capitibus, Sectionibus, Subsectionibus, Paragraphis, si materia fuerit obscurior, ejus essentiam & proprietates unâ definitione declaramus; Posthæc si est res practicabilis, ad eam Discipulum Christianum variis motivis incitamus: Incitatisque spiritibus & animis ad bonum, ejus praxes porrigimus. Totius verò Operis hujus coordinationem qualis est in Libro, talem & in una Tabula simul positam ereximus, ut appareat ad oculum unius cum alio ordinata combinatio, & quomodo à Primis & infimis, per Media, ad

ad Superiora tendendum. Igitur Magister Spiritualis eandem Tabulam delineatam exponat pro suis Discipulis in publicum, in qua processum & connexionem materiarum, quas explicat, illis faciliùs indigitare possit. Pro Lectione & Explicatione difficiliorum habeat quisque Discipulorum librum impressum hujus vel similis Theologiæ Spiritualis; & si quid melius vel ampliùs Spiritus Sanctus dictaverit Magistro, Discipuli in supplemento Theologiæ Spiritualis ad hoc confecto, calamo excipiant. Reliqua speculativæ eruditionis informativa *vide supra in Præfatione, & in accessu Summæ*, &c.

Quod verò Methodum practicæ eruditionis in Sapientia Divina spectat. *Cumprimis* Magister in id unicè incumbat, ut sui Discipuli quæ didicerint, practicent, id verò infallibiliter fiet, si sub explicationis tempus, vel aliàs in publicis & privatis exhortationibus, positis à nobis motivis, sive aliunde exquisitis, ea svaviter & ardenter amplificando, suorum Discipulorum affectus efficaciter excitet ad omne virtutis genus. Tum si Discipuli fructû Lectionis vel Meditationis quotidie faciendæ in intellectu & affectu suo comparatum, coram Magistro proferant ad eum vel similem modum quem sub praxi Meditationis infra subnexuimus. Impossibile enim ut tam ab extrinseco ferventi exhortatione Magistri, quàm ab intrinseco operâ piæ Recollectionis toties potenter permoti; ut non modò timore DEI stimulentur, modò spe alliciantur, modò amore incendantur ad diluenda peccata, eradicanda vitia, plantandasque virtutes: Unde ante omnia opus est Discipulos erudire & exercere in Timore DEI, in Spe præsentis & futuræ Beatitudinis, in Amore DEI; his enim tanquam vento prosperrimo, ultro, citò, & facillimè fertur navicula animæ nostræ per mare magnum & spaciosum mundi hujus, ad portum consummatæ virtutis; modò sit navarchus seu Magister talis, qui prudenter sciat hant naviculam dirigere inter Syrtes & Charybdes, scopulos, procellasque multiplicis periculi, ne naufragetur.

Itaq; *Secundò*: Spectatis circumstantiis, conditionibus, &c.
l. 2. tract. c. 1. (de quibus fusè infra) cujusque suorum Discipulorum, eis pro-
sect. 4. subs. 1. portionata assignet virtutum exercitia in praxim deducenda.
§ 9. Et quidem *incipientibus in via purgativa* præcipiat se exercere.

I. *In*

I. *In Resignatione voluntatis propriæ in Divinam.* Ubi tamen caveat eis nimis heroicos actus proponere. V. g. si DEUS vellet hominem atrocissima & ignominiosa in hoc mundo pati innocenter, uti S. Job. damna, ulcera, calumnias; vel rotas, patibula, &c. vel privari Cœlo, damnari in æternum absque peccato,&c. ipse quoque homo deberet se conformare voluntati DEI. Talibus enim imperfecti nimis terrentur,& pusillanimes fiunt; quæ perfectis exercere sunt nimis desiderabilia. II. Injungat exercitia actuū *simplicis & cæcæ Obedientiæ.* Omnino Magister hoc in puncto præcipiendi Antonium & Dorotheum se exhibeat, Discipuli in obediendo simplices Paulos & Dositheos. Ad quorum vitas legendas & practicandas vel formaliter, vel æquivalenter, Magistrum cum suis Discipulis remitto. III. Exerceat Magister Discipulos *in Odio & Contemptu Mundi, seu in amore S. Paupertatis.* IV. *In Humilitate, maximè in Odio & Contemptu sui.* Quarum Virtutum uti & aliarum præcipuarum *Praxes* sub singulis earum *infra* proponuntur. Porrò modò specificatas virtutes Resignationis, Obedientiæ, Contemptus mundi, Humilitatis, jubeat Discipulos exercere, ex motivo Timoris DEI, Spei, ac propriis earum motivis. Tum, ut in Timore DEI & Spe ampliùs radicentur Discipuli: Tum, quia SS. Patres & Magistri Spirituales easdem Virtutes in specie sua denominatas prærequirunt ad fundamentum seu initium Vitæ Christianæ. Exerceantur verò ex præfatis motivis dictæ Virtutes, singulæ *uno Mense.* *Ubi Adverte* 1. Siquidem præfatæ Virtutes sunt generales, & ipsa quoque humilitas ferè vagatur per omnes Virtutes, potest Magister sub prætextu unius ex sæpè dictis Virtutibus v. g. sub titulo simplicis Obedientiæ imperare pro exigentia cujusque Discipuli actus exercendos illius Virtutis, quam videt necessariam & expedire ad corrigendum aliquod prædominans vitium in singulis suorum Discipulorum; alius enim hoc, alius illo laborant defectu. *Adverte* 2. Non omnibus Discipulis æqualiter imponendi sunt actus dictarum Virtutum, sed ferventioribus perfectiores, & difficiliores; minùs ferventibus imperfectiores, ac faciliores, ne præ pusillanimitate spiritus deficiant. Imò subinde expediet maximè imperfectioribus, quatenus rogent Scripto à Magistro actus illius

l.2.tra.2.

Virtutis (quæ est illo tempore in exercitio) cum sua licentia perficere; ita enim seligent suæ debilitati proportionatum Virtutis laborem, nec quidquam aliud causare poterunt. Exacto autem suprатacto tempore aliquot Mensium in exercitio Resignationis, Obedientiæ, Contemptus Mundi, & Humilitatis, jubeat Magister easdem Virtutes exercere, insuper ex motivis seu objectis formalibus *Poenitentiæ & Mortificationis*. Jam enim præcedenti tempore dispositus animus, poterit dignos fructus Pœnitentiæ facere, nec Mortificatio seu Mors Spiritualis vel ipso nomine horrida, ampliùs amara, quin potius ipsa amaritudo dulcissima videbitur. Porrò in exercitio *Poenitentiæ & Mortificationis* quamdiu immorandum: Similiter in *Via Illuminativa & Unitiva* quomodo progrediendum vide *infra* 1.2.*trac.*1. *cap.*1. *sect.*4. *subsect.* 1. § 9. *circumstan: Quando*. *Praxes* quoque exercendi se in præfatis virtutibus *vide ibidem subsect.* 2. & 3. & 4. Tum sub singulis ipsarum 1. 2. *tract.* 2.

Tertiò: Magister certis temporibus privatim cujuslibet Discipuli etiam extra Confessionem conscientiam conveniat, persvadeatque aperiri sibi cor ipsius; an scilicet v. g. aliquas, & quales, patiatur tentationes, anxietates, scrupulos, &c. quibus remedia curativa & simul ab aliis imminentibus præservativa porrigat: an assignata Virtutum exercitia juxta circumstantias Quando & Quomodo infra signatas practicet, & cum quali profectu in dies, hebdomadas, menses, annos; Vel si à Virtutum quandoque praxi impediatur extra vel intra manifestet quid illud sit, ut amoveri possis. Ad quæ præstanda, omnia quæ hoc Opere continentur, facili & vario modo accommodari queunt. Deinde si Magister Spiritualis est unus de illa Communitate, de qua sunt aliqui suorum Discipulorum securè potest inquirere (in quo etiam danda est potestas Magistro ab altiori Superioritate) an aliqua videat vel audiat majoris momenti inconvenientia fieri in illa Communitate, ut impediantur; quodsi fiant, tacito nomine referentis denunciet illa Superioribus, ideò ut sint vigilantiores, vel si ita expedit, ulteriori inquisitione factâ, paternè aut judiciariè corrigant delinquentes. Hoc medium infinita mala tollit de Communitatibus, cùm etiam occultè commissa ferè cuncta in lucem seu notitiam

Margin: 1.2. *tra.*1. *c.*1. *sect.* 4. *subs.* 1. § 9.

Superio-

Superiorum facilè revelari timeantur, aliàs in occulto mansura, cum pernicie delinquentium. Tum ob negligentiam Superiorum, qui similia Scrutinia subinde in Congregationibus suis instituere deberet, & passim negligunt. Tum ob diffidentiam suorum ad Superiores, quos licet aliqui informare vellent, quid agatur in Communitate, non audent vel ob imprudentiam Superiorum, qui absq; necessitate facilè produnt Delatores & ita scindunt Charitatem; aut contra, eisdem Delatoribus leviter credunt, & sic persequuntur innocentes, & turbant Congregationem. Deinde quis est ex inferioribus, qui delinquentem Superiorem suum corrigere audeat? Id facili negotio præstare potest Magister, referens per se vel alium Superiori hæc vel hæc N. N. de illo spargi in sua Congregatione, vel alibi; quod si vera sunt, humiliter obsecret eum ampliùs illa non debere committere, vel placidè Superiorem commoneat diligentiæ & vigilantiæ in suo officio, &c. juxta quod S. Basilius præscribit *Monitore* opus esse etiam Superioribus dicens: S. Basil. Reg.
„Quemadmodum necessariò iis, quibus præest, omnibus in rebus fusio. 27.
„recti itineris dux esse Antistes debet: ita quoque vicissim reliquorum officium est, si quæ unquam minùs laudabilis de Antiste orta suspicio sit, ipsum admonere. Verùm enim ne quæ constanti disciplinæ ordini injuria fiat, hujusmodi admonitio ad eos est deleganda, qui tum ætate, tum prudentia in Societate reliquis præstant. Ita enim fiet, ut sive quid fuerit, quod emendationem desideret, & Fratrem ipsum nostrum juvemus, simulque unâ atque eadem operâ nos ipsos etiam, qui videlicet ipsum qui vitæ nostræ veluti norma sit quædam, suaque ipse rectitudine pravitatem nostram arguere debeat, distortum ad rectum revocemus. Quod si temere quidam secus de ipso suspicati non nihil turbellæ addiderint, ii cognitâ veritate corũ, propter quæ in falsam suspicionem illam venerant, certi de eo ampliùs jam dubitare desistant. Ecce quantâ cautelâ & circumspectione & Superiores & Inferiores omnes vitam suam in posterum disponent, dum vix non penetrari arcana cordis sui à Magistro Spirituali existimabunt. Quare altiores Superiores Constitutionibus suis id firmare expediret, debere omnes in suis Congregationibus existentes liberrimè accedere Magistrum Spiritualem, & ei referre,

quæ cedere possunt in detrimentum animarum, & bonorum temporalium illius Communitatis. Magister verò tacito nomine referentium, insinuare Superioribus, qui si se vel suos non correxerint, altiori Superioritati significare. Æstimo non esse isto efficacius remedium ad continendum Communitates in Observantia optima legum sui Status, & ad sanctè vivendum.

Animadvertendum quoque est, licet Magister Spiritualis non sit de gremio illius Communitatis, de qua aliquos habet Discipulos; quia tamen habet jurisdictionem quandam Superioritatis in Discipulos, licet ei omnia impedimenta resecare, quæ Discipulo obicem ponunt ad profectum in sua Scientia; Unde ac multò magis & in profectu Sapientiæ Divinæ seu Virtutis; ejus defectus in suo Discipulo complices potest requirere Magister in genere & non de nomine specificandos, nisi fortè aliquid aliud & nomen seu personam scire exigeret; planè ad eum modum quo in Confessione Sacramentali complex peccati occurrit necessariò dicendus tacito vel expresso nomine personæ. Sic enim & Superiores Religiosorum rectè scire volunt etiam de persona & nomine complices peccatorum suorum Religiosorum, etsi supra illos complices nihil jurisdictionis habeant. Præstat namque ut pereat fama, quàm anima. Attamen non licet ampliùs inquirere de non subjectis suo Magisterio, nisi quatenus concernit profectum & defectum virtutis sui Spiritualis Discipuli.

§ V.

PRAXIS manifestandi suum Statum Magistro Spirituali.

SIcut de ignotis non datur scientia: ita quoque impossibile est, ut Magister Spiritualis, vel Superior, convenienter possit dirigere suos Spirituales Discipulos ad finem Supernaturalem, quorum ignorat Statum internum. Esset id planè applicare medicamenta, ignotâ qualitate morbi; ut non tantùm quis convalescat, quin potiùs amplius detrimentum sanitatis, sive periculum mortis, incurrat. Unde maximi pretii æstiment hoc exercitium Manifestationis: ex quo totus penè profectus Spiritualis

tualis dependet; eoque velociter curritur ad perfectionem. *P. Dominicus Carmelita* inquit; Superior (*sive Magister*) experientiâ doctus, quàm sit necessarium pro bona pace, & interna quiete subditorum, privatam cum illis habere Communicationem, non solùm benevole suscipit omnes; sed & eos sæpè interrogat, de suo ipsorum statu, tam corporali, quàm Spirituali, invitans ad confidenter declarandas omnes infirmitates suas, tam corporales, quàm Spirituales; Sed præsertim vult certior fieri de omnium & singulorum interiori pace, & animæ requie; & nihil tam lætificat eum, quàm scire, quòd omnes unanimes, in bona pace, absque inquietudine & anxietate vivant. Et ideo modò hunc, modò illum paternè interrogat, quomodo se habeat tam interiùs quàm exteriùs: & cùm non licet ei per otium hoc facere, deputat quosdam ex perfectioribus, quibus Fratres confidentiam habeant declarandi se totaliter, ut per eos reddatur certior de omnibus. *Idem infra*: Quia autem unusquisque pro certo tenet, quòd omnes gratias Spirituales, infusiones, irradiationes, quas DEUS immittit in devotorum animas, illas, inquam per ministerium dirigentis Superioris, tanquam per alveum, soleat infundere, cùm nec aliud evidentius signum inveniri possit de veritate animæ benè in DEO fundatæ, quàm humilis submissio, & resignatio in manus Patris Spiritualis, seu Superioris. Ob hoc, inquam, unusquisque, in quacunque sit Spiritus exercitatione, sequitur semper consilium Superioris, seu Patris Spiritualis. At ipse ubi videt in eis talem resignationem, cum magna discretione eos ad Sancti Spiritus sequendos influxus promovet, nec retardat voluntates ad DEUM, sed elevat: dummodo eos videat humiles, demissos, & resignatos. *Idem paulò post*: Quos videt contemplationi deditissimos, hos fovet omnimodè, sciens certò eos esse quasi bases firmissimas Religiosæ Communitatis, & tanquam alveos, per quos in reliquum corpus gratias cœlestes influit Divina largitas. Enimverò quisquis novit quantùm in anima devota elevata, & verè contemplativa sibi complaceat DEUS, nosse potest, quanta per eam beneficia soleat impertiri, cùm constet majora beneficia, quæ unquam DEUS communicavit, mediantibus amicis, & fidelibus servis suis esse communicata. Sed qui obsecro fideles servi, sed & amici

P. Dominic. à S. Alberto. Opusc. Exerc. Spirit. Reg. Magist. Nov.

DEI sunt; nisi qui totâ die & totâ nocte, suspirant ad eum amorosis gemitibus? qui ne tantillo temporis momento, à contemplatione vultus ejus discedunt, qui stant ad omnem nutum ejus, colloquentes cum eo in omni ferme loco, & tempore, conversantes cum illo, tanquam filius cum patre, amicus cum amico, tanquam sponsa cum unico sponso suo? *Hæc ille.*

Igitur tum ipsi Discipuli post serium examen suum manifestent, tum Magister ipse interroget quæ videt expedire pro cujusq; persona, juxta sequentia *Puncta.*

Oratio ante manifestationem Status.

DOmine DEUS & Pater coelestis, qui mihi tanquam Neogenito de vero Patre providisti, in cujus persona vis à me recognosci; utpote qui Tui, Domini mei locum tenet; concede mihi gratiam, ut eidem statum meum aperire possim, ab eoq; lumen & omnem in via spirituali directionem accipere. Elide Domine omnia sathanæ tentamenta; ut non turbet animam meam, vel in meum detrimentum aliqua conscientiæ secreta aperire negligam. Hanc mihi insuper ô Virgo sacratissima gratiam impetrare digneris.

Modus examinandi Statum Discipulorum.

NE stulti pudoris aut cujuspiam alterius rationis prætextu dæmonium mutum obstruat os ad celandum statum suum maximè quoad tentationes, defectus, &c. Expedit *Primò*, ut Magister Spiritualis sit Confessarius Discipulorum suorum; Ita enim extra Confessionem quoque confidentiùs propalabunt arcana cordis sui. *Secundo.* Dicat Magister se quoq; impugnari variis tentationibus v. g. superbiæ, iræ, acediæ, &c. In multisq; offendere. &c. Quali industriâ S. Macarius Fratrem quendam prius celantem postea induxit ad manifestandas cogitationes suas. *Tertiò.* Persvadeat esse magnum malum celare morbos animi, quibus perit æterna salus, venit perpetua mortis agonizatio in inferno.

In vitis Patrum.

Primum Punctum Examinis.

1. Cor. 15.

QUoniam juxta Apostolum *priùs quod animale, deinde quod spirituale*; Igitur examinabuntur à Magistro. *Quoad Corpus.* 1. An sint ex integro sani; an sentiant aliquos capitis, stomachi dolores; an benè dormiant: an habeant necessaria quoad

ami-

amictum, & supellectilem? 2. An particularem in tolerando labore, fame, siti, vigiliis, frigore, habeant difficultatem? &c.

Quoad Animam. 1. Quales obedientiæ actûs sint ipsis difficiliores? 2. An non pungantur duris verbis in correctionibus? 3. An non scandalizentur ex aliquo aliorum malo exemplo? 4. An non molestum sit ipsis servare solitudinem, silentium, &c.

Quoad Tentationes, Passiones, & Inquietudines. 1. Circa castitatem quos motus sentiant, & quænam circa illos adhibuerint remedia? 2. An desiderent reverti ad sæculum, cogitent de mundo, parentibus suis? 3. An inveniant se pusillanimes & dejectos, desperantes posse unquam assequi perfectionem? 4. An dum correcti à Superiore, vel propter aliquam mortificationem impositam contristati sint? 5. An habeant contra alios aversiones naturæ, displicentias, & quædam vindictæ desideria? 6. Denique an suos defectus per quosdam falsos prætextus tegere soleant? &c.

Quoad Orationem. 1. An se fideliter præparent? 2. Quæ materiæ congruant? 3. Quænam ipsis magis arrideant? 4. An facilitatem in materia meditando habeant? 5. An distractionibus perturbentur? 6. An faciles sint in commovendo? 7. An potissimam in affectibus partem consumant? 8. Quos ordinariè soleant habere affectus? 9. An devotionem sensibilem requirant; an delectentur in illa; an illam non habentes fiant impatientes; quomodo se in ariditate gerant? &c.

Quoad præsentiam DEI, & memoriam Divinorum. 1. Quam habeant in elevanda mente ad DEUM facilitatem? 2. An hæc elevatio sit violenta, svavis, libera, & gaudiosa? 3. An actus illi fiant cum impetu, capitis dolore & intensione, vel moderatione, svavitate, & tranquillitate? 4. An sibi sint atteti in practicandis occasionibus virtutum, humilitatis, paupertatis, charitatis erga fratres &c. 5. An in omnibus rebus Divinis & Spiritualibus gerant se cum alacritate vel tædio? &c.

Quoad Officium Divinum, & SS. Communionem. 1. An Divinum Officium magni faciant? 2. An Cantus & Ceremoniæ placeant? 3. An gerant se cum devotione & attentione? 4. An aliquos in Psalmorum vel Officii decursu experiantur motus internos? 5. Qualem in Cõmunione præponant præparationem? & qualem experi-

antur fructum; & an ad illam famescant; illam appretient; an libenter ministrent ad Missas? &c.

Quoad Mortificationem tam internam quàm externam. 1. An laborent sedulò in eradicandis imperfectionibus? 2. Quem inde fructum reportent? 3. An aliquid singulariter appetant; an generosè superent & mortificent se? 4. An desiderent sæpiùs officia mutari? 5. An laborent in sensibus externis componendis, & Religiosa modestia conservanda? 6. An ex subreptione committant suos defectus, vel per advertentiam? 7. An profectum aliquem ex lapsibus cognoscant? &c.

Secundum Punctum Examinis.

EXaminabunt se, vel examinabuntur à Magistro. I. An Exercitia Spiritualia peragant juxta rationem seu Ordinem *Prioris, & Posterioris; Omnis, & Alicujus; Determinati, & Indeterminati temporis?* De quo vide infra 1. 2. *tr.* 1. *cap.* 1. *sect.* 4. *subsect.* 1. §. 9. *sub circumstant: Quando.* II. An eadem exercitia spiritualia conentur peragere omni meliori modo & perfectione? De qua 1. 2. *tr.* 1. *cap.* 1. *sect.* 2. *fusè per sequentes* §§. An cum perfectionibus antecedentibus, comitantibus, subsequentibus praxim virtutum, v. g. præfigendo rectas, heroicas, & DEIformes intentiones; ex quibus motivis an timoris DEI, spei, vel amoris, vel honestatis ipsius virtutis &c.? De qua 1. 2. *tr.* 1. *cap.* 1. *sect.* 4. *subsect.* 1. 2. 3 III. An impedimenta & perturbationes animi à dæmone vel aliunde illatas circa exercitia spiritualia experiantur. Et an illa patienter ferant, nec deficiant in proposito & conatu exercitii seu virtutis omni meliori modo perficiendæ. An illum conatum in profectu Spirituali, & tribulationes circa illum obortas offerant DEO, enitanturque suaviter expedire se ab ejusmodi impedimentis & angustiis per datas informationes à Magistro Spirituali, & maximè per oraionem ad DEUM? IV. An nunc sint in exercitio seu decursu virtutum vitæ activæ, vel contemplativæ, vel mistæ: idque in via purgativa, vel illuminativa, vel unitiva: & quænam illæ sint virtutes, vel virtus: quantùm in illa profecisse sibi aliquis videtur: quamdiu in ea se exerceat, & quomodo? V. Quibus vitiis magis impugnantur, quibusve virtutibus magis opus esse illis videtur?

Tertium

Tertium Punctum Examinis.

1. AN ſint contenti Religione, vel ſuâ ſorte vocationis. An magni faciant ſuam vocationem, an non multùm curent, ſi illam perderent? 2. An majus deſiderium benefaciendi habeant quàm ante, & quare, id eſt an novos ad id à DEO motus acceperint? 3. An immiſsi à DEO motus tempore Orationis, Communionis, Lectionis Spiritualis, in cella, in menſa, & quaſi ex improviſo veniant? 4. An impetuosè, & magno fervore, vel cum quadam animi tranquillitate, ſuavitate, & dulcedine? 5. An cum magna intellectûs extenſione, ita ut tantam veritatum multitudinem detegant, ut eas diſcernere poſsint: vel utrum non cogantur inhærere veritati alicui particulari? 6. Qualem exinde praxim fecerint, ſicut & ex aliis luminibus, quæ antea receperunt?

Vide quoq; formulas Examinis *infra l. 2. tra. 1. cap. 1. ſect. 4. ſubſect. 3.* Et hic proportionatè applica; & alia quæ Spiritus S. ſuggeſſerit.

§ VI.

PRAXIS

Circa particularia exercendi Diſcipulos in Christiana Sapientia.

QUoniam prudentia in agibilibus circa ſingularia verſatur: Igitur Magiſter Spiritualis, ne circa methodum exercendi Diſcipulos ſuos in particularibus actibus virtutum impingat, placuit aliquid luminis hoc in paſſu præferre, nonnullis priùs ſuppoſitis.

I. Certum eſt. exiguum poſſe profectum in via Spirituali fieri. *Primò.* Si quis ſolis internis intendat actibus Virtutis exercendis, & rarò externis. Experientiâ enim teſte, parùm proſunt verba, ubi deſunt opera; & plurimi verbotenùs vel etiam in corde infra pedes omnium ſe abjiciunt, qui exteriùs ne verbum aſperius pati poſſunt. *Secundò.* Si externi actus abſque internis exerceantur, quid ſunt? Nihil; imò quandoque obſunt. Tota enim perfectio actûs exterioris ab interiori provenit. Quare utrumque genus actuum interiorum & exteriorum virtutis conjungendum, & ſæpè practicandum.

II. Cer-

II. Certum est, citiùs quis duce Magistro ad perfectionem alicujus artis, vel scientiæ, pervenit, quàm ex propria industria, nisi per ingentes labores, & errores, & hoc rarissimè. Ita & in via Spirituali velociori cursu quisque terminum viæ Spiritualis, seu finem perfectionis & sanctitatis attingit directore Magistro, quàm sine eo. Unde apud antiquos Patres non modò Tyrones Spirituales, sed & Veterani, ex mandato suorum Superiorum in particularibus actibus virtutum exercebantur, & probabantur. In qua materia S. *Climacus* præclara refert exempla dicens: In quodam Monasterium latro conversionis gratiâ veniens, post aliquot dies, jussus est à Superiore omnia sua peccata in præsentia 230. Fratrum confiteri, quòd & fecit cilicio indutus, cum horrore ingenti; omnia singulatim confessus est, quæ audiens omnis cætus penitus exhorreret. Non tantùm quæ per corpus præter naturam, ac secundùm naturam in irrationabilibus & mutis animantibus deliquerat, verùm etiam veneficia, & homicidia, &c. quæ audire, aut scripturæ tradere, fas non est. Omninò nihil reticens. Confessum igitur, statim tonderi, fratribusque aggregari permisit. Ego verò Sancti illius (i. e. *Superioris*) admiratus sapientiam, seorsum interrogavi illum secretiùs. Cujus rei gratiâ tam peregrinam judicii formam exhibuisset? Ille autem ut verus medicus, inquit, duarum rerum gratiâ. Primùm quidem, ut confitentem per præsentem temporalemque confusionem æternâ confusione liberarem, quod & factum est. Neque enim ex pavimento surrexit ô Joannes, quin peccatorum omnium remissionem potitus est. Neque ullo hujus rei scrupulo velim movearis. Nam unus ex Fratribus qui illic aderant, mihi procerum quendam ac terribilem se vidisse asseveravit, conscriptam chartam & calamum tenentem, & cùm Frater ille prostratus humi peccatum confitens pronunciaret, hoc ille calamo delebat; & meritò sanè: Dixi, inquit, pronuntiabo adversùm me iniquitatem meam Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei. Secundò sanè, quia habeo nonnullos, qui peccata quidem necdum confessi sunt. Quocirca jam & illos ad confessionem hoc exemplo provoco, sine qua nullus remissione potietur. »

S. Clim. Scalæ parad. de obed. gra. 4.

V. Psal. 31. v. 5.

Aliud. Vir quidam Isidorus nomine, Alexandriæ civitatis

prima-

primarius, in ipso cænobio ante hos annos sæculo abrenunciavit, quem & ipse illic videre merui. Hunc Pastor ille mirabilis suscipiens: aspectumque ex ipso asperum quendam & intractabilem, superbumq; ac sæculi dignitate tumidum, conjiciens, humanâ arte dæmonum fastum sapientissimè dejecit; aitque ad Isidorum: Si revera Christi jugum tollere decrevisti, volo ut ante omnia te obedientiæ laboribus exerceas. Cui ille; sicut, inquit, fabro ferrum subjectum est: ita & ego ô sanctissime meipsum obedientiæ expono. Quo ille responso gratissimoque exemplo exhilaratus, continuò Isidoro exercitii manus admovit ut ferro: volo, inquiens, Frater ante Monasterij januam existas, omniumque ingredientium & egredientium provolutns genibus dicas; Ora pro me Pater, quoniam peccator sum. Sic autem ille obedivit sicut Angelus Domino. Itaque cùm septem annos illic peregisset atque ad profundissimam humilitatem, compunctionemque pervenisset: voluit Pater post incomparabilem viri tolerantiam, cujus superiori tempore aptum documentum dederat, hunc fratribus connumerare. Et ut revera dignissimum, etiam Ordinatione honorare. Verùm illo plurimis multorum & meiipsius precibus apud Patrem egit, ut ibidem illum fineret, sicut hactenus fecerat degere, cursumque suum perficere: intelligens, neque obscurè his verbis significans, finem suum jam ac vocationis diem imminere. Quod & factũ est. Nam cùm in ipso ordine illum permanere magister permisisset: post decimũ diem, per abjectionem & ignominiã gloriosissimè migravit ad Christum. Interrogavi ego (cùm adhuc superesset) magnum hunc & præclarum virum, quam exercitationem mens ejus habuisset, cùm ad portam moraretur. Neq; abscondit à me cùm prodesse mihi cuperet, memorabilis ille ac dulcissimus Pater; Initio, inquit, hoc existimabam, quòd pro peccatis meis essem venditus. Unde cum amaritudine summa violentia & sangvine provolvebar omnium pedibus: impleveram vix annum, cùm sine mærore jam ac tristitia id faciebam, mercedem à DEO tolerantiæ expectans. Impleto autem rursus anno alio, toto affectu cordis indignum meipsum existimare cæpi conversatione monasterii, Patrumque aspectu & contubernio, Divinorumque participatione Sacramentorum; indignum item, qui in

Ibidem apud Climacũ Scal. para. de obed. grad. 4.

alicujus faciem intenderem. Quocirca defixis in terram luminibus, nec ab oculis disceptante animo, intrantes atque exeuntes ut pro me orarent, deprecabar.))

Ibidem. *Aliud.* Admirabar ego illic præsens, noviter ex seculo venientium fidem & tolerantiam, atque in ignominiis & contumeliis, & aliquando etiam persecutionibus insuperabilem patientiam, quas non tantùm ab Abbate, sed ab iis quoque qui longè inferiores erant, perpetiebantur. Itaq; ædificationis gratiâ quendam ex Fratribus sciscitatus sum, qui annos quindecim in Monasterio egerat, Abbacyrum nomine, quem maximè affici injuriis ferè ab omnibus videbam: Nonnunquam verô etiam à ministris ex mensa fugari. Erat enim Frater ille naturaliter lingvæ aliquantulum incontinens; dicebam itaque ad illum; Quid est frater Abbacyre, quòd te quotidie à mensa expelli video? ac nonnunquam dormire incænatum? Qui ad hæc ita respondit: Crede mihi Pater, probant me Patres mei, utrum monachus esse cupiam, non autem verè id faciunt. Quam ego Patrum aliorumque intentionem non ignorans, levissimè & sine ulla molestia omnia tolero. Et ecce jam decimum quintum annum ago istud cogitans, sicut & ipsi, quando Monasterium intravi, dixerunt mihi, quòd usque ad trigesimum annum renunciantes probare solent. Et rectè quidem Pater Joannes. Sine probatione enim aurum non perficitur. Hìc igitur egregius Abbacyrus secundo anno postquam adveneram, migravit ad Dominum, in Monasterio hoc, Patribus cum deficeret, dicens: Gratias ago Domino, & vobis Patres, quòd me ad salutem meam tentâstis jugiter; hac enim ex causa immunis à tentatione dæmonum hactenùs mansi. Quem etiam tanquam Confessorem, & cum his qui illic obierant Sanctis dignissimè æquissimus Pastor sepeliri jussit.))

Ibidem. *Aliud.* Cùm ad mensam aliquando consedissemus, summus ille Magister inclinans suum sanctum os in aurem meam; Vis, inquit, tibi ostendam in extrema profundaque canicie Divinum sensum, atque prudentiam? Cùmque id summis precibus orarem. Advocat ex proxima mensa quendam Laurentium nomine, qui quadraginta ferè & octo annos in Monasterio degerat, sedensque erat sacrarii Presbyter. Qui cùm venisset, atque Abbati

bati flexis genibus adstaret, ab illo quidem benedicitur. Sed cùm surrexisset, nihil illi penitus dixit, sed sic ante mensam sine cibo stare permisit; erat autem tunc prandii initium. Itaque prolixam horam atque fortassè duas immobilis stetit, adeò ut ipse quoque erubescerem. Neque in illius faciem intueri præ verecundia possem. Erat enim canus totus octogesimumque jam agebat ætatis annnum. Mansit autem sine responso ullo usque ad refectionis finem. A qua cùm surgeremus mittitur jam à sancto illo, ut memorato Isidoro diceret trigesimi noni Psalmi initium. Non omisi ego, ut sum versutissimus, quin senem illum tentarem. Itaq; cùm eum postea interrogarem, quid adstans cogitâsset? Christi, inquit, imaginem Pastori imposui, neque enim ab illo hoc penitus præceptum exisse, sed à DEO, existimavi. Quare ô Pater Joannes non coram mensa hominum, sed coram Altari Divino adstare me putans, orabam; nullamque penitùs malignam cogitationem adversùm Pastorem admittebam, pro sincera in illum fide mea, & charitate: dictum est enim; Charitas non cogitat malum. Sed & illud scito Pater, quòd cùm quis innocentiæ ac simplicitati se omninò dediderit, nullum jam maligno contra se aut tempus aut locum dabit.))

Aliud. Qualis erat ille justus, rationabilium pecorum Pater ac per DEum Pastor, talem etiam habebat à DEO sibi traditum Monasterii dispensatorem pudicum & moderatum, ut quis alius: mitem verò, ut admodum pauci. In hunc aliquando ad cæterorum utilitatem magnus ille invectus est absque ulla causa: jussitque de Ecclesia projici: intempestivè sanè. Ego cùm scirem eum ejus criminis, quod sibi Pater objecerat, insontem, seorsum Magno illi dispensatoris commendabam innocentiam. Ad quod & ille sapientissimè: scio inquit Pater, sed sicut crudele est ex ore famelici infantis panem rapere, ita & seipsum & operarium lædit, qui animas suscepit regendas, nisi illi Coronas quantas illum sustinere posse novit, horis singulis providere satagit, sive per contumelias, sive per ignominias, sive per objectiones, sive per ludibria. Tria enim maximè cavenda committit. Primum, quòd ipse increpationis mercede privatur; Secundum, quòd aliis ex alterius virtute prodesse posset, id agere omisit. Tertium verò, quòd *Ibidem.*

rò, quod est gravissimum, quod ii nonnunquam qui videntur esse probatissimi, & laboris patientissimi, si ad tempus negligantur, atque jam ut virtutibus prædìti à Prælato non corripiantur, sive probris atque injuriis afficiantur, eâ, quæ in eis inerant modestia ac tolerantia, destituentur. Nam etsi bona & frugifera pingvisq; terra est, consvevit tamen aquæ, (id est ignominiæ) defectus illam infructuosam, ac sylvestrem efficere, spinasque fornicationis, & noxiæ securitatis in ea germinare: Hoc non ignorans magnus ille Apostolus Timotheo scribit: *Insta, invehe, argue illos opportunè, importunè.* Ego cùm illi spectatissimo Duci adhuc restiterim, infirmitatemque ætatis hujus allegarem, utque plurimi ferè frustra increpati, imò & fortaßè non frustra à grege abrumperentur. Ita rursum Objectioni meæ, sapientiæ domicilium occurrit. Anima, inquit, quæ propter DEUM, Pastori fide & charitate devincta est, usque ad sangvinem sustinens, nunquam recedet. Et maximè si antea ab ipso in suis vulneribus fuerit adjuta, solatioque & beneficiis affecta, memor illius qui dixit: *Neq; Angeli, neq; Principatus, neq; Virtutes, neq; creatura ulla à charitate Christi nos separare poterit.*))

1. Tim. 4.

Rom. 8.

Ibidem apud cit. Climacũ.

Aliud. Macedonium Diaconum cujusdam cœnobij ex civitate Alexandria uno die tardiùs reversum, Abbas amovit à Monasterio, atque in ultimo incipientium constituit ordine. Suscepit bonæ patientiæ Diaconus fortissimusque tolerantiæ Archidiaconus Patris verbum, ac sententiam adeò absque mærore, ut quasi, non ipse, sed alius videretur increpatus. Igitur dum in tali ordine, dies quadraginta peregisset, rursus illum ad pristinum gradum reduxit sapientissimus Pater. Quem item post unum diem Archidiaconus obsecrat, ut se in eadem ignominiæ humilitate restituat, deliquisse se grave quoddam atque infandum in civitate asserens. Sciens autem Sanctus hunc, non vera prosequi, sed humilitatis gratiâ hoc inquirere, cessit Pater honesto desiderio. Vidisses Caniciem venerandam degere in incipientium ordine, sincerè omnes ut pro se orarent, deprecantem. Cecidi enim ajebat in fornicationem inobedientiæ. Mihi tamen humili reseravit hic magnus Macedonius, cujus rei gratiâ ad hanc propositi humilitatem ita spontè accurrisset. Nunquam enim inquit; ita me bello omni levigatum sensi, Divinique luminis dulcedinem in me ipso vidi.))

Aliud.

Aliud. Si quos fortè Pater Sanctus ostentationi studere denotasset, cùm seculares ad Monasterium veniebant, hac eos arte curabat. Contumeliis illos in conspectu adventantium afficiebat, ministeriaque illis ignobiliora injungebat: Quo illi increpationis genere ita sanabantur, ut jam si qui ex seculo ad Monasterium venissent, aspectum eorum cursu fugerent. Eratque jucundum spectaculum videre, ipsam inanem gloriam se ipsam persequentem, homines autem fugientem.)) *Ibidem.*

Aliud. Cassianus refert convenisse aliquando in Monasterio Abbatis Pauli infinitam Monachorum multitudinem ad celebrationem solennem depositionis anniversariæ prioris Abbatis. Itaque cùm omnes in ingenti atrio subdivali per duodenarium numerum distinctis ordinibus considerent, contigit, ut Frater quidam ferculum parùm tardiùs inferret. Quo animadverso Abbas Fratris patientiam probaturus, atque aliis demonstraturus, sub occasione istius tarditatis exertâ manu, palmâ eum sub omnium percussit intuitu, ita ut sonitus etiam adversorum vel longiùs considentium auribus resultaret. Tantùm abfuit, ut Frater ob tantam confusionem ad impatientiam moveretur, ut non modò nullus fuerit ex ejus ore prolapsus sermo, vel tenuissimum murmur tacitâ labiorum agitatione signatum; sed ne ipsa quidem oris modestia, atque tranquillitas, aut color saltem quantulumcunque mutatus.)) *Cass. Coll. 19. cap. 1.*

Et hæc apud Antiquos. Verùm non desunt impræsentiarùm, similia heroicæ virtutis inventa in benè ordinatis Religionibus, ubi viri virtutis quid aliud agerent, quàm variis industriis & adinventionibus divitias perfectionis ac sanctitatis in se & in suis cumularent? Porrò in sequentibus *Praxibus* pleraque exercitia maximè humiliativa & afflictiva collecta sunt *ex Directoriis pro Ordinibus reformatis, & præcipuè Ordine Carmelitano, quæ Parisiis impressa, & ab ipsa Universitate approbata sunt.*

Igitur Magister spiritualis (ut ad ipsam *Praxim* accedamus) quâlibet hebdomadâ, sive mense, scribat chartulas: *In prima* illarum v. g. Duriùs & frigidiùs dormiet; ad imitationem Christi nati, & jacentis in fœno & frigore. *In secunda*: Laborem quempiam duriorem faciet; ad imitationem Christi laborantis cum S. Joseph.

In tertia: Silentium,& solitudinem, & abstinentiam,cum piis meditationibus, & oratione, uno die strictissimè servabit; ad imitationem Christi in deserto jejunantis & orantis. *In quarta*: Concionem vel exhortationem ad ædificationem salutis animarum faciet, pro qua calumniis & injuriis afficietur; ad imitationem Christi ratione prædicationis suæ plura patientis. *In quinta*: Osculabitur pedes Fratrum, vel pauperum; ad imitationem Christi inclinati ad lavandos pedes Discipulorum suorum. *In sexta*: v.g. Jacebit per modum crucis orans; ad imitationem Christi in horto positi in agonia. *In septima*: Jacebit in limine à Fratribus conculcandus; ad Imitationem DEI Hominis conculcati pedibus impiorum. *In octava*: Detrudetur in carcerem,vel tetrum locum aliquem; ad imitationem Christi incarcerati. *In nona*: Circuibit Fratres, obsecrans suos defectus detegi, quibus infectus esse videtur, & in quos etiam cum possibile est prolabi; ad imitationem DEI Hominis, innumeras & gravissimas calumnias patientis. *In decima*: Disciplinam ad scapulas faciet, vel accipiet; ad imitationem Christi flagellati. *In undecima*: In honoraria sella variè illudetur, deridebitur, &c: ad imitationem Christi in spinea coronatione illusi. *In duodecima*: Caputio stulti deridebitur; ad imitationem Christi veste albâ subsannati. *In decima tertia*: Jacebit in formam Crucis, paratus omne genus afflictionum, calumniarum, irrisionum, &c. sustinere: ad imitationem DEI Hominis, in patibulo Crucis crudelissimâ morte agonizantis &c.

Hæc & similia (ut expedire videbitur) scribat, quæ etiam supra apud antiquos Patres, & infra connotata apud modernas Sanctas Religiones in usu sunt; sive quæ Spiritus S. dictaverit. Deinde easdem chartulas, tum ipse Magister, tum sui Discipuli, per sortes accipiant, & perlectas, clarâ voce reddant Magistro in regestrum inscribendas, ne postea negent se accepisse: Determineturque tempus & locus cuilibet ad executionem, quam ipseMagister à se incipiat, ad exemplum suorum Discipulorum. Porrò executio hæc, seu exercitium fiet juxta similem methodum, quæ sequitur.

PRA-

PRAXIS

Pro Magiſtris Novitiorum, aliisque Superioribus, probandi & exercendi ſuos Inferiores in mortificatione vitiorum, & virtutum ſtudio.

ANte omnia curandum eſt Magiſtro, vel Superiori, ut in curandis ſuorum defectibus, & ab iis præſervandis, perfectaque ſanitate ſtabilienda Suorum, agat inſtar peritisſimi & prudentisſimi Medici; modò acerba, modò lenia antidota ſpiritualia exhibendo. Perſvadeat eis nihil ſe agere ex odio illorum, ſed ex mero amore, tenerique ad id ex proprio officio; alioquin à DEO & ab altiori Superioritate culpandus & puniendus manet. Leniat mortificationis amaritudines, tum fomentis timoris DEI ex quatuor Novisſimis; tum dulcedine ſpei obtinendi copiam gratiæ DEI & futuræ beatitudinis; tum nectare charitatis Divinæ diſſuaviet; roboret exemplis Chriſti, DEIparæ & Cœlitum, &c. Deinde informet, quomodo cum devotione internisque actibus externos actus exercere debeant.

Jam verò exercendi ſeu probandi, hæc potisſimùm caveant. *Primò*. Sequentes aliosque mortificationis actus nunquam pravâ quâdam animi conſvetudine ac per modum alicujus ceremoniæ perficere ſtudeant. *Secundò*. Magiſtrum nunquam ſiniſtrè judicent actiones illius malè interpretando. Caveant ſuæ innocentiæ patrocinari, indeque animi exacerbationes cauſare, prava miſcere colloquia, indignari, Magiſtrum indiſcretum arbitrari, ad idem ſentiendum alios inducere. Quod ut fructuosè præſtare posſint, DEUM in omnibus tanquam Patrem clementisſimum, cujus Magiſter famulus eſt, adeòq; eum ut idoneum ad edocendam mortificationis viam inſtrumentum intuebuntur: Tum ac peritum in curandis depravatæ & corruptæ naturæ fragilitatibus medicum reverebuntur. An non fatuus ille meritò haberetur, qui medico vulnus ſananti iraſceretur? Ea igitur tua dementia eſt, dum mortis tuæ conſcius, omnem tamen prorſus reſpuis medelam, necnon inſtar canis ad vomitum & priſtinos mundi

mundi mores reverteris. Quare non modò oblatam curam refuge, verùm ipse ultrò ad spititualem medicum accede, supplicans hæc pharmaca mortificationum & humiliationum tibi applicari. Quod ut faciant, suis Inferioribus Superiores persuadeant, imò jubeant eos facere.

Actus interni Virtutum in exercitio Mortificationis.

1. *O Amor Crucifixe, contempte & dolorose, mi dulcis Domine JESU, quidquid mihi dicitur, quidquid objicitur, ex animo patior, majora promeritus ob peccata mea; quoniam iniquitatem meam Ego cognosco & mala, quæ coram te feci.*

2. *O clementissime JESU, per amorem quo te diligo, rogo te, ut dignus inveniar persici & proficere in imagine Humanitatis tuæ; in qua injurias, contumelias, opprobria, pro me nocente innocens pati dignatus es: hunc in finem præsens opprobrium & confusionem patior libentissimè.*

3. *O Salvator amantissime, in quo tui dignus inveniar nisi in sola patientia, quæ est omnium tui imitatorum vera & unica felicitas?*

4. *Quidquid ô anima mea nobis evenit, suscipiamus illud corde perfecto; Suscipiamus svaviter, quidquid propinatur amaritudinis nobis. Si displicet sensualitati, placeat tuæ charitati; Calicem illum, quem DEUS propinat, bibamus haustu reciproco: Non vis ergo ut bibam illum?*

5. *Quoties inexpectata probandæ tuæ constantiæ evenire mala desiderasti, ad videndam an unica esset in te virtutis scintilla? Jam offert se occasio, præsens mortificatio tibi subministrat medium probandi virtutem. Cave ne aliqua animi pusillanimitate prosternaris: permaneas ergo in statu tuo rectus, omnia cum Jobo de manu Domini suscipiens, tanquam justam & pridem debitam peccatorum tuorum pœnam, & maximum adipiscendæ Coronæ meritum.*

6. *Volo Domine, volo, quidquid tua intendit Divina voluntas hâc virtutis occasione in me experiri. Volo irrideri, conculcari, reprobari, contemni, ut dignus efficiar Professionis meæ Christianæ vel Religiosæ, cujus munus non est delicias quærere, sed pati & humiliari.*

Praxis exercendi in abnegatione propriorum sensuum est. Indagare inclinationes proprias; v.g. Inclinatur quis ad solitudinem, injungat Magister externa opera; Vagabundis verò injungat Magister seriam silentii observantiam & solitudinis. *Et sic in aliis.*

Praxis.

Praxis refrænandæ gulæ tam in cibo quàm in potu. Notatus quispiam huic pravo deditus vitio, mortificetur; vel ut infra emendicando suas portiones, vel si deprehensus furtivè aliquid extra tempus comedisse aut bibisse, potest tali modo coërceri: Capiantur aliquæ partes panis (si in cibo deliquerit) vel alterius esculenti ut appēdantur illi ad collum, stetq; in conspectu communitatis dicens aliquoties juxta dispositionem Magistri: *Domine DEUS meus hic sto ad summam mei confusionem, qui sicut Esau pro cibo turpiter suam vendidit primogenituram Ita ego miser statum meum vili modo prostituo, utpote qui meliùs in sacra Religione habeo, quàm in seculo: à te humillimè peto veniam, proponoq́, veram & sinceram meæ vitæ emendationem.* Si in potu deliquerit, potest ipsi ad collum pendi sciphus, & similem recollectionem ut supra ei injungere.

Pro negligentibus in lectione tam refectorii, quàm chori præparentur ridicula perspicilia, eisque apponantur.

Pro immortificatione oculorum sint fasciæ quibus velentur ex toto oculi, ducantur tali modo per ministrum mensæ in refectorio.

Pro immodestis ac nimiùm currentibus. Apponantur certa pondera ad eorum pedes, jubeanturque sic per aliquot dies ambulare.

Pro dissolutas manus gerentibus. Assuantur filo manus ad scapulare tempore prandii.

Pro nimiùm tardis in ingressu. Dentur ipsis calcaria ad pedes.

Pro pigris & somnolentis ad Officium Divinum. Jubeantur comedentibus aliis dormire in suo loco refectorii.

Pro elatis & præsumptuosis hæc adhibe. Quâdam verborum acrimoniâ ac emphasi exerceatur, eidem varia exprobrando, secretissima ad majorem ejusdem confusionem aperiendo, errores aliquos defectusque, quorum tamen minimè sibi conscius est, imputando, verbis & extraordinariis exaggeret circumstantiis; aliqua tanquam ad speciem & apparentiam enormia proponendo. Sæpissimè illos tanquam supplices dedignetur aspicere, humiliantes aspernetur, genuflexos (ut in aliquibus Religionibus observatur) aliquamdiu inauditos relinquat, ac tanquam sibi infensos contemnat. Nonnunquam se benè fecisse præsumentes velut inutiles acriter corripiat, excusationem parantes à se rejiciat, eosdemq; non secus ac reos, quamvis innocentes, è conspectu suo recede-

 re man-

re mandet. &c. Hæc optima superbiæ curandæ antidota. Attamen debet Magister satagere, ut ea omnia eo peragantur compunctionis spiritu, quatenus Neogeniti in studio virtutis sensim & pedetentim ad voluntarium sui contemptum assvefiant. Ita ut ad hæc Religiosæ vitæ prima principia toleranda, non tantùm in Confratrum suorum, sed & cujuslibetSecularis conspectu & præsentia paratos se esse declarent.

PRAXES
Eradicandi superbiam, & proficiendi in Humilitate aliisq; Heroicis Virtutibus.

PRAXIS I. Osculari pedes Religiosorum.

PRosternet se igitur Religiosus spiritu in DEUM elevato, omniumque pedes humillimè osculabitur, ad exemplum illius supremi Magistri nostri, qui in ultima Cæna Discipulorum suorum pedes lavare non est dedignatus: ad quod se hoc modo excitare conabitur.

Actus Interni.

1. *DEUS meus, JEsu Amor Crucifixe, contempte, dolorose, ego indignitas & miseria, libentissimè me prosterno ante pedes hujus optimi servi tui, Fratris mei, cujus non sum dignus osculari vestigia. Prosterno me autem imitando Te mi JESU prostrate ad pedes Discipulorum tuorum.*

2. *O mi JESU, ecce prosterno me coram uno Electorum tuorum, Ego peccator maximus, & à Divina Justitia tua reprobatione dignissimus.*

3. *O Mater prædilecta dulcia figens oscula Infanti DEO: eodem amore membris Christi Fratribus meis ad pedes eorum, gaudeo quòd idem dignus sim facere.*

4. *O me infelicem! qui per peccata mea & superbiam dignus factus sum à dæmonibus conculcari, utpote qui in conspectu Angelorum refugio me Fratribus meis submittere.*

5. *Heu me indignum, & qui tantam vilitatem meam humiliare cogor: Adjuva me DEUS meus, qui te perfectè humiliâsti propter me.*

6. *Eja anima mea cave in hoc vel minimam vanitatis gloriam aucupari: quod facimus, id humiliter præstemus, parùm de nobis sentientes, utpote qui omni sumus vituperio digni.*

7. Noli

7. *Noli cogitare anima mea hunc actum cedere tibi in humilitatem; poena est, quàm toties per tuam superbiam promerita fuisti.*

Poterunt insuper à Magistro doceri dum osculantur pedes, imaginentur sibi virtutes illius Religiosi, ejusdem affectantes exemplum dicendo: *O te felicem ac sanctum Religiosum! utinam perfectionem tuam assequi possem, illam potissimùm quæ in te relucet, imitando virtutem! quis me participem reddat tantæ humilitatis tuæ, modestiæ tuæ, austeritatis &c. Ideóque licet indignissimus, tibi humiliter me prosterno.*

PRAXIS II Supplantandæ superbiæ; Et eorum qui sibi nimium sapere videntur.

CUret Magister præparari *Caputium stultorum*, quod induat ille Saperda vel Sciolus, & vel mensæ ministret, vel circumeat refectorium, ab omnibus ludibrio habendus.

Actus Interni.

1. *DEus meus, Amor Crucifixe, contempte, dolorose, ego indignitas & miseria tui imitator factus sum, qui pro me ludibrium pati dignatus es; sit igitur hoc in peccatorum meorum remissionem, & acceptabile Divinæ Majestati tuæ holocaustum.*

2. *Amantissime DEUS eligo potiùs hìc derideri, quàm in tremenda illa die; ubi mihi hoc mortificationis genus in summum æternæ gloriæ meritum cedet.*

3. *O anima mea nunquid hoc non debita propriæ tuæ superbiæ poena? humiliare igitur sub potenti manu Altissimi.*

PRAXIS III. Conculcatio à Fratribus.

HAnc mortificationem injunget Magister ut se penes portam Refectorii, vel Capituli prosternat ad latus, oculis clausis velut mortuus, manibus junctis dicens, quod ipsi impositum fuerit à superiore; deinde superaddet. *Rogo Reverendi Patres & Fratres mei charissimi supplantate superbiam, quâ hactenus velut infami, inveterato, & maturo apostemate intumui.* Aliquando etiam demandabitur ipsi nihil dicere: sed solummodo jacere. In hoc actu poterit resumere prænominatos actus supra, de osculis pedum Religiosorum.

PRAXIS IV. Petitio Revelationis Defectuum suorum à Communitate.

HIc actus magnæ est virtutis : qui sic fiet ; Religiosus ille cui hoc genus mortificationis impositum est , accedet ad medium refectorii, ibidem se offerens DEO hoc modo. *Domine DEUS meus en ego peccator maximus, in meis propriis actionibus cæcus, cupio de vita mea informari; ut hoc medio me cognoscere possim; scio in majoribus me reum esse, quàm illi dicent ; sed adinterim hoc ad supplantandam animæ meæ superbiam, majorem Nominis tui gloriam, & animæ meæ salutem cedat.* Accedat igitur ille ad primum Sacerdotem humiliter genu flexus dicens : *Reverende Pater, rogo per misericordiam DEI dignetur mihi manifestare defectus meos, ut vitam propriam emendare possim.* Quidquid dixerit illi, ibit ipse humiliatus ad medium refectorii dicens de seipso : *Reverendi Patres, Charissimiq; Fratres. Frater N est talis, talia facit;* dicendo de verbo ad verbum. Quo facto redibit ad veridicum suum deosculatâ terrâ dicens : *DEO gratias pro vestra charitate.* Et sic consequenter ad omnes. Quodsi fuerit magna communitas, sufficit ad solos Sacerdotes : quibus absolutis ultimò ad ipsum Superiorem, à quo tanquam Oraculo Divino amanter audiet suos defectus.

PRAXIS V.

SI Magister per alium vitam alicujus curet legi in refectorio ipso præsente ibidem, aggravando ejus minimos defectus, quam vitam perlectam porriget eidem asservandam.

PRAXIS VI.

IPsi tanquam indigno reddere suas vestes seculares, mandando ut per aliquot dies, prout Magistro visum fuerit , inserviat mensæ in illis. Hic modus multùm angit illos Novitios, qui de sordibus ad Religionem evecti, multa imaginantur sibi, proindeque hoc medio coërceri possunt & humiliari. Doceat autem Magister eos semper necessarium compunctionis Spiritum per actus internos supradatos simul conjungere, ut eadem exercitia fructuosiùs peragantur.

PRAXIS VII. *Confessio publica Defectuum.*

QUæ sic fiet: Prodibit ille ad medium non ex aliqua consuetudine, sed animo contrito & mali sibi conscio, dicat publicè altâ voce, præmissa tamen illâ directione, seu intentione, quæ habetur supra de petitione defectuum. *O Domine JESU Salvator & Redemptor amantissime, accuso me & commissos defectus meos coram Te & Fratribus meis publicè fateor, indignum me reputans hâc sacrâ Congregatione, utpote qui hactenus neminem ædificavi. Sed Fratres meos malo & pravo exemplo destruxi per desidiam, torporem, & negligentiam meam. Accuso me petulantiæ ac inobedientiæ in vita Religiosa, pertinaciæ & præsumptionis in tam sacro Consortio: Poenitet me DEUS; cupio emendare quod feci; Exemplum vitæ melioris propono imposterum, ideoque à te peto gratiam, & à Fratribus meis veniam.*

Talem Confessionem brevem esse debere & nervosam, nec de gravibus sed communibus & duntaxat ordinariis defectibus.

PRAXIS VIII *Exercendæ Humilitatis & S. Paupertatis, est mendicare cibum & potum.*

PRaxis hæc antiquissima, devotissima, & S. Francisco communissima, quæ sic fieri solet. Cogitabit se mendicum & pauperem. Ante tempus igitur & horam prandii providebit sibi de scutellis, deinde assidentibus aliis præmittet directionem hoc modo. *Domine DEUS meus ecce ego me mendicum exhibeo ad exemplum tui, qui affirmâsti vulpes foveas habere, & volucres coeli nidos, Filium autem hominis non habere ubi caput suum reclinet. Item: Pauper sum ego, & in laboribus à juventute mea. Accedo igitur DEUS meus hoc sanctæ virtutis exercitium practicaturus; largire mihi gratiam, ut cedat ad majorem Nominis tui gloriam & animæ meæ salutem.* Distributâ portione accedet cum scutella vacua nihil dicendo, sed inclinando, expectansque misericordiam, porriget ei, cui voluerit, quâ acceptâ gratias aget,

Matt. 8.

Psal. 87.

Notandum verò. 1. Non debere mendicare ut plùs accipiat, quàm Fratres. 2. Fratres caveant ipsi dare integram portio-

tionem, hoc enim soli reservatur Superiori. 3. Cogitent interea Fratres se non Fratri suo dare eleemosynam, sed Christo dicenti : Mat. 25. *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Esurivi & dedistis mihi manducare : sitivi & dedistis mihi bibere.* &c. 4. Debet omnia petere, v. g. Panem, salem, &c.

Hos interim actus poterit exercere. *O Domine JESU! liceat mihi tuam imitari paupertatem. O Anima mea! recordare Regem Regum in proprio suo domicilio se dixisse mendicum. O Sanctam Paupertatem! quæ DEUM Hominem fecit, ut ex homine DEUM faceret, quæ DEUM fecit mendicum ut te divitem, DEUM miserum ut te felicem, servum ut te Regem efficeret.*

PRAXIS IX *faciendi Pœnitentiam regularem.*

DElinquens v. g. contra modestiam cursu nimis concito, vel agitatione manuum, sive incondita excreatione &c. eundem actum (quo deliquit) immodestiæ in refectorio præsentibus aliis aliquot vicibus faciat v. g currendo citiùs, vel insulsè excreando, &c. Deinde subsistens dicat v. g. *R. R. Patres, vidistis hominem morosum ? En ego sum. Pudeat me: quod enim non faceret honestus secularis, hoc ego necdum didici Regularis. Verè actu & gestibus non Religiosum, sed rusticum barbarum in me expressi. Justè igitur tanta crassities & impolities punitur in bonum meum, ut discam modestiam Domini N. JESU Christi.* Tandem reliquum asignatæ pœnitentiæ peragat.

Similiter insurrexit v. g. unus contra alterum vebis asperis sive contumeliosis: tum reficientibus aliis in medio stans narret factum cum suis circumstantiis, & concludens dicat: *RR. Patres audistis quomodo virus serpentis antiqui in me efferbuit? Equidem intolerabilis mihi ipsi hæc venenata malitia mea. Verè ut insana furia infernalis aut rabidus canis sum. Orate pro me precor, ut discam mansuetudinem D. N. JESU Christi.* Quo dicto assignatam pœnitentiam perficiat. Et sic in aliis defectibus & pœnitentiis procedendum.

Hujusmodi praxis eximium esse fructum quis non videat? verùm Magister ante omnia informet, ut non per modum cuiusdam ceremoniæ similia peragantur, sed ex vera sui ipsius cognitione, humilitate, odio & contemptu proprio, libenter propter evadendum Judicium Dei: 1. Cor. 11. *si enim nosmetipsos dijudicaremus, non utiq; judicaremur*

caremur. Tum propter vitam æternam, sicut Christus *proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contemptâ*. Talibus & similibus motivis disponendi sunt Discipulorum animi, ut denique *gaudeant*, quòd *digni habiti sint pro nomine JESU contumeliam pati*, (quippe propter nominis JESU gloriam sub diderunt colla sua jugo sanctæ Religionis) licet insuper ipsorum delicta id mereantur. *Act. 5.*

Monitum.

Forsitan animalis homo, inflatus sensu carnis suæ, & stultâ mundi sapientiâ infatuatus, ignorans gloriam Crucis, ejusmodi exercitiis mortificationis ac humilitatis hac Praxi & aliis præcedentibus datis, arbitrabitur se infamari. Verùm non habet quid timeat: Quandoquidem ista fiunt in Communitate Fratrum, qui æqualiter sunt subjecti studio virtutis. Deniq; si coram externis vel secularibus Superiores in aliquo supradictorum suos exercitarent, debent supponere id fieri ad ædificationem illorum, nec non honorem Religionis, cujus decus & gloria eò clarior elucescit, quò heroibus viris virtutum, tanquam Cœlum splendidissimis astris refulserit. Ipsi quoq; personæ mortificatæ vel humiliatæ sive pro culpa sua sive citra culpam, virtus S. humilitatis, patientiæ, & obedientiæ apud alios tum compassionem, tum eximium addit pretium & venerationem: Omnis enim virtutis comes gloria coram Deo & hominibus. Plura non adjicio: sufficit innuisse fidele Veritatis Divinæ testimonium millionibus exemplorum probatum: *Qui se humiliaverit, exaltabitur.* *Matth. 23.*

Plures actus internos & externos multiplicis mortificationis, patientiæ, humilitatis &c: *vide infra l. 2. tract. 2.*

§ VII.

Praxis suavis & efficax Reformandi moraliter Deformatos.

PRo complemento supradictorum de Reformatione, tum de officio Superioris ac Magistri spiritualis, subnecto hic digna scitu de Reformatione. Igitur *Reformatio moralis supernaturalis est vitæ christianæ corruptæ conformiter ad proprium statum & officium spiritualis restauratio.* Sicut enim in Physicis subjectum triplicem

plicem patitur formarum destructionem, formæ intrinsecæ substantialis, & formarum extrinsecarum qualitatis & quantitatis: ita corruptio vitæ Christianæ fit tum interna per privationem gratiæ sanctificantis, (quæ est forma & vita animæ radicalis) & actuum omnigenæ virtutis supernaturalium (quæ est vita animæ actualis:) tum externa per carentiam observantiarum Christianarum (quales v. g. in statu Religioso sunt, talis vel talis modus vivendi in frequentatione Chori, in cura solitudinis, silentii, in gestatione talis habitus, &c.) quæ vitam animæ in suo esse conservant, & exornant, sicut formæ accidentales compositum physicum. Nisi quod corruptio formæ physicæ est instantanea, ita ut materia privata unâ formâ, mox sortiatur aliam: corruptio verò formæ seu vitæ supernaturalis diutiùs durare solet. Porrò sicut in generali resurrectione mortuorum, justorum corpora receptâ
Philip. c. 3. suâ formâ benè dicentur *Reformari* juxta illud Apostoli: *Expectamus D. N. JESUM Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Ita restitutâ formâ & vitâ animæ
Rom. 12. internâ & externâ, rectè dicitur homo supernaturaliter *Reformatus* secundùm quod Apostolus monet: *Nolite conformari huic seculo: sed reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis quæ sit voluntas DEI bona, & beneplacens, & perfecta.* Ecce quàm sublimiter Reformatos esse exigat Spiritus S. (loquens ex ore Doctoris gentium) omnes Christianos Seculares, quantò magis Religiosos, Ecclesiasticos, qui strictiori vinculo ad obsequium Divinæ voluntati sunt religati?

Motiva ad deserendam vitàm *Deformatam*, & assumendam conservandamque *Reformatam* seu conformem statui Christianorum Seculari, Religioso, Ecclesiastico *Vide supra fusè in Summa Theologiæ Spiritualis.* Verùm persistendo in allata similitudine, conferas hæc duo: sicut materia prima spectata absque omni forma vocatur à Philosophis: *Fæx vitæ, eò quòd sit omnium substantiarum vilissima; Et quòd deperdat formas, appellatur Noverca, Malefica, Massa informis, Turpe.* S. Augustinus 12. Confess. ait eam esse *Prope Nihil.* Ita & homo Christianus, Religiosus, Ecclesiasticus privatus formâ vitæ supernaturalis eisdem Epithetis deformatur: quæ deformitas ei sit incitamento ad recuperandam formam vitæ illius,

qui est

qui eſt *ſpecioſus formâ præ filiis hominum.* Addo unum ſingulariter *Pſ. 44.*
animadvertendum: quia inter Deformatos plerumque regnat Tyrannis corporum & animorum, cùm delinquentes licet flagellis, jejuniis, carceribus, excommunicationibus, aliisque pœnalitatibus torqueantur, minimè tamen proficiunt, quin potius magis deficiunt, evaduntque pejores, ſicut abſciſſo uno capite hydræ plura in eadem renaſcuntur. Ratio horum eſt: quemadmodum enim maligno interno morbo medicamenta extrinſeca (v.g. nimis frigida applicata ignitis febribus) absq; intrinſecè applicatis videntur ad modicum tempus licet moleſta ſunt lenimentum quoddam afferre, ſed poſthæc majus incurritur periculum, dum morbus ad interiora propulſus concentratur, intenſiorique vi iterum erumpit & corpus perimit: Ita & Deformati Superiores tanquam imperiti medici non applicantes quaſi quædam interna medicamina frequentis ſacræ exhortationis, proprii boni exempli, devotæ orationis, morbidis & malignis ſuorum Inferiorum paſſionib9, ſed potiùs eas extrinſecis pœnis exaſperantes, tyrannizant corpora perimunt & animas. Unde in benè ordinatis & reformatis Sacris Cœtibus de flagellis, carceribus, excommunicationibus &c. vix auditur; quia ibidem curatio ſpiritualis malignitatis ab intrinſeco ſumit initium & progreſſum ad perfectam ſanitatem animæ absque extrinſecis torturis ſive lenimentis, niſi ſint talia quæ adjuvent interiorem curam non perturbent: in quo ſummâ opus prudentiâ medico Spirituali. Deinde ſicut tormenta ita & lenimenta extrinſeca uti ſunt conſolatiunculæ corporales conceſſæ à Superioribus, ut ſui Deformati inferiores ſint alacriores ad ſtudia virtutis, parùm proſunt, imò ſæpiùs obſunt præfato intento. Hircum enim licet balſamo unxeris, tamen fætebit hircum. Ab intrinſeco igitur ſeu à Spiritu ordiendum, ad perfectionemque virtutis procedendum.

Praxes Reformandi vitam ad cujusque proprium ſtatum copiosè ſunt datæ *ſupra in Sum. Theol. Spirit.* Aſt quia nihil ita perfectum, quod ampliùs perfici non poſſit, placet aliquod auctarium addere *ſuprapoſitis in ſumma Theol. Spirit:* Igitur ſicut in Reformatione naturali, ita & in ſupernaturali tria ſunt ſpectanda. 1. *Finis.* 2. *Media ad finem.* 3. *Modus in applicatione mediorum ad finem.*

Primò. Quod concernit *Finem.* Is in reformatione seu restauratione formæ physicæ est perfectio naturalis Compositi. Qui finis & in Reformatione supernaturali ante omnia spectandus, nempe Perfectio Christiana, in quo fine intendendo & habendo omnes status Secularium, Religiosorum, & Ecclesiasticorum quoad essentiale Perfectionis nempe charitatem conveniunt: etsi in actibus aliquarum virtutum ex motivo charitatis eliciendarum differant. Non enim convenit Seculari colere DEUM in Choro frequentando, Missas cantando, &c. Nec Religioso in Eleemosynas corporales distribuendo, cùm voveat ipse nihil proprii habere: Nec Ecclesiastico Curatori solitudinis & silentii latebras in assidua Contemplatione DEI licet quærere. Hinc quisque sui statûs, officii, instituti perspectas habeat virtutes ex charitate exercendas, tanquam finem Reformationis. Ita exempli gratiâ quoad Religiosos apposite *R. P. Daniel à V. M.* | *Carmel:* discurrit; Cùm vetus ac vera paræmia sit, rem omnem, ut purificetur, esse ad sua principia reducendam, & reformare sit formam amissam aut alteratam reparare. Religiosi reformatæ vitæ cupidi, ad suum identidem principium, institutionem scilicet & instituti sui scopum adspicere debent & collimare. Ac quemadmodum pictores (ea est Basilii similitudo) cùm imaginem ex imagine pingunt, exemplar identidem respectantes, lineamenta ejus transferre satagunt ad suum opificium: haud secus Religiosos, perfectioris vitæ avidos, veluti simulachra quædam spirantia, & actuosa, suorum Patriarcharum vitas adspicere oportet, probataque opera illorum imitando, sua facere, primariumque sui Ordinis finem ac scopum considerare, atque ad illum collimare debent. Noster autem Princeps, Dux & institutor est S. Pater Elias. At cujusmodi ejus fuit conversatio? Consule, si nescis Scripturarum oracula, & reperies solitudinem, silentium, orationem, ac cum DEO conversationem: in cujus præsentia jugiter se constitutum contemplabatur, ingeminans. *Vivit Dominus, in cujus conspectu sto.* Hinc etiam primarium Regulæ nostræ præscriptum est, ut *in lege Domini simus meditantes die ac nocte: & in orationibus vigilantes.* Vitam itaque internam velut proprium Ordinis Nostri nutrimentum, & spiritualem escam agnoscere, & usurpare necesse

Vineæ Carmeli. p. 4. c. 6.

3. Reg. 17.

necesse est; ac proinde cavenda solicitè nimia evagatio extra cænobia, multaque cum Secularibus conversatio, illa enim animum Religiosum enervant. Et quamvis optima sint exercitia, ne dum ab Instituto Nostro aliena, sed quodammodo etiam essentialia, (secundariò nempe) intendere studiis, habendis concionibus, confessionibus audiendis, visitandis infirmis, & ejusmodi, necessarium quoq; sit invigilare ædificiis, vetustis quidem restaurandis, & conservandis, ac quandoq; etiam novis construendis, nec non cæterarum rerum temporalium necessariarum adeptioni, seu conservationi cura sit impendenda; meminisse tamen debet Religiosus quilibet hujus Ordinis, illa duntaxat esse minus principalia, atque ideò non ita illis vacandum, ut aliud istud primarium parùm curetur, ne in hora obitûs dolens audiat: *Frater, solicitus fuisti circa plurima, porrò unum necessarium neglexisti.* Splendet in eodem S. P. N. Elia rigor & asperitas, cujus exemplo nisi etiam pœnitentiæ & mortificationis serii ac ferventes sectatores fuerimus, invanum operam insumimus, semperque humi repentes ad altiora non assurgemus. *Hæc ille.*

Secundò. Media ad introducendam formam physicam, alia se habent *privativè*, nempe expulsio contrariarum qualitatum, v. g. frigoris, vel humiditatis in ligno: Alia *positivè*, nimirum introductio qualitatum, formæ introducendæ competentium, v. g. caloris, siccitatis, convenientium igni; tum denique per talia media dispositum subjectum ligni, ex eo antiqua forma ligni pellitur, nova forma ignis introducitur. Non absimili modo & in Reformatione supernaturali procedendum. V. g. in illa Religione, cujus finis est ex charitate DEI contemplativæ vitæ officiis incumbere adhibenda sunt media ad præfatum finem. 1. *Privativa*, (quibus contraria impedimenta charitatis tolluntur) talia sunt exacta observantia votorum Paupertatis, (quâ aufertur amor & cura terrenæ substantiæ) Castitatis, (quâ tollitur amor & cura uxoris ac liberorum,) Obedientiæ, (quâ aboletur amor & usus propriæ libertatis.) Inordinatus enim amor & cura temporalium impeditiva sunt, ne amore & curâ Divinorum cor occupetur. Porrò dicta media Paupertatis, Castitatis, Obedientiæ, juxta præscriptum Regulæ Constitutionumq; & pri-

mævum fervorem ac rigorem SS Patrum illius Religionis, quæ reformatur punctualiter observanda sunt. Ut v. g. quoad Paupertatem, non amplius quis habeat ex victu, vestitu, supellectili, &c. quàm Regula & statuta permittunt, quod supra est, superfluum est, abjici debet. Præter hæc alia media *privativa* sunt, uti exercitium Pœnitentiæ (quâ præterita peccata quoad culpam & pœnam expiantur) & mortificationis vitiorum, (quâ imminentia peccata caventur) idque juxta Regulam & statuta Ordinis, necnon exempla SS. Patrum illius reformandæ Religionis. Ita S. Benedictus in sua Regula ponit. *Mala sua præterita cum lacbrymis vel gemitu quotidie in oratione DEO confiteri: de ipsis malis de cætero emendare.* Et his mediis utendum in via Purgativa, seu incipientium.

Reg. c. 4.

2. *Media positiva*, quibus inducitur forma seu perfectio charitatis sunt actus virtutum vitæ Activæ, vel Contemplativæ, vel Mistæ proportionatè ad cujusque statum, tum ipse actus charitatis frequentatus. Idque ejusmodi virtutes exercendæ sunt v. g. in Religioso statu juxta tenorem Regulæ, statutorum & exempla SS. Patrum. Item actus indifferentes uti opus manuum, refectio, recreatio, somnus &c. virtuizati per rectam intentionem & usum illorum juxta Regulam, statuta, & exempla SS. Patrum maximè tui instituti. Et hæc exercitatio est proficientium. Sicut perfecti illi evadunt, assequunturque finem integræ Reformationis, qui ex charitate sunt prompti & faciles ad heroica virtutum opera.

Amplior informatio de iis, quæ ad *media privativa & positiva* Reformationis reduci possunt, habetur *supra*, & coincidunt pleraque cum illis, quæ Abbas *Trithemius* affert fusiùs enumerans xij. excidia observantiæ regularis sub allegoria vulpecularum demolientium vineam S. Religionis. *Prima vulpes* sine causa ruinæ observantiæ regularis est indiscreta susceptio inutilium personarum. Ista calamitas sicut in ordine est prima, ita quoque ad destructionem omnis disciplinæ fortissima &c. *Secunda vulpes* gravissimum inducens excidium, est indebita & negligens prima institutio Novitiorum. Quis hujus bestiæ dolos, fraudes, & mala dinumeret? Quisque enim in prima Novitiatûs sui institutione neglectus fuerit, raro bonus, & perfectus monachus erit, &c.

In summa Theol. Spirit.

V. Trithemium Oratione 5. in Conc. Abbat.

Tertia

Tertia vulpes est puerorum, & de proximo seu vicino susceptio &c. *Quarta vulpes* est ingredientium suscipientiumque ad ordinem non recta intentio, & propositi Sancti in aliis tam cita oblivio. &c. *Quinta* est studii regularis omissio. Quid est regulare studium, nisi juxta præceptum regulæ lectionibus insistere scripturarum? &c. *Sexta* est Monachorum de Cœnobio frequens egressio. *Septima* clades est nimia cupiditas & solicitudo divitiarum. *Octava* est inutilium promotio Prælatorum &c. *Nona* est debitæ Correctionis omissio &c. *Decima* est negligens & inconsulta visitatio. *Undecima* Pestis quæ regularem observantiam nostram tandem penitus desolabit, est reformationis nostræ nimia & inconsiderata extensio. *Duodecima vulpes* est malitia temporum, & cœca ambitio &c. *Hæc ille.*

3. Restat explicandus quidam specialis *Modus in applicatione mediorum ad finem*, qualiter nimirum in totam aliquam Religionem seu Provinciam Reformatio introduci queat, an scilicet simul & semel in omnibus Conventibus disciplina collapsa restauranda sit, an verò ab uno solo incipiendum. Hoc in puncto R.P. *Daniel à V. Maria Carmelita* strictioris observantiæ (in qua hoc iniquitatis tempore decor Carmeli reflorescens amœnas cœlo præparat delicias) exemplum pariter & exemplar Provinciæ Turoniæ statuit. Ibi pro cunabulis *inquit* introducendæ Reformationis & strictioris observantiæ deputatus fuit Conventus Rhedonensis: & inibi constitutus V. P. Petrus Behourtius Primus reformationis auctor, & alii septem ejusdem cum eo propositi, quibus mox succenturiantur è seculo adolescentes bonæ voluntatis, ingenuitate, moribus, ingenio insignes, quibus præfectus fuit vitæ spiritualis Mystagogus, à quo in orationis, meditationis, examinis conscientiæ, mortificationis, & austeritatis exercitiis informati fuêre, & ad solitudinis ac silentii amorem incitati. Peculiariter verò commendata illis fuit erga quæque sigillatim regularitatis exercitia alacritas. Unde videre erat nocte mediâ ad matutinas horas non tam diligentiam, quàm præcipitationem, quasi primo ingresso chorum esset specialis palma à DEO proposita, interim Magistrorum advigilabat cura & prudentia, ne ultra fas & vires efferverent. jactis sic in Tyronibus solidæ virtutis fundamentis, applici-

Vineæ Carmeli p. 4. c. 9.

applicati ii fuêre ad literarum studia, successeruntq; interim ad tyrocinium alii, & alii. Atque ita pedetentim agri istius bonus odor paulatim effusus illexit alios antiquiores Patres, ut eò transplantari expostularent. Quemadmodum verò multiplicatæ apes, accessione novarum ad novam coloniam emittuntur, sic augescente reparati Instituti germine, propagatum id fuit ad Carmelum Andegavensem, cùm autem in illo utroque numerus sufficienter accrevisset, ad tertium est processum, ac ita consequenter ad omnes.

Idem felici successu peractum fuit in aliis Provinciis, tum Franciæ, tum Germaniæ, tum Belgii. Interea si ex senioribus severiori disciplinæ insvetis, aliqui expeterent aggregari non sine delectu admittebantur, & admissi per annum peculiariter exercebantur, ac probabantur. Reliqui assveto modo suo pacificè prout antè vivere sinebantur, donec paulatim seu per mortem, seu per migrationem, sive per accessum ad Reformatos, diminutus numerus oneribus ultra impar esset; & tunc introductis Reformatis optio fiebat iis, qui idonei viderentur, & vellent ibi manere, sed per annum probandi; aut si moribus à Reformata vita alieni nimis viderentur, aut recusarent manere, ad alium Conventum nondum reformatum transmittebantur; interea Superiorum solicitudo invigilabat, ut hos inter & illos charitas mutua foveretur, non læderetur, utque Reformati alios honorarent, & isti vicissim illos non despicerent. Atque ita svavi dispositione, sine vi, citraûe tumultum Reformatio in omnes Conventus successivè & pedetentim insinuanda. Verùm hìc lentè festinandum (ut jam antè monebamus) quantumvis instent & urgeant Magnates, Magistratus, amici, ut ad sua loca citò transplantetur reformatio: præproperâ festinatione nil magis hìc nocivum, fluenta divergiis arescunt: ita pessimis docemur experimentis, virtutem, dum dividitur, infringi. Si præcipitanter hìc procedatur ad alios Conventus, alterutrum, vel utrumq; incurritur incõmodum. Aut namq; minori, quàm par est, Thereupatarum numero disciplina langvebit, & regulares tepescent; cùm enim tot agendis impar cætus redditur, vel mole nimiâ pauci obruuntur, vel præpostero ordine potiorũ rerum neglectu, ad

ctu, ad exotica miserè distrahuntur. Aut certè ex antiquioribus vitæ laxiori assuetis, promiscui & minùs idonei admittuntur. Qui postmodum (quoniam in illis vetusta consvetudo pro natura inolevit) ad pristinas libertates prolapsi, facilè suo exemplo alios juniores pertrahunt ad similia, sicque *modicum fermenti totam massam corrumpit.* 1. Cor. 5.

Haud multùm dissimili modo DEUS olim processit cum electo sibi populo Israël, pedetentim, non simul & semel ad terras Chananæorum, Amorrhæorum, Hethæorum, &c. introduxit; hos paulatim extingvendo, & illos successivè dilatando *Non ejiciam eos à facie tua anno uno, ne terra in solitudinem redigatur, & crescant contra te bestiæ. Paulatim expellam eos de conspectu tuo, donec augearis & possideas terrã.* Exod. 23.

In variis Abbatiis Belgii reformandis, quibus subjacent Præposituræ, seu Prioratus, eò ablegati fuêre involuntarii, & retenti, vel advocati cupidi priscæ institutionis, quibus adjunctæ fuêre novellæ plantæ, quas regularium observantiarum aquis rigabat Magistrorum selectorum cura. Ubi ea commoditas defuit, locus, (quantum fieri potuit) separatus deputatus fuit pro informanda & continenda juventute, ne cum aliis senioribus conversationẽ haberent, quod ceu primum, & fundamentale observãdum.

Quantùm ad Monialium nostrarum Cænobia ad strictiorem inducenda observantiam, res specietenus videbatur difficilior, quòd eæ ad alia loca ablegari nequeant: at facilitata res ex congruo procedendi modo (quem declarabimus) DEI, ut confidimus gratiâ, adspirante bonis conatibus. Sic verò in iis reformandis egimus, & agendum est. Una, alterave, aut tres, à quarum nutibus & dictis, aliæ pleræque potissimùm pendent, (quales passim in singulis Monasteriis aliquæ reperiuntur) primùm informandæ leniterque urgendæ, ut & aliis persvadeant, negotium non ita arduum, uti apparet: sed umbratiles, & larvatas fore ratiunculas, quæ absterreant. Invitæ autem ad inconsvetum rigidioremve vivendi modum haud cogendæ; Atsi, (ut dictum) una & altera vel tres ex præcipuis bonæ fuerint voluntatis & intentionis, persvadere poterunt, ut paulatim se jungant aliæ; si quæ pertinaciter persisterent, relinquendæ pristino vivendi modo. Deinde inchoandum, maximè à fundamentis, id est, à junioribus

nioribus, & novitiis, curandumque, ut iis præficiatur zelosa aliqua, observantiæ meliori benè addicta.

Cœterùm hìc maximoperè advertendum, *Antiqnos mores, leniter, non asperè rescindendos*, opus, inquam, hìc est lenitate & discretâ modestiâ. *Nec temerè incipiendum, nec præcipitanter progrediendum, nec citò desistendum, si difficultates occurrunt, ut ferè nunquam non evenire solent.* Id eleganti similitudine (in subjecto haud multùm dissimili) polito, ut solet, sermone sic declarat *Adm. R. P. Leo a S. Joanne in Typo Vestis Religiosæ.* Solent, *inquit* fidium periti, si quando, dum musicum pulsant instrumentum nervus aliquis laxatus symphoniam auribus animisque priùs svaviter abblandientem corruperit, non quidem inconsulto impetu, aut temere violento chordam ad concentum reducere, sed manu lentâ, ac prudenti, contorto verticulo, sensim per cavam testudinem extendere, eoque artificio fides iterum aptâ modulatione contemperant. Nec similitudine omninò dissimili, ajunt medici, referente *B. Hieronymo*, grandes morbos non esse curandos, sed dimittendos naturæ, ne medela langvorem exasperet: vel certè remedia cautè decet instillare; quò videtur allusisse poëta, nescio quis dum cecinit:

Ratione 2. Sect. 4.

Temporibus medicina valet: data tempore prosunt
Et data non apto tempore vina nocent.

Ut exinde condiscamus, cùm *nullum animal morosius sit, nullum majori arte tractandum, quàm homo, nulli magis parcendum*, mirâ prorsus dexteritate opus, moribus hominum corrigendis. Id quoque venustissimè & omninò in rem nostram expressisse videtur *D. Ambrosius* (hoc ipsum quod meditamur, licet in diversissima materiâ, tractans ex instituto.) *quod erat*, inquit, *tunc dolendum nunc auferendum est, non asperè, sed sicut scriptum est in spiritu lenitatis, & mansvetudinis* Et lineâ ferme interjectâ: *Non ergo asperè, quantum existimo, non duriter, non modo imperioso ista tolluntur, magis docendo, quàm jubendo, magis monendo, quàm minando.* &c. Sic quoque pueri ad virtutem ducuntur plerumque non vi & terrore, sed lenitate ac amore. Et hæc practicanda quoque inter viros Religiosos, ut nempe Superiores, & Reformatores, cum lenitate & benignitate, prudentique moderamine procedant: debentque plena persuasionis eorum esse præcepta, non timoris, idq; ipsorū altè insideat animo, necesse est, ut cum

Seneca c. 17. de Clement.

cum longanimitate jungant suavitatē, ad emolliendos, attrahendos, fovendos animos. Ea magni momenti est ratio operandi, instar Dei ipsius (& utinam inter nos usque perseveret.) forti æquanimitate à fine usque ad finem. Itaque suavitati misceatur fortitudo, & quemadmodum in naturalibus præviè & pedetentim materia disponitur ad formam, quæ deinde subitò, atque instantaneè introducitur: atq; ut Chirurgus facturus gravem incisionem, præviis frictionibus carnem emollit, ac præparat, & tunc celeriter secat. Sic in restauranda disciplina regulari, rescindendisque moribus inveteratis initio maturâ discretione suaviter debent animi leniri & disponi, tandemque ea, quæ sunt præcipua, prudenti moderatâq; celeritate, ac virili foritudine, decernenda sunt, & executioni mandanda. Pro istis verò ritè contemperandis, cum Salomone Divina frequenter est imploranda Sapientia. *Hæc Carmelitanus.*

§ VIII.

CUra animarum, verè ars artium, quia ex illa æterna salus vel perditio tot millionum animarum pendet; unde quoque nunquam satis doceri vel edisci potest: ideò Curatorem Ecclesiasticum & Religiosum, (qui habet quod timeat pro pelle & anima sua) amplioris informationis, incitamenti, solatii gratiâ remitto ad huius artis peritos Magistros, quorum doctrinâ & exemplo suffultus poterit & ipse vasa captivitatis de manu Principis tenebrarum erepta, gloriosus Dux in perennem Regis Regum triumphum præsentare. Consulantur ergò & diligenter relegantur ad praxim.

I. S. Gregorij magni *Liber de cura pastorali.* Item *Homilia de officio seu cura pastorali.*

II. S. Chrysostomi *Libri sex de Sacerdotio.*

III. S. Prosperi Episc: Rhegiensis *Libri tres* 1. *De vita contemplativa Sacerdotum.* 2. *De vita activa eorundem.* 3. *De virtutibus & vitiis.*

IV. S, Bernardi Abbatis 1. *Libri quinq; de Consideratione ad Eugenium III. Pontificem max.* 2. *De moribus & officiis Episcoporum & Prælatorum Tractatus ad Henricum Senonensem Archiepisc.* 3. *De vita & moribus Clericorum, seu Tractatus super Ecce nos reliquimus omnia.* 4. *De vita & moribus Religiosorum, seu Apologia ad Gvilelmum Abbatem.*

Hos & alios Magistros ac Patres Ecclesiæ in materia præinserta in unumLibrum sub titulo septem Tubarum orbis Christiani *R. D. Jacobus Merlo Horstius* Coloniensis collegit.

V. Trithemii Abbatis inter suaOpuscula &Orationes reperies, quod in dicta materia illuminet intellectum, excitet affectum Religiosi Curatoris.

SUBSECTIO VII.

De Correlativo Magistri Spiritualis, nempe Discipulis Divinæ Sapientiæ.

NEcessitas Discipulorum Sapientiæ Divinæ, seu discendæ & practicandæ Virtutis, est tum propria cujusque, tum communis Ecclesiæ salus. Propria: quia unicum ad salutem æternam medium est virtus supernaturaliter exercita, ut ex supradictis patet, in omni genere hominum, statu, officio, patebitque ferè hoc totoOpere. Communis verò Ecclesiæ salus: Etenim cùm hæc sit supernaturalis & Divina, ad eam quoq; opus est Medio supernaturali & Divino scilicet Doctrinâ Divinâ, eam proponente in ore Prædicatoris *Spiritu Sancto*, & illustrante ac moventе corda auditorum. Siquidem proponere doctrinam Sacræ Scripturæ non dirigente lingvam proponentis Spiritu Sancto, etiam diabolus prævalet, & hæretici faciunt in perniciem plurium. Et quanquam etiam adsit recta intentio fidelis sed frigidi Prædicatoris, non ignitâ Spiritu Sancto lingvâ, minimè quoq; ignem sparget, quo tenebrosa & algida auditorum corda irradiaret accenderetque. Unde in signum hujus supra dimittendos ad conversionem orbis terrarum DiscipulosChristi, *Spiritus Sanctus* in igneis lingvis descendit. Et Apostolus inquit: *Sermo meus & prædicatio mea non in persvasibilibus humanæ Sapientiæ verbis, sed in ostensione Spiritûs & Virtutis: ut fides vestra non sit in Sapientia hominum sed in virtute DEI.* Deinde, quid prodest multùm verbis intonare, si Spiritus Sanctus interiùs Doctor in corde auditorum non operatur? Et quanquam hæc subtractio Spiritûs Sancti frequenter accidat ex culpa auditorum, non rarò tamen etiam contingit ob teporem & imperfectionem Prædicatoris. Unde S. Gregorius: *Mens concupiscen-*

1. Cor. 2.

S. Greg. l. 8. Moral. c. 26.

cupiscentiis exterioribus occupata, Divini amoris igne non calet, & idcircò ad supernum desiderium inflammare auditores suos nequeunt verba, quæ frigido corde proferuntur. Jam verò ut concurrat Spiritus Sanctus cum Prædicatore in opus alienæ salutis, necesse est, ut ipsi dignum in se habitaculum præparet per continuum studium virtutis, sitq; perpetuus Discipulus Sapientiæ Divinæ. Ita enim fiet, quòd unus Doctor vel Prædicator Sanctus plus afferet fructus in Ecclesia DEI, quàm mille Doctores vani, vel decem millia tepidorum Prædicatorum: quod revera singula Ecclesiæ Secula considerando, manifestè probant. DEUS enim & in ore Prædicatoris Sancti loquens, & cor auditorum movens, quid non efficiet? Hinc S. Leo: *O quàm velox est sermo Sapientiæ, & ubi DEus Magister est, quàm citò discitur, quod docetur. Non est adhibita interpretatio ad audiendum, non cōsultatio ad usum nō temp9 ad studium.* Et quia nunc messis animarum multa, Operarii autē Sancti pauci, etsi alii sint innumeri minùs perfecti, adeòq; parùm utiles: Igitur ad communem Ecclesiæ salutem promovendam, sicut perutiles sunt aliæ scientiæ liberales, ita unicè est necessarium studium practicum Sapientiæ Divinæ, seu Perfectionis & Sanctitatis. Porrò ad studium propriæ salutis omnes homines sunt apti, maximè fideles: quia ad hunc finem sunt à DEO creati, redempti, gratiâ sanctificati, ut quisque pro modulo suo, in schola virtutis proficiens Lauros & Coronas perennes mereatur. Ad curam verò salutis alienæ illi se debent sensim disponere per subliminiora studia perfectionis propriæ, qui à DEO vocantur ad statum Ecclesiasticum, & Religiosum, vel quibus à Superioribus hæc functio demandatur.

Ita citat Gonet. in Comment. Theol. S. Thomæ.

Cæterùm, Qui, & Quales, ad altiora Sapientiæ Divinæ mysteria perdiscenda requiruntur, *supra* visum est *in Præliminaribus*: nunc breviter insinuandum est. *Conditio primaria* Discipuli Christiani est *Sapiens Stultitia*, juxta quod Apostolus ait: *Si quis videtur Sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat, ut sit sapiens: Sapientia enim hujus mundi stultitia est apud DEUM.* (Hanc stultam sapientiam mundi, sicut & Sanctam seu sapientem stultitiam justorum qualis sit, infra descripsimus.) Stultus igitur debet esse, id est privatus fallaci sapientiâ mundi, & studiosus Sanctæ stultitiæ: Adeòque stultus apud mundanos, qui cupit ditari sapientiâ verâ & Divinâ. Cujus altissi-

1. Cor. 2.

1. 2. tra. 1. cap. 1. sect. 4. subs. 4. §. 2. Et tra. 2. cap. 3. sect. 19.

altissimam æstimationem & ferventissimum desiderium ante omnia, & Discipuli sibi, & Magister in eis comparent: (Pro quo incentiva dedimus *In præliminaribus, sub contemplatione*, & alibi passim) ut de ipsis quoque Sapientia dicere possit: *Qui edunt me adhuc esurient, & qui bibunt me adhuc sitient.* Prælibatis quippe semel Sapientiæ deliciis, ad illas per gladios & ignes, ac quæque ardua animus continuis desideriis æstuat, & pervenire eluctatur.

Eccli. 24.

Secunda Conditio est sincerus amor, & confidentia filialis ad Magistrum, tanquam dilectissimum Patrem suum, utpote qui totus & exemplo, & doctrinâ, & oratione, allaborat in hoc, quatenus sui Discipuli tanquam amantissimi in Christo Filii, in beata æternitate altissima dignitatis & gloriæ cœlestis culmina, immensum bonorum & deliciarum Oceanum, comparatum habeant. Quæ certè magna dilectio & cura Magistri seu Patris Spiritualis digna à Filiis Spiritualibus omni amore reciproco, & tenerâ confidentiâ filiali, honore, & gratitudine, in tempore ac æternitate. Et non permittant se à sathana seduci in minuenda eadem confidentia: alioquin lamentabile, & in totam æternitatem incomparabile meritorum, & quandoque totius salutis suæ detrimentum patientur. Deinde erga Magistrum omninò necessaria est *cæca & perfecta Obedientia*; Hinc Scriptura. *Væ! qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes.* Et S. Chrysostomus. *Nihil ita à reliquis avellit & abscindit, quemadmodum, si quis se sufficere sibiipsi putaverit. Unde & ita nos DEUS constituit, ut alter alterius operâ indigeat. Utut enim prudens sis, altero tamen opus habes. Quod si te nullius operâ indigere putaveris, omnibus factus es stultior & imbecillior.* Sed de hoc, præcedenti *Subsectione* & *alibi* fusiùs.

Isai. 5.
S. Chrysost. Homil. 22. in Rom. 12.
l. 2. tra: 2. cap. 6. sect. 5. subsect. 8.

Tertia Conditio est Puritas Cordis. Hinc dicitur: *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Deinde Christus: *Beati mundo corde, quoniam ipsi DEUM videbunt*; quæ visio seu cognitio DEI in præsenti abstracta, vel media; & in futuro intuitiva, ac eam consequens amor DEI & gaudium, est finis sapientiæ.

Sap. cap. 1.
Matth. c. 5.

Quarta Conditio est profundissima Humilitas. Quare DEUS per Prophetam: *Ad quem respiciam* (cùm Spiritus mei donis & gratiis, quorum est præstantissimum donum sapientiæ, & sermo sapientiæ gra-

Isai. c. 66.

tiæ gratia gratis data:) *nisi adpauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos?*

Quinta Conditio est Oratio fervens cum fiducia. Ita Jacobus Apostolus: *Si quis autem vestrûm indiget sapientiâ, postulet à DEO, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Postulet autem in fide nihil hæsitans: qui enim hæsitat similis est fluctui maris, qui à vento movetur & circumfertur; non ergò æstimet homo ille quod accipiat aliquid à Domino.* Et non modò pro se, verùm & pro Magistro Spirituali à suis Discipulis exoranda Divina Majestas: prout Doctor gentium Paulus Apostolus, idem in suis Epistolis toties à Christi fidelibus expetiit. Quippe ex Sancto & Sapiente Magistro, suorum Alumnorum tota felicitas ac beatitudo vitæ præsentis & futuræ plerumque dependet. *Jacob c. 1.*

Sexta Conditio juxta Cornel. à Lap. *est Sobrietas*, quæ naturaliter confert ad scientiam. Tum quia caput facit serenum, spiritusque animales facit liberos, & puros, aptosque ad speculandum & meditandum. Tum quia anima, quò minùs occupatur cibo, cibique concoctione, digestione, egestione, eò magis intendere potest & solet studio & contemplationi, in eamque totam vim suam exerere. Hinc Salomon: *Cogitavi* inquit *in corde meo abstrahere à vino carnem meam, ut animam meam transferrem ad sapientiam, devitaremq; stultitiam.* Et Isaias: *Quem docebit scientiam, & quem intelligere faciet auditum? ablactatos à lacte, avulsos ab uberibus.* Ita abstinentes Enos, Henoch, Mathusalem, Noë sapientissimi fuerunt. Noë enim totiꝰ mundi fuit reparator, instructor & gubernator. Ita Nazaræi & Rechabitæ à sapientia æquè ac abstinentia commendātur. Ita Moyses & Elias, jejunio 40. dierum sapientiam & visionem DEI meruerunt. Ita Judith, Esther, Machabæi sapientiam illam & fortitudinem, quâ Holofernem, Aman, & Antiochum prostraverunt, adepti sunt. Ita Joannes Baptista abstinentiâ quasi Angelus evasit Ita Paulus primus Eremita, Antonius, Hilarion, & tot Anachoretarum, & Monachorum examina, vitam, quasi Angeli terrestres, in abstinentia, contemplatione, & sapientia, longævam duxerunt, vixeruntque plerique eorum centum & ampliùs annos. Ita Cœnobitæ olim, teste S. Hieronymo, perpetuò jejunabant, aquam bibentes, & solum panem cum leguminibus & oleribus *Ita Corn. à Lap. in Genes. cap. 9.* *Eccl. c. 2.* *Isai. c. 28.*

oleribus manducantes. Audi & Gentiles. Tradit Xenophon, antiquos Persas ad panem nihil nisi nasturcium adhibere solitos, tumque floruerunt sapientiâ & virtute bellicâ, orbisque imperium tenuerunt 200. annis, scilicet à Cyro ad Darium, qui per delicias & vina, imperium cum vita perdidit. Chæredemus Stoicus tradit, priscos Ægypti Sacerdotes carne, vino, ovis, & lacte, semper abstinuisse, idque ut puriùs, intensiùs, acriùs divinis rebus vacarent, ardoremque libidinis restingverent. Atque hi Ægypti fueruntSapientes & Astrologi. Esseni apud Judæos vino & carne sibi interdicebant, totique orationi & studio sacrarum literarum vacabant; de quibus mira narrat Josephus, Philo, & Plinius. Quinimò Porphyrius in libro de abstinentia, ab esu animalium asserit plerosque ex eis Divino afflatos spiritu vates extitisse. Ebulus refert apud Persas tria fuisse Magorum genera, quorum primum (qui maximè sapientes & eloquentes existimabantur) præter farinam & olera nihil esitabant. *Hæc Cornelius.*

Septima Conditio est relictis superfluis scientiis adhibere indefessam diligentiam in studio speculativo & practico hujus Divinissimæ scientiæ. Hinc Sapientia inquit: *Beatus homo qui audit, & qui vigilat ad fores meas quotidiè, & observat ad postes ostii mei. Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino.* Et magnus Magister Spiritualium in persona DEI loquens: Fili, non te moveant pulchra & subtilia hominum dicta. Non enim est regnum DEI in sermone, sed in virtute. Attende verba mea, quæ corda accendunt, & mentes illuminant, inducunt compunctionem, & variam ingerunt consolationem. Nunquam ad hoc legas verbum, ut doctior aut sapientior possis videri. Stude mortificationi vitiorum; quia hoc ampliùs tibi proderit, quàm notitia multarum difficilium quæstionum. Cùm multa legeris & cognoveris, ad unum semper oportet redire principium. Ego sum, qui doceo hominem scientiam & clariorem intelligentiam parvulis tribuo, quàm ab homine possit doceri: cui ego loquor, citò sapiens erit, & multùm in spiritu proficiet. Væ eis! qui multa curiosa ab hominibus inquirunt, & de via mihi serviendi parùm curant. Veniet tempus, quando apparebit Magister magistrorum Christus, Dominus Angelorum, cunctorum auditurus Lectiones, hoc est singulorum examinaturus

Prov. 8. *Thomas à Kemp. lib. 3. cap. 43.* *1. Cor. 4.* *Soph. 1* *1. Cor. 1.*

turus conſcientias. Et tunc ſcrutabitur Hieruſalem in lucernis, „ & manifeſta erunt abſcondita tenebrarum, tacebuntque argu- „ menta lingvarum. Ego ſum, qui humilem in puncto elevo „ mentem; ut plures æternæ Veritatis capiat rationes, quàm ſi „ quis decem annis ſtuduiſſet in ſcholis. Ego doceo ſine ſtrepi- „ tu verborum, ſine confuſione opinionum, ſine faſtu honoris, „ ſine pugnatione argumentorum. Ego ſum qui doceo terrena de- „ ſpicere, præſentia faſtidire, æterna quærere, æterna ſapere, „ honores fugere, ſcandala ſufferre, omnem ſpem in me ponere, „ extra me nil cupere, & ſuper omnia me ardenter amare. Nam qui- „ dam amando me intimè, didicit Divina, & loquebatur mirabilia. „ Plùs profecit in relinquendo omnia, quàm in ſtudendo ſubtilia. „ Sed aliis loquor communia, aliis ſpecialia, aliquibus in ſignis „ & figuris dulciter appareo, quibuſdam verò in multo lumine „ revelo myſteria. Una vox librorum, ſed non omnes æquè in- „ format: quia intùs ſum Doctor, Veritas, Scrutator cordis, co- „ gitationum intellector, actionum promotor, diſtribuens ſingu- „ lis, ſicut dignum judicavero. „

Jam verò quod concernit Methodum diſcendi Theologiam Spiritualem ſpeculativè & practicè, Diſcipulus Chriſtianus eam ad punctum & amusſim obſervabit, quam Magiſter ſuus Spiritualis præſcripſerit. In quo puncto Magiſter tanquam Oraculum Divinum, Interpresque Divinæ voluntatis, & vices gerens ſupremi Magiſtri, Spiritûs Sancti, & Chriſti, exactisſimâ Obedientiâ audiendus, & ſequendus. Ita enim ſervatis præfatis Conditionibus, & promptisſimâ in omnibus obedientiâ, citiùs quàm ſperaverit, attinget ſupremum gradum Divinæ Sapientiæ, ſeu culmen Perfectionis, Sanctitatis, Beatitudinis in Via & Patria.

SUBSECTIO VIII.

De Cauſalitate Morali Virorum Apoſtolicorum ſeu Miſſionariorum in ſalutem proximi.

Miſſio à mittendo, (de qua hîc loquimur) *eſt deputatio alicujus ab eo qui poteſtatem habet, ad obeundum miniſterium Eccleſiaſticum,*

Laur. Beyerlinck Theatr. vitæ hum. tit. Misſio.

siasticum, ut puta prædicationis Evangelicæ, administrationis Sacramentorum, &c. Eaq; Missio nonnunquam Vocatio appellatur.

Missio duplex est: alia immediata, sive extraordinaria, alia mediata sive ordinaria. *Illa est* quæ fit à Deo proximè: quomodo in veteri lege missi & vocati plures: In nova Apostoli, & LXXII. Discipuli: post hos etiam Paulus vocatus, ut ipse de se fatetur *Apostolus segregatus* id est à Spiritu S. electus, *in Evangelium DEI*: Unde alibi dicit se *vocatum non ab hominibus, neq; per hominem &c*: *Ordinaria & mediata est*, quæ fit à DEO per Ordinarios Superiores & Prælatos. Et quidem de prima dicitur: *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos posuit Spiritus S. Episcopos regere Ecclesiam DEI*: de altera verò, cùm Paulus præcipit Tito Episcopo *per civitates, constituere Presbyteros*. Item cùm Apostoli, qui erant variè dispersi, deputârunt variis in locis ministros verbi & Sacramentorum juxta facultatem sibi à Christo traditam: quæ usque modò in Successoribus illorum perseverat, ac veram Ecclesiam, in qua hæc viget, illustri testimonio arguit. Igitur primum Jus mittendi in Ecclesia habet summus Pontifex S. Petri Successor, & ovilis Dominici custos & rector primarius. Cùm enim ille constitutus sit Pastor Christianorum omnium, neque per se omnibus adesse queat, per Episcopos suos, aliosque Ministros adest, qui acceptâ ab eo potestate populum sibi commissum pascant. *Subordinatam* & velut secundariam mittendi inferiores Ministros potestatem habent Episcopi; quia & ipsi Diœcesium suarum primi & summi constituuntur Pastores, non ut sint dominantes in Cleris, sed ut forma gregis facti, ovibus sibi creditis de necessario pastu provideant ut Patres.))

Ibidem. *Rom. I.* *Galat. I.* *Actor. 20.* *Tit. I.*

Motiva quibus incendantur Prælati Ecclesiæ ad procurandas Missiones, & Mittendi ad suscipiendas. *Primum*. Quia ut ait *Beyerlinck*: ejusmodi Missio est basis & fundamentum totius Christiani ædificij: *Quomodo* enim inquit Apostolus *invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante? quomodo verò prædicabunt nisi mittantur?* Mittantur non à Rege aut civili Magistratu inquit *Cornelius* sed à Deo.

Theatr. vit. hum: Missio *Rom. 10.*

Secundum. Est justitiæ debitum, quo Prælati & Curati ani-

marum

marum graviter obstringuntur ad indefessam vigilantiam & diligentiam in promovenda salute sibi commissorum. Hinc dum muneri suo satisfacere se solis convenienter nequeunt, obligantur providere viros probos & idoneos, quibus partem curæ & oneris sui committant. Alioquin severum caveant DEI judicium Pastores Christi ovium, si ille non dico gregis sui detrimentum videat, sed etiam minus utilitatis per incuriam Pastorum in eo reperiat. Unde *S. Benedictus* de Abbate qualis esse debeat ait: Sciat Abbas culpæ pastoris incumbere, quicquid in ovibus Paterfamilias utilitatis minùs potuerit invenire.)) *Vide supradicta de statu Curatorum animarum, & de Causalitate Morali Superiorum &c.*

Regu. c. 2. Sum. Theol. Spirit. cap. 6. sect. 3. Et par. 1. c. 1. sect. 1. subsect. 5.

Tertium. Charitas DEI & proximi, non modò curâ animarum oneratos, verùm & alios hâc curâ levigatos, urget ad juvandum proximum. Et certè si in hoc opere, vel negligentia, vel carentia legitimi Pastoris adest, vel aliquis alter idoneus minimè prodest; unde oritur periculum animarum, quisque pro possibilitate sua vi charitatis succurrere proximo suo tenetur in discrimine animæ, multò magis quàm corporis cõstituto. Hoc enim transitorium, illud æternum est; imò licet sint qui ad æternitatem in necessariis proximum juvent, tamen & alii non desint qui supererogatorio subsidio ad meliꝰ Esse perennis beatitudinis proximum promoveant. Quare Prælatos, Superioresque Religiosorum hoc subsidium Charitativum tangit, ut veniant cum sibi subjectis Viris virtutis in adjutorium Ecclesiæ DEI. *Videantur suprâ data De statu vitæ mistæ, & infrà De Charitate proximi, De Operibus misericordiæ Spiritualibus, De zelo.* Ubi tum pro Mittentibus, tum pro Missionariis sufficientia incitamenta dantur.

Quartum ab Exemplis. I. *DEUS* mittens Sanctos Patriarchas, & Prophetas, deinde Apostolos tanquam fideles operarios in vineam Ecclesiæ suæ, quæ ab Abel usque ad ultimum Electorum, qui in fine mundi nascetur, extenditur, & excolitur: sicut magnus *Gregorius* explicat. Unde Isaias dicit: *Dominus DEUS misit me & Spiritus ejus.*

Greg. homil. 19. in Evang. Isai. 48.

II. *DEUS PATER misit Filium suum in mundum, ut salvetur mundus per ipsum.* Urde & Christus ait *se missum ad oves, quæ perierant domûs Israël.*

Joan. 3. Matth. 15.

Matth. 10. & 18. III. CHRISTUS Dominus duodecim Apostolos misit priùs quidem ad Israëliticum populum: deinde post Ascensionem suam in Cœlum etiam in Orbem universum. Et Lucas refert: Quòd *designavit Dominus & alios septuaginta duos, & misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem & locum, quò erat ipse venturus.* *Luc.* 20.

Beyerlinck Theatr. vitæ hum. tit. Missio. IV. A Sanctis verò Apostolis usque ad præsens tempus Ordinariæ Missionis seriem facilè est contexere ex Summorum Pontificum successione, gentium Annalibus, ac Provinciarum, rerumque orbe gestarum Historiis, in quibus Scriptores omni ætate examussim monumentis suis providè inseruerunt, quos Episcopos & Evangelii Præcones quælibet aut Regio, aut Civitas habuerit, à quo missi, quos successores numeraverint, quo tempore ibi esse desierint, ac multa his affinia. Quoad illos autem qui ab ipso Romano Pontifice immediatè missi sunt, hodièque mittuntur, non est quòd in producendis exemplis laboremus, cùm omnes Episcopi à quocunque tandem cujusvis Privilegii prætextu designentur, aut nominentur, à Successore Petri confirmari & institui debeant; neque Jurisdictionem Episcopalem ab alio, quàm à Romano Pontifice valeant obtinere; infinitum foret per omnes Episcoporum Missiones, & ordinem successionis decurrere.))

V. *R. P. Matthias à Corona Carmelita* præclaro tractatu agens de Missionibus Apostolicis (cujus pleraque dicta cum hìc positis coincidunt) dum de Missionariis RR. PP. Carmelit: Discalceatorum prosequitur, hæc (prout excerptum à viro fide digno accepi) inquit: *P. Petrus à Matre DEI* cùm esset Concionator Clementis VIII. dictum Pontificem induxit ad fundandam Congregationem de propaganda fide. Et *P. Dominicus à J. M.* multa aureorum millia pro fundandis Missionum reditibus ex piorum fidelium manibus collecta, huic sacræ Congregationi contulit. Addit *P. Philippus*, quòd omnes Alumni Congregationis Italicæ singulis annis bis solenni ritu professionem renovantes, firmissimum addant propositum ad Terras infidelium se pro eorum conversione ituros.))

VI. *Vincentius de Paul* natus Anno 1576. in Pago Pouy non procul

procul à Civitate Aquensi distante, qui ut Sacerdos instituit Congregationem pauperum Sacerdotum; quorum purùm esset ministerium annunciare populo rudi & pauperi Evangelicam doctrinam. Quæ Congregatio in hunc usque diem procul dilatavit suos palmites. Etenim odore virtutis illorum allecta Serenissima Regina Poloniæ Joannis Casimiri conjunx Anno 1651. in Regnum Poloniæ ipsos evocavit: ubi magnos & uberes fructus charitatis produxerunt. Hujus Congregationis alumni quamvis nullis votis asstricti sint, obligant se tamen ire quocunque mittantur. Unde non pauci de illis amore Christi ad barbaras nationes destinati sunt tam Tunetum quàm Algiriam versùs, non sine lucro animarum. Agunt vitam communem, habentque instituta sanctitatem redolentia.)) Utinam! Præsules Ecclesiarum ejusmodi Missionariorum Congregationes & domicilia instituerent, qui per suas Dioeceses certis temporibus discurrerent ad rudem populum in doctrina Christiana erudiendum; quantùm importabile onus curæ Pastoralis eis levaretur? quot titiones ignis infernalis inter sydera empyrei Cœli attollerentur? Utinam! Prælati Religiosorum è suis Cœnobiis aliquos electos Viros virtutis ad similem curam destinarent, qui pertranseuntes sua & vicina Territoria, verbo & exemplo plures è barathro æternæ perditionis in Regnum perenis felicitatis secum deducerēt.

Exempla Missionariorum de statu Religioso etiam vitæ Contemplativæ.

S*Anctus Basilius* in sua Religione olim Ecclesiæ Orientalis firmamentum. Quippe Ordinis sui institutum adeò dextrè concinnavit, quod Charitati DEI & proximi propria deferret officia. Et ad præsens in Græco ritu, non nisi ex Basilii Asceteriis ad infulas Episcopales sublimantur.

S. Augustinus clarissimorum Ordinum Fundator magnificus. Cui Ecclesia Occidentalis primas partes & grates refert: quippe ille primus est, qui in Latina Ecclesia ut Basilius in Græca Regulares amplificavit colonias; & ex illis usque ad præsens tempus magnum Ecclesiæ DEI præstat solatium, & auxilium.

S. Benedictus teste magno Gregorio evertens idololatriam *In vita S. Benedicti.*

 in mon-

Beyerlinck. Theatr. vit. hum. tit. Missio.

in monte Casſino, *commorantem circumquaq; multitudinem prædicatione continuâ ad fidem vocabat.* Et ex ejus Benedicta Religioſorum familia D. Auguſtinus Monachus de licentia Pontificis B. Gregorii ordinatus Anglorum Epiſcopus à Germaniæ Epiſcopis Anno Chriſti 597. cum ſociis ferè 40. in Britanniam penetravit, quo Evangelium Chriſti (permiſſu Edilberti Regis) prædicante gens Anglicana veram fidem eſt amplexa, teſtibus *Beda lib. 1. hiſt. Gentis Anglorum*, & ipſis Centuriatoribus hæreticis *Cent. 6. c. 9.* D. quoque Bonifacius Anno Chriſti 719. à Rom. Pontifice Greg. II. variis Reliqniis & literis ejusdem dimiſſorialibus inſtructus, per totam Germaniam Apoſtolatûs & prædicandi munus eſt ſortitus.))

Ex Brev. Patron. Reg. Pol.

S. Adalbertus Benedictinus, Epiſcopus Pragenſis, deinde Gneſnenſis in Polonia, cum benedictione ſummi Pontificis Hungariâ in fide Chriſti confirmatâ, Poloniâque ſalutaribus præceptis copioſiùs inſtructâ, perrexit in Pruſſiam Idolis ſervientem, ubi pro fide Chriſti Martyr glorioſus occubuit.)) Sed quid multis exemplis, quorum pene innumera ſunt, opus? Benedictinus Ordo ferè ſeptem ſeculis totum ſuſtinuit Occidentem; Imò frequens totius Eccleſiæ clavum in ſummis Pontificibus præclarè gubernavit. En *Tritbemius* teſtis fidelis, dum ait: *A tempore S. Benedicti per multos annos Ordo noſter in maxima religione viguit, & Eccleſiam Dei per annos ſeptingentos laudabiliter ſuſtentavit: dum Fratres in eo degentes non ſolùm ſanctitate converſationis ſibi proficerent, imò etiam populis doctrinâ & librorum multiplicium editione prædicarent.*

De viris illuſtr. Ord. S. Benedicti l. 1. cap. 2.

Quid ſub Regula S. Benedicti militantis *Sacri Ordinis Ciſtercienſis* hoc titulo à multitudine Sanctorum, à magnitudine Sanctitatis olim inſigniti, referam zelum? Fervet hic, ut alia transeam Luminaria, in rutilantisſimo ejusdem Religionis jubare *S. Bernardo*: de quo ex ore viri probatisſimi *Bzovii* probata, clara, & nota in Eccleſia DEI accipe encomia. *D. Bernardus Abbas, ſi quis unquam alius, magnus Eccleſiæ Pacarius, magnus Chriſti Apoſtolus, magnus hæreticorum & ſchiſmaticorum expugnator. Maximus eloquio, doctrinâ, pietate, ſanctitate, religionis propagatione, miraculis factis. Maximus apud Pontifices, Imperatores, Reges, Principes, Cardinales, & omnes omninò Populos Chriſtianos: Cujus memoria felicisſima in benedictione, & ſanctificatione, ad morum diſciplinam, & ad condemnationem hæreti-*

Bzovius in Annalibus Eccleſiaſt. ad annum Chriſti 1153.

hæreticorum in sancta Ecclesia æternùm perseveret. Illo aureo seculo florentis Cistercii felices se arbitrabantur Ecclesiæ habere Episcopos de eodem sacro Ordine. Adnecto *B. Christianum* ex Monasterio Olivæ Cisterciensi licet ferè in ultimo Orbis climate ad aquilonem sito, Apostolum designatum à Sacra Romana Sede in Masoviam, Culmigeriam, Lubaviam, vicinasque Regiones (quæ nunc incorporatæ sunt Regno Poloniæ.) Qui præclaros ex semine Evangeli animarum fructus retulit, & Crucigeros in Prussiam introducens ad novellam Christianam fidem tutandam ac propagandam, miraculis & virtutibus insignis quievit in Domino.)) Ecce contemplativus Ordo SS. Benedicti & Bernardi quantùm studuit & studet non modò propria sed & proximorum æternitatis lucra curare.

Menol. Cistercien. ad 4. Decembris & Monum. Olivens.

S. Dominicus quid in se, quid in suæ Religionis instituto? Fax cœlestis, incendens Orbem terrarum illo igne, quem Dominus venit mittere in terram: dissipans errores infidelium: rutilans solis ad instar sublimitate & fulgore doctrinæ: Ecclesiam DEI ut vernantissimum Paradisum suarum Rosarum exhilarans svaveolentia & pulchritudine. Sed quid multis? Ordo Prædicatorum est Doctor gentium & Prædicator, magni illius Apostoli gentium virtute ac officio imitator, ejusque doctrinæ specialis venerator.

Seraphicus Franciscus quid aliud spiraret nisi flammas amoris? Viva & vera imago Filii DEI, & in suo quoque zelo ejus expressiva. Collectis enim duodecim suis Fratribus sub Evangelii regula militantibus, misit eos in varias orbis partes prædicare Evangelium Christi: ipse quoque æstuans charitate, suo sangvine restingvere, ne dicam ampliùs inflammare cupiens, perrexit ad infidelium oras. A Patre suo non degeneres Filii, ut fortissimæ Columnæ sustentant, ædificant, lætificant Ecclesiam Dei.

Elianus Ordo sicut omnes Religiones antiquitate præit primus, ita zelo gloriæ DEI & salutis animarum non est postremus. Ille est *Ordo Propheticus*, qui in suo Patriarcha Elia, Eliseo, filiisq; Prophetarum zelo zelatus pro Domino DEO Exercituum, ab Idololatria populum Israël revocavit, & in obsequio veri DEI continuit.

Reg. lib. 3. & 4.

nuit. Ille est (a) *Ordo Apostolicus propter Elpidium, aliosq́ Apostolorum coadjutores, quorum voce & spiritu Fides eluxit toti mundo.* Ille est Ordo *Essenus propter insignem Baptistam, cæterośq; Essenos, ante & post Christi præcones.* Ille est Ordo, qui Ecclesiæ DEI magnos dedit Doctores & Patres, Chrysostomum, utrumque Cyrillum, Damascenum, ut brevitatis studio pertranseam tot summos Pontifices, Patriarchas, Episcopos, nec commemorem Antonium, Hilarionem, aliasque Ecclesiæ clarissimas columnas; præterquam allubet hic cernere gloriosum Angelum Carmelitam, (b) quo Romæ viso S. Dominicus S. Francisco Assisiati dixit: *Hic est Angelus Hierosolymitanus, Christi & fidei Catholicæ defensor, & declamator ardentissimus, qui doctrinâ & sanctitate vitæ incredibiliter Christianæ fidei profuit.* Cui S. Franciscus ita respondit: *Hic est ille Civis cœlestis, qui in Sicilia Martyrio coronabitur.* Deniqùe Angelus ad se venientes his est complexus verbis: *Salvete maximi militiæ Christianæ Doctores. Dominice impugnator hæresum strenuissime; & Francisce Christi præcipue imitator, qui virtute humilitatis vera portabis stigmata Christi.*)) Quid? Magnum Carmeli decus S. Theresia nonne cœlestis doctrinæ pabulo Ecclesiam reficit? (c) Imò Discalceatorum Carmelitarum familiam ideò instituit, ut Ecclesiæ subministraret Ministros ad fidem Catholicam defendendam; cui & Moniales suas consecrâsset, si virginitatis sexus non obstitisset. Verùm ut hic contemplativorum Ordo (d) *eò ferventiùs & plus solitò verbum DEI per mundum seminaret, Joannes* xxij. *eum parificavit Prædicatoribus & Minoribus in omnibus gratiis, & Clementinis, eisdem concessis.* Hinc Religio Carmelitana multas facit Missiones in Asiam, Affricam, Americam. Attamen si quando ejusmodi charitatis zelus patescet, tum maximè in extrema mundi nêcessitate, quando antesignanus Prophetici Ordinis Elias in comitatu suæ spiritualis militiæ, cum supremo Antagonista Christi Antichristo ejusq; Pseudo-Prophetis ad certamẽ & triumphum à tot seculis reservatur pro gloria Nominis Christi, ejusq; populi Christiani subsidio & solatio in illa ultima tribulationum tribulatione. *Hæc fusiùs pro Carmelitis, quorum principalis vita est contemplativa, solitùdo, silentium; ut appareat nil obstare contemplativis & solitariis etiam posse in animabus fructificare Ecclesiæ DEI, quantùm illorum status permittit.*

(a) *M. Gabriel Hernandez in censura Hort: Philosoph: Dionysii Blasii.*

V. Ibidem.

(b) *Franciscus Maggio Cleric. Reg. Theat. Carmel. Marian. Epist. Dedicat:*

(c) *R.P. Philippus à S. Trinit. in 2. 2. D. Thom. tra. 3. disp. 8.*

(d) *Ex Arnol. Bostio Pater Daniel à V. M. vine. Carm. p. 3. c. 3.*

Societas

Societas JESU in terris viventis quæ? Apoſtoli & Diſcipuli JESU. Hæc Societas ſub Magiſterio S. Ignatii zelo DEI igneſcentis reſtaurata; Apoſtolicis viris replevit Orbem terrarum, & in fines Orbis terræ verba eorum. Ad hoc ſpeciali voto pro DEO & proximo ſe obſtringentes fervidi, Magni Indiarum Apoſtoli ſui S. Franciſci Xaverii æmulatores, ad inacceſſos quoque Antipodas pervolare non ceſſant. Cuncta quippe cedunt & ſuccedunt igni charitatis in JESU Sociis.

In Praxi inſtituendi fructuoſas Misſiones in promotionem gloriæ DEI, & ſalutis animarum, hæc obſervanda ſunt. *Beyerlinck Theatr vit. hum. tit. Misſio.*

I. *Autoritas Miſſionis.* Hinc *Beyerlinck* inquit: Ante omnia requiritur in eo qui ad Infidelium ſive converſionem ſive inſtructionem mittitur, ut legitimè, hoc eſt ab habente poteſtatem mittatur, ne aliunde, & non per oſtium intrâſſe videatur: ideoque misſionis ſuæ diploma, admiſſus in aliquam provinciam, in qua priùs alii cum poteſtate ordinaria ſunt, exhibeat, & cum illis jam expertis conferat de modo & forma inſtituendi miniſterii. Si nulli tales fuerint, ſequatur directionem ſibi à mittente præſcriptam.))

II. *Delectus Miſſionariorum à virtute, à ſcientia, à prudentia &c: faciendus.* Quare *Beyerlinck ait*: faciendꝰ eſt mittenti delectus Clericorum; ac ſingulorum inclinationes, vires, deſideria, mores, eruditio penitius inveſtiganda, ut ſint potentes exhortari in doctrina ſana, & contradicentes arguere: bene mortificati, obedientes, humiliter de ſemetipſis ſentientes, non vaniloqui, ebrioſi, cupidi, quærentes quæ ſua ſunt, non quæ JESU Chriſti: parati durisſima quæque pro Divini Nominis & fidei Chriſtianæ incremento ſuſtinere. *Et paulò poſt:* Denique omni virtute prælucere debent gregi, ad quem mittuntur, dicto ſuperiorum obedire, operarios inconfuſibiles ſe exhibere, pacem cum omnibus fovere, fraternitatem diligere, & ad normam priſcæ vitæ Clericalis adlaborare. *Ibidem.* Certè B. Xaverius etiam facultate Apoſtolici Legati munitus, ut notat *Turſell: in vita* ſemper ſe loci Epiſcopo ſubjecit, ac omnibus gratum & officioſum ſe præſtitit)) Imò (*ut in Regul. Societat. de Misſion.*) & alios Eccleſiaſticos præcipuè Parochos, tum Seculares quorum authoritate & favore opus habent, ſibi devincere ſtudeāt.

Quod

Quòd verò concernit Regulares, quorum periculosior est à Monasteriis ablegatio, juxta illud Magni Arsenii; *quod piscis in arido, hoc Monachus in oppido*; diligenter attendendum, quo Spiritu ad missionem ferantur. Plures enim contingit hac ratione libertatem sectari, ut superiorum aut Regularis observantiæ jugum excutiant, & oculum quem à se projecerant olim, resumant: ut nempe vel commoditati, vel voluptatibus tutiùs vacent, aut opes non opus accumulent. Quo fit, ut pleriq; in Provinciis hæreticorum nonnunquam Divitibus se insinuent, aurem eorum captent, ut aurum corradant, favores expetant, apud eos maneant, quòd lautiùs habeantur, & ità lanam potius, quàm oves quærant. Cùm tamen meminisse eos oporteret Christum Evangelizare pauperibus missum, neque personam hominum respexisse: & Apostolum Paulum omnibus omnia factum, ut omnes lucrifaceret. Dicere solebat B. Philippus Nereus: *Qui vult fructum facere in anima, contineat manum suam à bursa.*

Ide Ibid.

Quocirca Religiosus à superiore missus in omni conversatione, doctrina, verbo, & exemplo apud infirmiores illos, Professionis suæ memor, nihil nisi quod religionem arguat, agat, ac cõmendabilem omnibus mansvetudine, benignitate, continentiâ, conversatione se præbeat. Ad quod vel plurimùm conducet, si Religiosi ubi ad loca devenerint, in quibus Episcopi, aut Pastores seculares ordinariam Jurisdictionem habent, missionis suæ tesseram omni benevolentiâ & humilitate exhibeant, operam suam offerant, neque pro privilegiis suis nimiùm altercentur; dummodo nihil inordinatum, quodve in notabile præjudicium ipsorum vergat, ab aliis proponatur.

Deinde sua non debent immodicè jactare, & Secularium ministeria despicere; neque solùm Religionis suæ commoda sed Ecclesiæ bonum spectare. Siquidem notat *Thomas à JESU lib: 4. de Convers: gentium*, plerosque Religiosos idcirco in prædivites auro Indias perrexisse, ut temporalibus lucris inhient; & neglexisse Tartariam, Norvegiam, Moscoviam, ubi tamen summa messis, & operarii nulli, aut vix ulli.

Conveniet autem Missionarios non facile se ad illam vineæ culturam ingerere, nisi tantùm profecerint in illis, quæ populo, ad

quem

quem mittuntur, sunt necessaria, ut sperent se fructum aliquem adferre posse. Aliter enim cum Gentilibus, aliter cum obstinatis Hæreticis Pastori aut Sacerdoti agendum est; aliter cum Judæis, Machometanis, Idololatris. Unde & ex diversis principiis & dogmatibus hi præ aliis instituendi; ideoq; alii libri evolvendi, aliis quoque & aliis lingvis incumbendum.

Expediet quoque ut mittendi quantùm fieri potest oriundi sint ex illis Regnis & Provinciis, ad quas mittentur; illi enim faciliùs se amicis & notis insinuabunt, eruntque minùs suspecti, aut odiosi. Quo fit, ut in Hollandia ac vicinis Provinciis, Sacerdotes seculares istius provinciæ jam annis retro actis XL. quibus hæreses dissectæ, rerum ibidem potitæ, majorem fructum fecerint, quàm omnes quotquot venerunt aliunde: quorum occasione excitatæ plerumque turbæ, dissidia, æmulationes, quæ à ministris Ecclesiæ eliminari deberent. Imo quòd plures ex istis, tam Religiosi quàm Seculares aliunde advenientes in apostasiam, incontinentiam, & hæresim prolapsi, cùm Sacerdotum firmo velut domicilio sub Vicario suo Apostolico in Hollandia, & viciniis degentium, nè unus quidem defecisse deprehendatur proximis XXX. & XL. annis. Sunt enim viri graves, plerumque in celebri Academia ad gradus S. Theologiæ promoti, Zelosi ad se opponendum instar muri pro domo Israël, paucis contenti, divitibus non molesti, neq; cupidi; quin ex illis plures Facultatibus propriis & patrimonio erogato egenis, omnia sua Ecclesiæ gratis impendunt, ut quibus sufficiat pro Spirituali suo semine ab agris illis fidelium dignam mercedem necessariæ sustentationis, quæ nomine carnalium à Paulo vocatur, metere; ut adveniente Pastorum Principe immarcessibilem gloriæ Coronam meliori Jure adipiscantur. Operæ pretium fuerit Lectorem videre *Libellum* super hoc argumento pridem editum ab Illustrissimo D. *Philippo Rovenio Archiep. Philipp. Vicar. Apost. ibidem.* Hactenus Beyerlinck.

Unusquisque plenam in his ac liberam sui dispositionem Superiori, qui cùm Christi loco dirigit, relinquat: poterit tamen motus animi aut cogitationes, quæ in contrarium occurrunt, illi producere, subjiciendo suum sentire, & velle ei, quod ipse in Domino judicaverit. *Regulæ Societat. JESU in Missionibus*

Ibidem. Et qui mittendus erit, plurimùm conveniet, ut intelligat à Superioribus scopum suæ Missionis, & effectum, cujus gratiâ mittitur: id quod in scriptis si fieri potest habere curabit.

Beyerlinck tit. Missio. III. *Confidentia in DEUM*; quâ confidere omnes debent, qui hoc DEI opus sincerè peragere intendunt, quòd aderit laborantibus Spiritus S. Dabitque os & Sapientiam, cui non poterunt resistere omnes adversarii. Dummodo laborent, ut eos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum DEI.))

Regulæ Societat JESU Missio. *Et:* Qui in Missione superior erit, initio suscipiendorum operum, vel quando major subsidii necessitas cernitur (quòd res magni momenti sint, vel difficultates graves incidant) applicabit, curabitque applicari Missas & orationes, ut omnia cedant ad majorem DEI gloriam, & proximorum utilitatem.

Ibidem. IV. Cùm eò pervenerint, ubi diutiùs immorari debent, prudenter ac maturè operam dabunt, ut notitiam habeant probatorum virorum, & pietate ac rebus agendis insigniorum, quorum informatione vel auxilio juvari possint ad ministeria (*Missionis*) majore cum fructu animarum exercenda.

Ibidem. Cùm oppidatim missi fuerint ad fructificandum in agro Domini, dabunt operam, quoad fieri poterit, ut more pauperum Evangelium prædicent: proinde & pedites vel in toto vel in parte iter facient, si eos Superior id præstare posse judicaverit; & ex eleemosynis, vel oblatis, vel cum ædificatione emendicatis vivent; nisi alia ipsis à Superiore sustentationis ratio sit constituta.

Ibidem. Si nullum eis à Superiore designatum fuerit hospitium, intelligant sibi ad aliquod hospitale, tanquam ad hospitium pauperum esse divertendum: si tamen honestum id sit, atque ad exercenda ex eo ministeria (*Missionis*) accõmodatum: alioqui convenientiùs erit, ut in domum pii alicujus & exemplaris Ecclesiastici, aliumvè ejusmodi locum, se recipiant, in quo cum ædificatione manere possint.

V. Ibid. Media Spiritualia, quibus Missionarii ad beneplacitum Superioris uti poterunt, ferè sunt ministerium Verbi DEI in prædicationibus, sacris lectionibus, privatisvè exhortationibus & colloquiis; Sacramentorum Confessionis & Eucharistiæ administratio; Exercitiorum Spiritualium traditio; Dissidentium reconcilia-

conciliatio; Casuum conscientiæ ad Ecclesiasticos, eorumque officii magis privata explicatio; Et Christianæ doctrinæ ad pueros ac alios rudes publica declaratio.

Corporalibus etiam pietatis operibus quantùm Spiritualia permittent & vires patientur, incumbere poterunt; ut infirmos præcipuè in Xenodochiis per se vel per alios juvando, & pauperes ac in custodiis detentos, quatenus licebit eodem modo sublevando. *Regul. Soc. J. in Miss.*

Etsi certus ordo in (*Missionis*) ministeriis exercendis præscribi non potest; plerumque tamen utiliùs erit & securiùs ab humilioribus inchoare, ut à doctrina Christiana pueris explicanda, ab ægrotis hospitalium invisendis, eorumque & aliorum magis indigentium Confessionibus audiendis. *V. Regul. Societ. in Miss.*

Juxta eam charitatis regulam, quâ se Apostolus omnia omnibus faciebat, ut omnes lucrifaceret, expediet nonnunquam, ut ingenio eorum cum quibus agent, initio se attemperent (quatenus ratio & virtus ferent) ita tamen, ut meminerint ad id tandem eos cum DEI gratia perducere, quod illis in Domino magis conferre judicabunt. *Ibidem.*

Cùm præter id quod eis fuerit peculiari ratione injunctum, res aliqua Divini servitii se obtulerit, in qua possint sine detrimento suæ Missionis suam operam ponere; opportunitatem quam DEUS ad eam dederit, quantùm in eodem convenire judicabunt, è manibus elabi non sinent. *Ibidem.*

Quæ DEO auctore perficient, ea quantùm licebit, ita constituant, ut stabilia sint, & diu durare possint. Quod facilius obtinebunt, si res convenienti ordine disponant, earumque bonum progressum iis commendent, quorum exemplo, auctoritate, studio, & diligentiâ facilè conservari & promoveri possint. *Ibidem.*

Cùm propter nullas occupationes propriæ intermittendũ sit perfectionis studium, diligenter animadvertant, ne prætextu procurandæ aliorum salutis, propriæ Perfectionis obliviscantur, ipsamq; propriam salutem eâ ratione in discrimen adducant: sed sæpè illud Domini mente revolvant: *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Sibique illud D. Pauli unusquisque dictum existimet; *Attende tibi & doctrinæ, insta in* *Regul. Soc. in Mission.* *Matth 16. 26.* *Tim. 4. 16.*

illis : hoc enim faciens, & teipsum salvum facies, & eos, qui te audiunt. Hanc ob rem caveant, ne consveta in Collegiis ac domibus orandi, & examinandæ conscientiæ exercitia imminuant, nisi si quando necessitas aut in eventu aliquo Charitas aliud faciendum postularet. Conversationem cum secularibus nimiam non habeant, & incautam, aut quæ secularem sapiat; sed in omnibus se integritatis & gravitatis exemplum præbeant.

Ibidem. Præter hæc, si pro ratione diversarum Regionum & Missionum qualitate, alia quædam à Superioribus constituenda videbuntur; ea in peculiaribus instructionibus addita pari diligentiâ observanda erunt. *Hæc ex Regula Societatis JESU in Missionibus :* quæ alii quoque Missionarii Ecclesiastici sive Religiosi pro suo officio Missionis proportionatè adaptare possunt.

In illis Regionibus, ubi est messis multa animarum, Operarii autem pauci vel numero, vel probitate, & idoneitate ad curam animarum, Præsulibus talium Diœcesum incumbit providere Missionarios, quibus quisque Antistes suam Diœcesim per partes distribuat, quas scilicet decurrant cathechisando, prædicando, Sacramenta administrando. Quod si forsan aliqui Præsules Ecclesiastici hoc in puncto negligētiores fuerint, igitur saltem vos Prælati, Abbates, aliiq; Superiores Religiosorum, audite vocem sanguinis JESU, qui inclamat vos, ne sit vacuum pretium ejus in tot animabus : audite lamenta parvulorum Christi in spiritu, qui moriuntur præ fame Verbi Divini : misereminι super ruina pereuntium ad inferos, mittentes ex vestris Cœtibus viros virtutis, qui ignis adinstar illuminent & inflamment miseros mortales, sedentes in tenebris errorum & peccatorum, ac in umbra mortis æternæ. Si id non potest fieri continuò, si non frequentiùs, adminùs circa festa Natalitia, Paschalia, Pentecostalia, huic Apostolico incumbatur muneri; mittantur bini & bini ante faciem Domini, & peracto opere revertantur ad sua Claustra & Collegia. *Quemadmodum legitur de Cisterciensibus Congregationis Fuliensis, quomodo aliqui ipsorum diebus Festis ad Oppida, aut Castella, quinis aut senis passuum millibus à Monasterio disjuncta, Sacras conciones, unam in uno Oppido, alteram in altero habituri, excurrebant. Nec tamen quidquam cibi aut potus, vel in via, vel in illis Oppidis attingebant, sed integram famem, ad panis & olerum coenam aridam vespere aut etiam nocte reversis im Monasterium*

V. Chrys. Henriq. in Menol. Cisterc. ad diem 28. April.

sterium apponendam, reservabant. Et vos quoq; Antesignani aliorum Religiosorum similiter fieri procuretis. Ita fiet, ut debito charitatis exsolvamini, alioquin illud nunquam exsoluturi in pœnis æternis: Regnum Christi ampliabitis: Illustrioremq; in perenni beatitudine Coronam accipietis modico vestro labore, pene solo verbo: *Fiat*; mittendo dignos Operarios in messem Christi. Denique vos quià Spiritu S. ad hoc ministerium incitamini, insinuate propensionem pectoris vestri Superioribus vestris dicentes illud Isaiæ: *Ecce ego, mitte me*; scientes, quia hujus rei gratiâ æternum gloriæ pondus præparatur vobis: nec magis amori Christi facietis satis, quàm effectivè amando eum in membris suis proximis vestris, quos suo reali corpore & sangvine vi detur magis æstimâsse. *Isaiæ 6.*

V. Noverint denique Missionarii, plerumque fieri, quòd durissimis laboribus & persecutionibus ipsorum excolenda sit Vinea Christi, ut sangvine quoque subinde irrigetur, ac morte ad vitales fructus ferendos animetur. Christus Dominus, & ejus Apostoli, Apostolicique viri, quid pro sua fidelissima zelosissimaq; veritatis prædicatione immensisque laboribus, pro ardentissima charitate ab ingratissimis hominibus receperunt? nonne mille injurias, contumelias, despectus, verbera, exilia, tormenta, cruces, amarissimas mortes? Hi proventus, hi reditus illorum fuêre. Libet audire unum ex illis Doctorem gentium dicentem: *Puto, quòd DEUS nos Apostolos novissimos ostendit, tanquàm morti destinatos; quia spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus. Nos stulti propter Christum &c. Usq; in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris: maledicimur & benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus. Tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usq; adhuc.* Hinc suum discipulum monet, dicens: *Prædica verbum: insta opportunè, importunè: argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina.* Nec mirum zelatores salutis animarum tanta pati. Certamen quippe acre ineunt cum Principe tenebrarum de vasis captivitatis, ut ea diripiant ex atrio fortis armati illius. Hinc ipse & arte & marte non pavet congredi & aggredi impugnantes se,

1. Cor. 4.

2. Tim. c. 4

tes se, modò per homines, ipsos etiam, quorum salutis tantâ cupiditate trahuntur, detractionibus, contumeliis, tormentis, morte ipsâ persequendo; modò per seipsum & internè variis timoribus, diffidentiâ, pusillanimitate, amaritudinib9, & externè verberibus cruciatibusque afficiendo: modò varia impedimenta, obices, difficultates procurando: ut cæptis desistant. Verùm ò generosè Athleta Christi tu nè cede malis, sed contra audentior esto, præsto tibi est auxilium de cœlo: igitur per ignes, per tela rape ex ungvibus Leonis infernalis pretiosam animarum prædam, quam in triumpho cœlestis gloriæ præsentes supremo Regi Regum, à quo pro tanta & tam pulchra victoria è potentissimo & versutissimo hoste obtenta, perennis Regni diademate & splendidissimâ Doctoratûs coronaberis Aureolâ, ad majorem Gloriam Dei, T. O. M. & augmentum beatitudinis totius Curiæ Cœlestis.

CAPUT II.

De Causa seu Principiis Naturalibus, Physicè concurrentibus cum Principiis Supernaturalibus ad efficientiam Mediorum, seu Actuum Vitæ Christianæ Supernaturalis sive Spiritualis; ad Finem Supernaturalem.

A Moralibus ut remotioribus ad proximiora venimus, nempe principia naturalia Physicè concurrentia ad effectionem actuum supernaturalium. Adeoque hoc Capite agendum est priùs de iisdem principiis, quàm de supernaturalibus, utpote quorum sunt illa subjectum. Hæc autem principia naturalia sunt Anima cum suis viribus seu potentiis: de quibus hic intantùm discurrere opus, inquantùm se habent in ratione dicto-

rum

rum principiorum. Necessaria autem est supernaturali vitæ dedito præfatorum principiorum notitia. Tum, ut exactam omni ex parte potiori habeat status vitæ supernaturalis scientiam: persæpè namque contingit inter alia ad elucidandum & percipiendum actum, cæteraque vitam supernaturalem concernentia, debere evocare totam œconomiam internam potentiarum & operationũ, quarum notitia tunc majores offundet tenebras, quam lucem addet, si proponantur. Tum, ut ratio vitalitatis, spiritualitatis naturalis, libertatis, aliaque prædicata naturalia in actu supernaturali videantur, à quibus principiis naturalibus oriantur.

Porrò Anima rationalis definitur ab Aristotele *esse id, quo vivimus, sentimus, movemur, & intelligimus.* Hæc in ratione principii cooperativi ad actus supernaturales etsi realiter sit una eademq; & indivisibilis, per rationem tamen distingvitur in triplicem sui partem, respectivè ad triplicem ordinem suarum proprietatum, & operationum, quibùs concurrit ad actus supernaturales. Sicut ob eandem rationem potentias Animæ trifariàm accipimus, ita ut Anima cum suis potentiis dividatur in sui infimam, mediam, & supremam partem: ut sic quoque repræsentet triplicem Hierarchiam cælestem; prout in erecto Schemate graduum status vitæ Christianæ *supra* delineavimus. Veruntamen adverte spirituales non raro unam partem animæ, sicut & unam potentiam pro alia, accipere. *Arist.l.2.4.* *V. Sum.Theol.Spirit. c. 5.*

SECTIO I.

De infima parte Animæ rationalis, & suis potentiis.

§ I.

INfima pars Animæ rationalis vocatur Anima sine addito rationalitatis, vel Animalitas. Quod hac parte per unionem sui ad Corpus, ejus organa animet seu informet vitâ vegetativâ, & sensitivâ. *Non enim prius quod spirituale est, sed quod animale, deinde quod spirituale.* Dicitur autem hæc pars Animæ Infima. Quia cum brutis animantibus est communis. Quanquam in externis potentiis hujus infimæ partis Animæ, dicantur nonnulla *1. Cor. c. 15.*

bruta

bruta præcellere homines; uti Lynx visu, Aper auditu, Canis odoratu &c: Sicut Homo in internis propter vicinitatem rationis dirigentis cognoscitivam sensitivam, secundùm eam multò præeminet brutis in multis.

§ II.

De viribus Apprehensivis Infimæ partis Animæ rationalis.

POtentia *seu* vis Apprehensiva alia est exterior, alia interior. *Exterior* inquantum viget in quinque sensibus exterioribus; nempè in Visu, qui est perceptivus lucis & colorum, ac elicitivus visionis eorundem: In Auditu, qui est perceptivus sonorum, & elicitivus auditionis eorundē: In Gustu, qui est perceptiv9 saporū, & elicitivus gustationis eorundem: In Olfactu, qui est perceptivus odorum, & elicitivus olfactionis eorundem: In Tactu, qui est perceptivus tangibilium, & elicitivus tactionis eorundem. *Interior apprehensiva vis* est, quatenus manet in quinque viribus interioribus, id est in Sensu communi, Imaginativa, Æstimativa, Phantasia, & Memoria sensitiva. *Sensus communis* ideò dictus, quia omnes sensus externi ab eo tanquam lineæ à centro suo in sphæram derivantur, & similitudines suorum objectorum ad eundem referunt, à quo etiam recipiuntur, eoque mediante de proprietatibus singulorum dijudicant, v. g. Visus per hunc communem sensum discernit se hæc vel illa videre, non verò audire lucida aut colorata, idq; illud esse magis lucidum objectum, quàm hoc aliud. Hæc vis manet in anteriori parte cerebri, quò conveniunt nervi sensorii quinque sensuum, qui locus est medullosus & humidus.

Imaginativa est virtus, seu vis abstrahens & recipiens imagines ac formas rerum à Communi sensu perceptarum, easque conservans etiam in absentia rerum; per quod differt à Sensu communi, qui nonnisi retinet formas rerum in præsentia earum: Hæc vis ponitur post anteriorem partem cerebri, ubi & major durities est ex frigiditate cerebri.

Æstimativa est facultas formarum seu imaginum per Imaginativam repræsentatarum intentiones id est proprietates seu propensiones

ſiones naturales valẽs cõcipere ſeu apprehẽdere;eaq; apprehẽſione movere Appetitum ſenſitivum ad actus fugæ,vel proſecutionis.Ita ovis per æſtimativam apprehendens proprium eſſe lupo,ut noceat ſibi,movetur ad fugam ejusQuia verò perceptio harum intentionum individualium in homine provenit ex quadam collatione, ideò potiùsVis cogitativa ſeu Ratio particularis dicitur in homine quàm Æſtimativa, ex qua in brutis ad inſtinctum naturæ agentibus ejuſmodi intentionum fit apprehenſio.Hæc vis reſidet inprima parte mediæ cellulæ cerebri, quæ calida eſt ob copiam ſpirituum.

Phantaſia, eſt vis componens apprehenſas imagines vel formas cum aliis formis, v. g. nigrum cum albo, ut inde reſultet varium quid. Item eſt componens intentionum cum intentionibus, & ita ovis apprehendens ſui nati intentionẽ & alieni, illi ſua ubera porrigit, hunc rejicit.Item,eſt componẽs imaginum cum intentionib9,ut v.g.dum ovis apprehendit propenſionẽ lupi ad ſibi nocendũ.Item, per Phantaſiam Anima ſenſibilis non modò ſcit præſentia, ſed etiam providet ſibi in futurum,v.g.Dum aves nidos procurant, &c. Item, eſt dividens formarum & intentionum unius ab alia. *Hæc potentia in homine accipit agendi & operandi regimen à* Ratione : in brutis autem regitur ad inſtinctum Naturæ. Ponitur verò Phantaſia in medio mediæ cellulæ cerebri inter imaginativam & memorativam ; reſpicit enim tam formas imaginativæ, quàm intentiones reſervatas à memoria: & tunc eaſdem formas ac intentiònes dividit, vel componit. Hæ vires apprehenſivæ nonnunquam Ratio inferior in homine appellantur, quatenùs aliquam ſimilitudinem cum Ratione ſuperiori participant, eique ſubjiciuntur : inferior verò ideò dicitur, quia circa objecta brutis communia verſatur.

Memoria Senſitiva, eſt potentia conſervativa intentionum formarum, per quod differt ab Imaginativa quæ eſt conſervativa ipſarum formarum. Deinde hæcMemoria, ex quo componit expreſsè intentiones diſtinctas cum formis , differt à Reminiſcentia, quæ eſt motus quidam diſcurſivus ex circumſtantiis loci vel temporis, deveniens in recordationem oblitorum. Locum autem ſuum habet dicta Memoria in poſteriori parte cerebri , ubi viget ſiccitas.

Viſis, quæ nomine, quid naturâ, qualia proprietatibus ſint

Principia infimæ partis Animæ quoad apprehensivas vires, an aut quomodo physicè effectivè concurrant ad actus vitæ supernaturalis restat videre. Quòd, & quomodò concurrant, id suâ experientiâ negaverit Angelus, probaverit omnis homo probus. Sicut enim Angelus omnis expers sensus, dependenter ab eo non operatur: ita homo omni præditus sensu ab eo dependenter operatur etiam in Spiritualibus, saltem ordinariè. Ratio est, authoritas Scripturæ dicentis: *Invisibilia ipsius,* (id est DEI) *à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur.* Sed invisibilia DEI, per ea quæ facta sunt intellecta conspici nequeunt saltem ordinariè, nisi quæ facta sunt, ipsa cognoscantur; Jam verò quæ facta sunt non cognoscuntur, seu non sunt in intellectu, nisi præfuerint in sensu: Ergò à primo ad ultimum, invisibilia DEI ordinariè non cognoscuntur cognitione, sive illa sit supernaturalis, procedens ex superaddito principio supernaturali, sive naturalis, juvans tamen, vel per modum removentis prohibens cognitionem supernaturalem; nisi hæc eadem cognitio proveniat per medias vires vel potentias infimæ partis animæ rationalis. Confirmat intentum *Becanus* asserens: quòd voluntas supernaturaliter excitatur & inclinatur ad benè operandum, non modò per cogitationes intellectûs, sed & per cogitationes interiotis sensus saltem remotè.))

Epist. Rom. cap. I. v. 20.

V. De auxilio grat disp. 1. q. 2. a. 5. p. 4.

§ III.

De viribus Motivis Infimæ partis Animæ Rationalis.

VIs Motiva Infimæ partis Animæ, quâ movetur homo intrinsecùs ad aliquid prosequendum, vel fugiendum, est Appetitus Sensitivus, suam habens residentiam in corde. Et definitur esse *inclinatio consequens apprehensionem sensitivam.* Idem Appetitus Sensitivus vocatur *Sensualitas:* quâ appetimus sensibus convenientia, fugimus disconvenientia, quæ per sensus cognoveramus esse talia. Item, vocatur *Concupiscentia* in eo sensu; quo dicit Apostolus: *Caro concupiscit adversus Spiritum &c.* Dividitur Appetitus sensitivus in *Concupiscibilem,* quo homo inclinatur ad prosequendum sibi convenientia secundùm sensum, vel fugiendum disconvenientia. Et in *Irascibilem,* quo re-

Epist. Galat. cap. 5. v. 17.

quo resistit impugnantibus sibi convenientia. Unde irascibilis est propugnator concupiscibilis: Quare omnes passiones irascibilis incipiunt à passionibus concupiscibilis, cùm propter has illæ exoriantur: ac tandem in easdem terminentur. Appetitus concupiscibilis & irascibilis obedit Rationi, quatenùs natus est ab ea moveri per universales propositiones, tum particulares à vi cogitativa seu particulari Ratione in homine loco Æstimativæ posita. Ut experientia probat: propositâ enim aliquâ universali propositione, ira mitigatur, vel excandescit. Deinde idem Appetitus sensitivus non movetur ad aliquid prosequendum, vel fugiendnm, nisi præsupposito imperio, vel consensu Voluntatis, seu Appetitus rationalis: quia in potentiis motivis subordinatis, secundum movens non movet nisi virtute primi moventis. Quanquam ex eo, quòd non despoticè, sed politicè Appetitus inferior subditur Superiori: potest ei non semper obedire, sicut debent alia membra corporis, v. g. pes, manus, &c. quia ille habet aliquid proprium, nempe sibi conveniens vel disconveniens objectum, quo allectus vel deterritus renititur Appetitui rationali, contrarium imperanti.

Modus autem, quo concurrit sensus appetitivus ad actus supernaturales, fit negativè, nimirum removendo prohibens, & facilitās ut secundùm latitudinem suam habitus supernaturalis cum potentia operetur. Unde *Becanus* ait: Voluntas supernaturaliter ad bonum inflectitur, & à malo revocatur, etiam motionibus appetitus sentientis saltem mediatè.)) *Vide de auxilio gratiæ DEI disp. 1. q. 2. art. 5. p. 4.*

SECTIO II.

De Media parte Animæ Rationalis, & suis potentiis.

§ I.

MEdia pars Animæ vocatur Spiritus. De quo dicitur: *Revertatur pulvis in terram suam unde erat, & Spiritus redeat ad DEum, qui dedit illum.* Tum quia Anima hâc parte sui ita unitur corpori, ut tamen potentiis suis Spiritualibus scilicet memoriâ, intellectu, & voluntate, ad suas functiones spirituales non utatur mediante corpore tanquam organo & instrumento suo, *Eccl. c. 12. v. 7.*

prout in infima parte sui facit. Tum quia per easdem potentias differt à brutis, assimilatur Spiritibus Angelicis, percipitque objecta spiritualia. Tum quia est tota Anima in toto corpore, & tota in ejus singulis partibus, tanquam subjecto & loco divisibili, qui est conceptus Spiritualitatis. Dicitur verò hæc pars Animæ Media: quia propria est hominis, qui est medius inter irrationalia animalia, & creaturam Angelicam, cum qua participat rationem Spiritûs.

§ II.

POtentiarum Animæ quà Spiritus est Apprehensivarum prima est *Intellectus* (ab intelligere quasi intus legere seu penetrare veritates intrinsecas rerum dictus.) quò Anima rationalis apta fit ad percipiendum omne cognoscibile. Hæc potentia respectu suorum officiorum dividitur *primò*, in Agentem, & Passibilem seu Possibilem. *Agens* ex eo dicitur: quia species seu imagines rerum in phantasia repræsentatas (ita sicut color ad visum repræsentatur, & species ejus à potentia visiva abstrahitur) abstrahit irradiando easdem species in phantasia, ac ipsas deferendo ad intellectum passibilem, (sicut lux irradiat objecta, & eorum formas facit deferre per aërem ad visivam potentiam, vel ad speculum) easque ex sensibilibus intelligibiles, ex materialibus spirituales, ex particularibus universales species efformat, & sibi quà possibili imprimit: unde dicuntur species impressæ. *Passibilis* verò est, quatenùs easdem species rerum sibi impressas recipit, cum quibus deinde efficit species expressas, seu intellectiones, sive actus intellectûs, quos denuò in se recipit. Possibilis ita dictus, quia per intellectum possibilem anima omnia fieri potest, potest enim similis fieri omni rei intelligibili per ejus productam cognitionem: Unde Aristoteles ait: *Intellectûs agentis est omnia facere, & intellectûs passibilis est omnia fieri.* *Secundò*, dividitur Intellectus in speculativum, & practicum. *Speculativus* est, quatenus sistit in sola cognitione veri, nec illam cognitionem ordinat ad opus. *Practicus* verò, quatenus cognitam rationem veri ulteriùs dirigit in opus. *Tertiò*, Intellectus vocatur *Ratio*, quòd vi suâ res intellectas unam cum alia conferendo vel componit per definitionem, vel distingvit per divisionem, vel unam ex alia infert

Lib. 3. de Anima cap. 6.

infert per discursum, ut tandem deveniat ex notis in ignoti notitiam. Hæc Ratio etsi una eademque sit potentia, habitibus tamen & actibus distingvitur, & vocatur primò *Ratio Superior*: dum per habitum Sapientiæ æternis conspiciendis, ea in seipsis speculando; & consulendis, intendit, eadem pro regula agendorum usurpando. Secundò vocatur *Ratio inferior*: dum ex principiis temporalium ratiocinando per habitum Scientiæ ad æterna consurgit, & dirigitur. Item alio sensu Intellectus Ratio inferior vocatur, quatenùs propter amicitiam cum natura & appetitu sensitivo, patrocinando ejus inclinationibus, prorumpit in varios discursus, & ratiocinationes ad excusandas excusationes in peccatis, afferendo futiles rationes hìc & nunc licere, quod aliàs non licet. &c.

Altera potentia apprehensiva Animæ, quà Spiritus, est *Memoria Intellectiva*: altera inquam potentia, solo tamen officio distincta ab intellectu, cùm sit eadem realiter cum ipso. Estque hæc Memoria ipse Intellectus possibilis, quatenùs intellectiones seu species rerum expressas, aut cognitas in se recipiendo, eas conservat, easque dum opus fuerit intellectui repræsentat, non ut hic novas formet species, sed ut supra formatas ipsas considerando, se reflectat. Cæterùm *Reminiscentia* rerum cognitarum ut præteritarum, vel ut singularium, pertinet ad Memoriam sensitivam. Quanquam & Memoria intellectiva recordatur singularium, sed quatenùs ex universalibus per ratiocinationem cognitarum. Differt autem Memoria sensitiva ab intellectiva: quia illa est conservativa cognitorum per sensum, hæc verò conservativa cognitorum per intellectum.

§ III.

POtentia Animæ quà Spiritus, Motiva, est Appetitus rationalis seu *Voluntas*; ita dicta, quasi volitans in suum finem, sicut ignis est volitans in suum centrum. Quæ definitur ab Aristotele esse: *Appetitus boni cum ratione.* Vel: Est potentia ex prælucentia rationis inclinativa ad prosecutionem boni, vel fugam mali. Est autem hæc potentia libera, id est, quòd suppositis omnibus prærequisitis ad agendum, possit aliquid agere, vel non agere, vel oppositum agere. Porrò sicut intellectus vocatur potentia necessaria, id est ut non possit non assentiri objectæ veritati: ita voluntas est potentia libera, ut

ra, ut posſit velle aut non velle objectum. Hoc autem inde eſt: Quia intellectui benè diſpoſito dum proponitur veritas ut in ſe eſt, ita proponitur, ut nihil in illa permixtæ falſitatis appareat, alioquin eſſet, & non eſſet veritas: atque ſic neceſſitatur intellectus ad aſſenſum vero v.g. huic principio metaphyſico; Totum eſt majus ſuâ parte. Voluntati autem dum quodcunq; proponitur bonum, ita proponitur ut appareat malo vel aliqua imperfectione permixtum. V.g. etiam in propoſito ſummo Bono, quod etſi in ſe eſt infinitum, quia tamen voluntati proponitur cum admixtione alicujus imperfectionis nempe limitatè, confusè, &c. Ob has poteſt illud non amare.

Intellectus & voluntas concurrunt in ratione principii effectivi ad actus ſupernaturales, dando eis vitalitatem, cùm eam non posſint habere à gratiis ſupernaturalibus, utpote accidentibus: Item dando ſpiritualitatem naturalem, quâ ipſe actus ſupernaturalis, quà vitalis, eſt naturâ ſuâ ſpiritualis. Item voluntas dat libertatem actui ſupernaturali: quia non eſſet laudabilis & meritorius homini talis actus, ſi non ab homine liberè procederet.

Memoria autem *intellectiva* conducit ad actus ſpirituales, quatenus illuſtrationibus ſupernaturalibns exhibet formas rerum, ut ſuper illas cadant, & ita ſupernaturalizentur. Seu etiam dum à DEO moventur aliquæ ſpecies in memoria, & repræſentantur intellectui ad cogitationem congruam; qui motus ex quo hìc & uunc eſt indebitus naturæ, ob nullam datam occaſionem naturalem, eſt ſupernaturalis.

SECTIO III.

De Suprema parte Animæ Rationalis, & ſuis viribus.

SUprema pars Animæ rationalis apud Spirituales multiplex ſortitur nomen ob quandam ſui inexplicabilem excellentiam. Vocatur itaque *Mens*, Angelico Doctori ſic dicta à metiendo ſeu applicando principia certa ad examinationem propoſitorum. Et ordinariè Mens ſumitur pro natura rationali humana & Angelica, tum pro potentiis, earumque actibus ejus-

P. 1. q. 79. a. 9. ad 4.

dem

dem naturæ. A Spiritualibus autem Mens accipitur, quasi Anima hac parte sui abstracta ab omnibus sensibilibus & infimis, emineat sublimata ad Divina, illa, vertice seu apice sui Spiritus quantùm fas est homini proximè attingens: Unde etiam eadem pars Animæ *Vertex* & *Apex Spiritus* dicitur; prout & *Fundus animæ*; quia sicut vas naturâ pellucidum evacuatum, soli oppositum, illum purè & lucidè in suo fundo radiantem repræsentat; ita & Anima depurata ab omni turbido & superfluo DEUM in seipsa clarissimè relucentem, repræsentat, & intuetur visione tamen non intuitivâ sed aliâ, de qua infra sub Contemplatione.

Apprehensiva vis partis Supremæ in Anima rationali est *Intelligentia*, quæ à scholasticis varie accepta, modò pro substantia separata v. g. Angelo, modò pro potentia intellectiua, modò pro intellectione: apud spirituales vero Theologos *Intelligentia* idque cum addito *pura* & *simplex* dicitur, quando ablatis omnibus imaginibus & similitudinibus tam corporeis quàm intelligibilibus, mens DEUM in caligine seu luce inaccessibili contemplatur. Eadem intelligentia appellatur *Vertex* & *Apex intellectus seu rationis*, quòd his speciales Divinæ irradiationes desuper suscipiantur, per quas super omnia creata mens elevatur ad videndum omne Bonum, DEUM suum. Vocatur item *Synteresis*, de qua infra, & *Scintilla rationis*, lucens in tenebris errorum vitæ hujus, & indigitans rectam vivendi viam dignam homine, ad quam incedendam simul movet & incendit, quare hæc scintilla communis est cognoscitivæ & appetitivæ. *Sect. 6. §. 2.*

Vis appetitiva hujus partis Animæ dicitur *Appetitus superrationalis*, quòd nimirum supra latitudinem & altitudinem cognitionis, amor intensiùs & altiùs feratur in summum Bonum, adeoque ut solent Mystici dicere; *Manente foris ratione amor subintrat thalamum Sponsi.* Item dicitur *Apex voluntatis*, & *Supremus affectus*, quòd hac parte elevata mens in DEUM, eum per intimam amoris unionem in se suscipit, ejusque illapsum & inactionem per beatissimam illam experimentalem notitiam probat, gustat, & videt, quàm dulcis est Dominus. *De quo alibi.*

V. infra de Contemplatione l. 2. tra. 1. c. 1. sect. 4. subs. 1. § 4.

Adverte hic Supremam istam partem Animæ potissimùm elucere in perfectis, & ornatis Spiritus. S. donis, ac spirituali lumine supernaturali; maximeque servire ad actum contemplationis, amoris & fruitionis DEI, quantùm datur in hac vita.

Plures

Plures nomenclaturas hujus partis Animæ suarumque virium, & an hæ sint potentiæ, habitus, vel actus, & quomodo unum ex his pro alio ponatur, & similia multa, quæ magis videntur confundere, quàm juvare imaginativam ac memoriam, & maximè quia cum dictis hìc â nobis coincidunt magis necessaria, ultro omittimus.

Cæterùm ex dictis hoc toto Capite colligitur, quâ ratione Anima secundùm suas morales Partes, earumque Vires seu Potentias, causaliter influat, & concurrat physicè ad Actus salutares eliciendos, ut hoc pacto eorundem Principium physice effectivum & Modus in notitiam deducatur.

CAPUT III.

De Causa seu Principiis Supernaturalibus, Physicè concurrentibus cum Principiis Naturalibus ad efficientiam Mediorum, seu Actuum Vitæ Christianæ Supernaturalis vel Spiritualis; ad Finem Supernaturalem.

QUemadmodum principia naturalia concurrunt ad certa prædicata, id est vitalitatis, libertatis &c. in actum supernaturalem: ita principia supernaturalia efficiunt, ut actus elevetur supra naturam, fiatque prout oportet ad salutem. Hæc autem principia in universali accepta seu causa, est Gratia DEI supernaturalis seu per Christum: Quæ latissimè accepta describitur esse, *Donum DEI gratuitum, & naturæ indebitum, ac ex puro amore Divinæ benevolentiæ, intuitu meritorum Christi, creaturæ concessum, ad obtinendam vitam æternam.* Dicitur: *Donum gratuitum.* Quia
Rom: 11. ut Apostolius inquit. *Si autem gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia.* Dicitur: *Naturæ indebitum.* Per quod differt gratia naturalis à supernaturali, quam exigere intrinsece natura non potest quasi ex intrinseca sui proportione ad gratiam.

Gratia

Gratia DEI alia est *Increata*, nempe specialis Providentia & concursus DEI: Alia est *Creata*; ipsaque dividitur in *Externam*, ad quam etiam aliquæ actuales gratiæ reducuntur; & *Internam*. Interna subdividitur in gratiam *gratum facientem*, & *Gratiam gratis datam*. Gratia gratum faciens adhuc distingvitur in *Actualem*, & *Habitualem* cum Habitibus virtutum infusis, ac Donis Spiritûs Sancti. Tam multiplex gratiarum distinctio cum suis classibus provenit ab uno eodemque munificentissimo Largitore omnium bonorum, qui variis ac miris modis elevat & trahit ad se rationalem Creaturam. Disertè hac de re S. Gregorius discurrit: *Quasi venas susurrii sui aperit DEUS, cùm nobis latenter insinuat, quibus modis ad nostræ intelligentiæ aurem venit. Aliquando enim nos amore, aliquando terrore compungit. Aliquando præsentia, quàm nulla sint, ostendit, ad æterna diligenda desiderium erigit: aliquando priùs æterna indicat, ut post temporalia vilescant. Aliquando nostra nobis mala aperit: & ad hoc nos usque, ut alienis etiam malis condoleamus, extendit. Aliquando mala aliena nostris obtutibus objicit, & compunctos mirabiliter à nostra pravitate nos corrigit.* Et D. Bernardinus Senensis ita: *Multifariè, multisque modis consvevit DEUS devotas mentes dirigere, erudire, & inspirare; quandoque revelationibus manifestis, quandoque infundendo imperceptibiliter ipsis animæ viribus fidem, spem, & charitatem: quandoque acuendo intrinsecus intellectum, memoriam, & voluntatem respectu aliquorum objectorum, quæ utilia sunt ad salutem: quandoque insuper flectit hominis intellectum ad aliquem servum DEI, qui potest illum dirigere & juvare. Quandoque etiam hominem devotum & zelo accensum dirigit ad aliquem textum Scripturæ Sacræ, vel ipsi occurrere facit aliqnam historiam, in cujus consideratione anima ejus dirigitur, & in eo quod desiderat, consolatur.*

Lib. 5. Moral. cap. 20.

Serm. 1. art. 1. cap. 8. tom. 3.

SECTIO I.

De speciali Providentia & Concursu DEI ad Actus Vitæ Christianæ supernaturales.

SPecialis DEI Providentia Increata activè sumpta, est amor DEI benevolentiæ, quo vult creaturæ media proportionata & efficacia ad æternam beatitudinem: de quo amore providentiali æterno DEUS ait: *In charitate perpetua dilexi te, ideò attraxi te*

Jerem. 31.

xi te miserans. Providentia verò DEI specialis passivè accepta, est quid creatum, nempe ipsa DEI dona supernaturalia. Porrò Providentia DEI generalis in statu præsenti elevationis est, quatenus præparat omnibus media ex se sufficientia ad finem Gloriæ supernaturalem: quibus tamen mediis plurimi non utuntur. Alia generalis DEI Providentia est bonorum naturalium; sed de hac non hìc agere opus.

Jam verò specialis DEI Concursus à generali bonorum naturalium per hoc differt: quia sicut generali DEUS concurrit cum natura ad omnes ejus naturales functiones, & actus sive Physicos sive Morales; ita speciali, cum eadem natura concurrit ad solas ejus supernaturales actiones. Unde sicut ille concursus est debitus naturæ: sic iste indebitus; adeóque quandam specialitatem seu excellentiam respectu naturæ præseferens. Deinde specialis Providentia à generali bonorum supernaturalium inde discriminatur, quòd illa sit Providentia efficacium gratiarum, hæc tantùm sufficientium gratiarū.

Quanquam verò Primam partem Theologiæ hujus spiritualis ordiamur sub auspiciis DEI Patris primæ Personæ Sanctissimæ Trinitatis, à quo *omne datum optimum, & omne donum perfectum,* id est supernaturale seu gratiæ, ut ex *Nicolao Lyrano* colligitur: Tamen in eorundem donorum ob suam singularem præstantiam largitione, specialiter quoque memorantur & aliæ Personæ Sanctissimæ Trinitatis. Sic donum gratiæ DEI supernaturalis cum addito *per Christum,* à Theologis vocatur, id innuente Scripturâ, & SS. Patribus; nempe quòd gratia nobis à Christo, & per merita Christi donetur. Prout Apostolus inquit: *Gratia vobis & pax à DEO Patre Nostro, & Domino JESU Christo.* Item: *Ut ostenderet* (id est DEUS) *in seculis supervenientibus abundantes divitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo JESU.* Hoc est per Christum JESUM; ut *Cornelius à lapide* habet. Deinde sanctificatio per gratiam peculiari quodam modo attribuitur Spiritui S. uti dicitur de actualibus gratiis: *Spiritus ubi vult, spirat;* id est Spiritus Sanctus *in quibus vult operatur & quando* ut glossa ordinaria inquit. Et de gratia sanctificante cum suis habitibus virtutum dicitur. *Charitas DEI diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Tum de gratiis gratis datis, quas enumerat Apostolus, adjiciens:

In Ep. Can. Jacobi cap. 1. v. 17.

1. Cor. 1.

Ephes. 2.

Vide Lyran. in 3. cap. Joan.

Ad Rom. c. 5.

Hæc

Hæc autem omnia operatur unus atq; idem Spiritus dividens singulis, prout vult. 1. Cor. c. 12.

Nimirum Bonitas & Amor Patris & Filii est Spiritus Sanctus, qui etiam ab iisdem Divinis Personis communicatur creaturæ; Quod feliciter experiuntur justi, uti & illi experti, de quibus dicitur: *Repleti sunt omnes Spiritu S.* Jam verò quia omnium donorum creatorum pretiosissima dona sunt gratiæ, adeòque in his maximè elucet immensa Bonitas DEI & Amor in hominem, meritò hæc insignia amoris Divini, seu quidam amor passivus creatus habet singularem connexionem cum Amore passivo increato Spiritu S. qui uterq; datur nobis per ineffabilem in nos Divinæ Bonitatis propensionem uti supra adductus Apostolus testatur: Et Christus: *Si vos cum sitis mali nostis bona data dare filiis vestris, quantò magis Pater vester de cælo dabit Spiritum bonum petentibus se?* Act. cap. 2. Rom. c. 5. Luc. 11.

Modus autem quo concurrit DEUS ad actus salutares jam explicatus *supra*: nisi hìc tamen aliquid breviter ex mente Theologorum dicendum. Præfatus itaque Concursus dupliciter accipitur, in actu primo, & in actu secundo. Concursus in actu primo, est Decretum DEI, quo applicat DEUS suam Omnipotentiam ad concurrendum. Concursus verò in actu secundo, est ipsa actio DEI productiva cum homine actus salutaris. Uterque hic Concursus DEI ad actus supernaturales est gratia DEI in ratione illustrationis & inspirationis. Cap. 1. Sect. 1. Vide Granado & Oviedo hìc puncto 4.

SECTIO II.

De Gratia DEI externa Supernaturali.

GRatia DEI externa supernaturalis, *est Donum DEI naturæ indebitum, eam extrinsecè afficiens.* Hæc gratia divina alia se habet negativè, alia positivè. *Negtivè*, dum DEUS occasiones peccatorum, & impedimenta bonorum operum, aliàs occursura, & prævisa quà nocitura, ex concurrentia naturalium causarum, submovet tum in seipsis, tum in suis causis. Talia sunt v. g. impetus & tentationes dæmonum, eos coërcendo, ne noceant quantùm volunt & valent, sed quantùm prodesse possunt: Vigor & fervor carnis concupiscentiarum, eam v. g. infirmitate debilitando, ne insolescat corpus, vel animus: Societas hominum improborum, eam præcavendo: Divitiæ, honores, voluptates in abusum

abuſum venturæ, ne habeantur, eas impediendo, &c. Pulchrè ad horum aliqua (ex quibus ſimilia conclude) alludit D. Auguſtinus in perſona DEI loquens: *Regebam te mihi, ſervabam te mihi: ut adulterium non committeres, ſuaſor defuit? ut ſuaſor deeſſet, ego feci: locus & tempus defuit? ut hæc deeſſent, ego feci. Agnoſce ergò gratiam.* &c.

Soliloq. 13. & 16. & l. 50. hom. 23.

Gratia DEI externa *poſitivè* ſe habens, eſt, quando nimirum aliquid tale à parte rei ponitur, (quòd aliàs ex concurſu naturali cauſarum ſecundarum non poneretur) atque ſeipſo extrinſecè afficit hominem, inducens ad bonum. Talia ſunt Prædicatio verbi Divini; Miſſæ Sacrificium; Sacramenta, & permaximè Euchariſtia, antonomaſticè dicta bona gratia; Miracula, Occaſiones benè operandi v. g. Orandi DEUM ex ingreſſu ad templum, Miſerendi pauperum ex occurſu eorum & acceptione divitiarum, tum honorum unde authoritatem habeat promovendi gloriam DEI, & ſalutem animarum, &c. Hæc namque & alia ſimilia Objecta ac Occaſiones producunt ſui ſpecies intentionales in ſenſibus exterioribus uti viſu, auditu, &c. Ex quibus in ſenſum communem aliasq; vires apprehenſivas infimæ partis animæ, ac tandem per ſuperadditum aliquod ſupernaturale principium v. g. Fidei, in intellectum deveniunt; & voluntatem ad aliquem virtutis ſupernaturalem actum feliciter perducunt. Ratio horum eſt, quia hæc habent ſe per modum ſupernaturalis occaſionis, motivi, vel inſtrumenti, quo DEUS utitur ad conferendum internæ gratiæ dona. Jam verò ſi horum aliqua intrinſecè naturalia v. g. Poſſeſſio divitiarum, & occurſus pauperis, ex concurſu naturali cauſarum eveniant, & ſunt homini occaſio actualis ad bonum, tunc purè hæc externa erunt dona naturalia, & nec quoad modum ſupernaturalia, etſi actum quandoque cauſent occaſionaliter ſupernaturalem. Quia ſcilicet ordinario curſu cauſarum ſecundarum evenerunt.

SECTIO III.

De Gratia Actuali Supernaturali.

GRatia Actualis, *eſt qualitas interna, tranſiens, ſuperaddita potentiæ cognoſcenti & appetenti, iisdem indebita, data coelitùs ad efficiendos actus ſupernaturales meritorios gratiæ ſanctificantis, ac ſpecia-*

ac ſpecialioris alterius gratiæ, & gloriæ: Tum alterius finis ſupernaturalis. Dicitur: *qualitas*; ſive ſit hæc non vitalis, (ut plerique volunt Prædeterminatores) ſive vitalis, ſita in tribus operationibus intellectus, & actibus affectibusque voluntatis; ſeu illuſtrationibus & inſpirationibus vitalibus, quæ ſunt piæ Cogitationes & Affectiones; prout communis decidit ſententia. Dicitur: *tranſiens*; per quod differt à gratia habituali, quæ eſt qualitas permanens. Dicitur: *ſuperaddita potentiæ cognoſcenti, & appetenti.* Quia hæ ſine illa ſuperaddita, nonniſi actum naturalem producerent: cùm non darent, quod non haberent, nempe ſupernaturalitatem. Ubi Cognoſcitiva non tantùm intellectiva, verùm & ſenſitiva ſupponitur: quia voluntas ſupernaturaliter inclinatur ad bonum, non ſolùm cogitationibus intellectûs, verùm etiam cogitationibus interioris ſenſûs, ſaltèm remotè. Quod fit etiam ex parte Appetitûs ſenſitivi, qui affectus gratiâ, conducit negativè & remotè ad amorem formalem honeſti, impediendo ſcilicet perverſos motus, & phantaſmata, eaque bona excitando ad amorem honeſti in ſeipſo remanentem; qui ulteriùs amor per modum removentis prohibens, & coadjuvantis ſeu facilitantis quodammodo voluntatem, ei ſuccurrit ad promptiùs eliciendos actus ſupernaturales. Sed de hoc etiam *ſupra* viſum fuit, ubi de partis inferioris animæ viribus. *Cap. 2. Sect. I.* Hæc autem gratia in parte ſenſitiva non eſt quidam actus vitalis ſpiritualis uti eſt in parte rationali, ſed vel eſt actus vitalis materialis: vel eſt aliqua participatio juſtitiæ illius Originalis ſitæ ſecundum *Vaſquez* & *Oviedo* in externa DEI protectione, ſeu in Decreto DEI, non permittente motum appetitûs ſenſitivi ante vel contra imperium voluntatis: vel appetitus ſenſitivus informatur aliquâ qualitate ſupernaturali, (ut *Becanus* habet) & ita frænantur ex toto, ſive ex parte, motus pravi, ut non eliciantur. Dicitur: *iisdem* id eſt potentiis *indebita, data coelitùs*, quod eſt prædicatum eſſentiale ſupernaturalitatis. Dicitur: *ad efficiendos actus ſupernaturales*, ſive eoſdem operando in nobis ſine nobis liberè, phyſicè tamen & activè concurrentibus, quales actus ſunt primi motus, v. g. ſimplices complacentiæ de bono, vel diſplicentiæ de malo: ſive iiſdem actibus jam à nobis liberè exercitis cooperando. Dicitur: *meritorios* &c. ſive de congruo,

ſive

sive de condigno consequendi primam vel 2dam. gratiam sanctificationis: tum alias speciales gratias in præsenti: gloriam verò in futuro. Tum ad attingendum aliquem alium finem supernaturalem v.g. Salutis proximorum, Gloriæ DEI & Cœlitum: quia DEUS easdem gratias confert ex intentione certi finis. Aliàs daret medium sine respectu finis, quod implicat.

Eadem gratia actualis multipliciter titulatur ob sui varias proprietates & functiones. Hæc tamen omnia ad triplicem classem sequentibus trinis §§. reducimus in honorem TRINITATIS summæ DEI T. O. M. à quo omne gratiæ donum.

§ I.

ITaque Gratia actualis prout recipitur in intellectu & voluntate, etsi in re respectu gratuiti beneficii sit eadem moralitèr, respectu tamen potentiarum quibus inest, (ut infra dicitur) est diversa uti & respectu certarum sub quibus concipitur denominationum, & officiorum, seu formalitatum. Et ita eadem gratia in intellectu & voluntate nominatur gratia *Præveniens*, & *Antecedens*, ut Psaltes canit: *Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis*: quatenùs scilicet datur ante merita nostra, præceditque actum liberum, vel tempore, vel naturâ. Item vocatur *Operans*, ex eo, quòd operatur in nobis sine nobis liberè cooperantibus. Item dicitur *Excitans*, in quantum somno cuidam spirituali deditos, & minimè ex virtute, vel contra virtutem, agentes, movet, stimulat, internè inclamat juxta illud: *Hora est jam nos de somno surgere: Nunc enim propior est nostra salus, quàm cùm credidimus.* Et: *Evigilate justi, & nolite peccare.*

Ps. 20. v. 4.

Ep. ad Rom. cap. 13.

1 Cor: c. 15. v. 34.

Hæc ipsa gratia vocatur *Tactus cordis*, quasi per modum excitationis humanæ vecordiæ, motibus piis, ut dicit Concilium Tridentinum: *Tangente DEO cor hominis per Spiritus S. illuminationem.* Item, *Pulsatio*: prout dicitur: *Ecce sto ad ostium, & pulso.* Item, *Vocatio*: ut *Vocavi, & renuistis.* Hinc à Divo Augustino appellatur *Vocatio alta & secreta.* Ab eodemque dicitur *Delectatio victrix, ut magis delectet veritas, quàm placeat vanitas.* Item, *Inactio Spiritus* sicut habetur: *Quicunque enim Spiritu DEI aguntur, ii sunt Filii DEI.* Quod ipsum explicat B. Augustinus dicens: *Quia aguntur dilectione, delectatione, & justitiæ suavitate.* Item, *Pii motus*: quod voluntas

Sess. 6. c. 5.

Apoc. 3.

Prov. 1.

Rom. cap. 8. v. 14.

Lib. de Correp. & gratia cap. 2.

tas

tas moveatur & inclinetur ad consensum in bonum. Item, *Tractio*: uti innuit Christus: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum*: Utique illa tractione, de qua quidam ait: *Trahit sua quemque voluptas.* Joan. 6.

Dividitur hæc gratia varionomia in Sufficientem, & Efficacem. *Sufficiens* est, de qua Apostolus dicit: *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex DEO est.* 2. Cor. cap 3 v. 5. Hæc gratia alia est *proximè sufficiens*; nempè Auxilium, quo posito, nihil deest ex parte DEI concurrentis ad eliciendum liberè ab homine consensum, vel actum salutarem, qui si non eliciatur, imputandus est non insufficientiæ gratiæ, sed libertati humanæ DEO dissentienti, vel resistenti. Hoc ipsum colligitur ex illo Isajæ: *Quid est, quod ultra debui facere vineæ meæ, & non feci? An quod exspectavi, ut faceret uvas, & fecit labruscas?* Isaiæ c. 5. Deinde arguuntur Judæi: *Vos semper Spiritui Sancto restitistis.* Act. c. 7. Alia gratia vocatur *remotè sufficiens*; quatenùs datur ad actus dispositivos hominis, vel impetratorios gratiæ, proximè effectivæ alicujus actus salutaris: v. g. Tribuit DEUS Peccatori gratiam ad eleemosynam, vel orationem faciendam &c. Quodsi ei cooperaretur, paratus est DEUS ulteriùs illi conferre gratiam ad pœnitentiam justificativam: quod autem tali gratiæ homo non cooperetur, sibi imputet.

Certum autem est, omnibus hominibus dari gratiam sufficientem ad cavendum peccata, & facienda bona. Quia sine gratia DEI, hæc ad supernaturaliter exequendum sunt impossibilia. Ista autem gratia sufficiens est supernaturalis: quia datur tanquam medium proportionatum ad finem supernaturalem Salutis, cùm DEUS velit omnes salvos fieri.

Gratia efficax, est auxilium DEI, ut infallibiliter inferens liberum hominis consensum. Vel clariùs loquendo in communi sententia: *Gratia efficax, est auxilium DEI, dicens in recto entitatem ex se intrinsecè indifferentem ad utrumlibet, & tanquam principium agendi supernaturaliter; in obliquo autem dicit consensum hominis liberum.* Ratio est quia ita concordantur maximè secum incompatibilia: *Primò Gratiæ efficacia*: Dum actualitèr causat seu efficit cùm libero arbitrio consensum salutarem. *Secundò: Libertas arbitrii.* Quando

nimirum

nimirum informatur entitate tali, quæ illud ad unum necessariò non determinat, sed concurrit cum illo indifferentèr, id est ad agere in actum influendo, vel non agere id est in omissionem actus non positivè influendo, aliàs esset gratia quandoque principians effectivè peccatum: sed quatenùs permissive se habendo, ut voluntas non agat, seu omittat actum. *Tertio*: Absoluta potestas DEI salvandi hominem vel reprobandi. Salvandi; conferendo per suam misericordiam homini gratiam talem, cum qua prævidet eum operaturum, ut homo in DEO & non in se glorietur de sua salute. Reprobandi; conferendo ejusmodi gratiam, (quæ est ex se sufficiens ad salutem, ut non habeat unde conqueratur homo contra DEUM, sed potius imputet sibi perditionem suam, quòd non cooperatus sit gratiæ DEI) cum qua prævidet hominem non cooperaturum, ac eo ipso subtrahendo gratiam cum qua prævidet cooperaturum, idque hoc ipsum exigente Justitia DEI vindicante tali subtractione præcedentia prævisa peccata, vel agente aliâ ratione abyssalium & inscrutabilium judiciorum DEI, quæ in seipsis recta & justificata sunt.

§ II.

Alia gratia actualis vocatur *Comitans*, quatenus coexistit conatui nostro, ac simul cum libero arbitrio influit in actum salutarem: undè etiam à quibusdam hæc gratia nominatur *Auxilium simultaneum*. Item, appellatur *Cooperans*, utpote quæ cum arbitrio nostro liberè operante bonum, ad illud cooperatur, seu illud coefficit: hinc Apostolus: *DEUS est enim qui operatur in vobis & velle, & perficere pro bona voluntate.* Et D. August. inqnit: *Cooperando perficit, quod operando incipit.* Item, *Adjuvans* dicitur ex hoc, quòd insufficientiam liberi arbitrii adjuvat, ei vires suas supernaturales ministrando ad actum supernaturalem. Unde Apostolus: *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram.*

Philip. c. 2. v. 13.

De gra. & lib. arbitr. cap. 10.

Ep. ad Rom. cap. 8.

Hæc gratia secundæ classis, sicut & primæ, quatenùs recipitur in intellectu, vocatur *Illuminatio*: quando refulgens in mente veritas aliqua supernaturaliter manifestatur, secundum illud: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Item, *Sancta cogitatio* dicitur, quatenùs fit supernaturalis apprehensio, judicium, discursus seu ratiocinatio de re

Jo. c. 1. v. 9.

aliqua,

aliqua, ad purè & ex virtutis norma vivendum. Item appellatur: *Cogitatio congrua*, id est quod talis cogitatio congruat seu conveniat ad salutem, tanquam medium proportionatum ad suum finē.

Quatenùs autem recipitur in Appetitu rationali seu voluntate gratia actualis, nominatur *Pia affectio*, nempè inquantùm excitantur affectꝰ in voluntate, ordinati ad placita summi omnium Patris exequenda. Item, *Inspiratio*: quia sicut voluntati convenit spirare (quod etiam fit in Divinis, dum Pater & Filius per voluntatem spirant Spiritum Sanctum) ita & inspirari, vel alliciendo ad consensum bono, vel terrendo ad dissensum malo: quare de Spiritu S. dicitur: *Ubi vult, spirat*; id est inspirat. Johan. c. 3.

§ III.

Tandem gratia actualis vocatur *Gratia subsequens*, quatenùs vi meriti vel orationis inducitur, seu à DEO conceditur propter præcedentis gratiæ usum bonum, ut ita *Qui justus est justificetur adhuc* per alium & alium actum salutarem, & *qui Sanctus est sanctificetur adhuc* per incrementa gratiæ sanctificantis. *Omni enim habenti dabitur, & abundabit.* Apoc. c. 22. Ibidem. Matth. c. 25. vers. 29.

Coronet dicta in hac triplici classe de Gratia Actuali Sacrosancta Synodus Tridentina ita subscribens: *Quæ virtus* (id est gratia) *bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur.* Sess. 6. c. 16.

Aliæ Conditiones & Proprietates Gratiæ Actualis.

I. Gratia DEI actualis in intellectu recepta, cùm consistat in actibus intellectus, physicè est distincta ab ea, quæ recipitur in voluntate: cùm hæc gratia sita sit in actibus, affectibusq; voluntatis, qui sunt distincti ab actibus intellectûs. In ratione autem beneficii simul collati, hæ gratiæ moraliter inter se non distingvuntur ordinariè, sæpè tamen contingit gratiam piæ affectionis esse novum beneficium supra gratiam illustrationis: quia etsi ad gratiam illustrationis consequuntur in voluntate piæ affectiones: prout Augustinus insinuat: *Quis habet in potestate, ut vel occurrat id quod eum delectare possit, vel delectet, cùm occurrerit?* Tamen in operando supernaturaliter DEUS non attendit ad exigentias naturales rerum, sed sæpè infundit magis intensam magisque svavem affectionē quàm illam exigat gratia illustrationis. Quod Lib. I. ad Simplic. c. 2.

 apud

apud Mysticos est receptissimum; qui dicunt: Non raró accidere DEUM amari intensiùs, quàm cognoscatur.

II. *Gratia actualis supernaturalis est necessaria in natuta lapsa ad actus salutares seu meritorios gratiæ & gloriæ.* Est de fide. *Probatur* & explicatur. Dicitur: *supernaturalis*, ut condistingvatur á naturali gratia, quam DEUS tribuit ad actus naturales moraliter bonos, ita, ut talis actus vi illius gratiæ specialiter potiùs sunt DEO tribuendi, quam naturæ: Agnoscit D. Augustinus ejusmodi gratiam, ita dicens: *Quantò ergo tolerabiliùs illas, quas dicis in impiis esse virtutes*, (utique intrinsecè naturales) *Divino muneri* (ecce gratiam intrinsecè naturalem) *quàm eorum tantùm tribueres voluntati?* Quanquam ad diutiùs vivendum sine peccato mortali, ad superandam tentationem gravissimam, àd heroicos actus virtutum naturalium, & Amoris DEI super omnia, ad observandam totam legem naturalem, non sufficit moraliter gratia naturalis, sed requiritur supernaturalis. Ratio est quia ut S. Augustinus ait: *Liberum arbitrium sufficere de se ad malum, ad bonum autem parum valere, nisi adjuvetur ab Omnipotenti Bono.*

Contra Julianum Pelagianum c. 3

Lib. de Corrept. & gratia cap. II.

Imò nec cum ordinariis auxiliis supernaturalibus possunt moraliter evitari omnia peccata venialia collectivè sumpta per longum temp9. Ratio est: Tum infirmitas rationis, non valentis continuò vigilare super se, cùm ad peccatum veniale sufficiat minimus defectus circumstantiæ alicujus: Tum magna pronitas hominis in bonum vetitum: Tum debilitas liberi arbitrii in resistendo: Tum frequentia occasionum peccandi venialiter, unde dicitur: *In multis offendimus omnes.* Hæc gratia sive intrinsecè, sive quoad modum supernaturalis, Dicitur esse *necessaria in natura lapsa ad actus salutares*, &c: id est ad actus, qui debent fieri *prout oportet ad salutem.* Actus autem ejusmodi sunt, qui vel disponunt ad salutem seu gratiam justificantem, vel eam efficienter causant. Qui proximè disponunt vocantur prima gratia actualis seu actus (prout condistincti ab auxilio supernaturali, quod vocatur etiam gratia actualis, & de quo hâc Sectione agimus) qualis gratia in infidelibus, est actus fidei. Qui verò actus salutares efficienter causant gratiam habitualem, vel iidem actus sunt Ima gratia, qualis v. g. est in fidelibus sed peccatoribus

Jac. 3.

catoribus actus pœnitentiæ justificans, vel ejusmodi actus sunt 2da gratia, quatenùs causant augmentum gratiæ habitualis. Docet de his Arauxic: dicens. *Nos per naturæ vigorem bonum ad salutem pertinens vitæ æternæ cogitare aut eligere, absq; illustratione & inspiratione Spiritûs S. non posse.* Ratio est; quia finem inter & media debet esse proportio: Igitur cùm finis hominis seu salus per gratiam sanctificantē & gloriam sit supernaturalis, media ad eum, qui sunt actus, debēt esse quoq; supernaturales, adeòque principiati à Causa supernaturali, nempe gratia actuali supernaturali. Dicitur: *Meritorios gratiæ & gloriæ*: quæ particulæ sunt explicativæ ly *salutaris*. Meritum verò in actu salutari hic supponitur tum pro merito de congruo, tum de condigno: de congruo est, quo DEUS movetur ad dandam gratiam & gloriam, non ex aliquo debito, sed nonnisi ex aliqua decentia potiùs huic dandam qui talem actum operatur, quàm alteri, qui non operatur. Et ejusmodi actus sunt, qui non originantur à gratia sanctificante. A qua procedentes actus salutares, sunt de condigno meritivi augmenti gratiæ & gloriæ: sed de his infra.

Conc. Arauxic. cap. 7.

V. 1. 2. tr. 1. c. 1. sect. 1.

III. Gratia excitans quibusdam datur adeò vehemens & actuosa, ut absque læsione libertatis difficillimum ac moraliter impossibile sit ei ad resistendum, vocaturque *Gratia specialissima, efficax, & prædestinationis*: de qua dicitur: *Quos prædestinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & justificavit, quos autem justificavit, illos & glorificavit.* Quanquam non semper ejusmodi potens gratia efficaciam habeat ob defectum libertatis humanæ. Sicut è contra frequenter contingit, cum minùs potente gratia hominem efficaciter operari.

Rom. cap. 8. v. 30.

SECTIO IV.

De Modo concursûs gratiarum actualium ad actus salutares, & de Praxi circa easdem gratias.

VISIS quid, quotuplex, qualisve sit gratia actualis, restat videre an, & quomodo eadē causet actus supernaturales. Itaque certum est gratiam excitantem exercere causalitatem Moralem in actum salutarem. Nimirum per propositionem objecti, & excitatos motus indeliberatos complacentiæ, aut displi-

centiæ, inclinando ac movendo voluntatem ad actum bonum.

Certum item plerisque gratias actuales seu illustrationes & inspirationes, propriè Physicâ efficientiâ influere in actus salutares; sicut voluntas influit in suam volitionem. Unde dicitur: *DEUS qui operatur in vobis & velle & perficere, pro bona voluntate*: Quæ verba ut magis simpliciter accipiantur, cùm nihil obstet, debent intelligi non modo de causalitate morali, verùm etiam physica. Certum præterea est, illustrationes & inspirationes causalitate physicâ influere efficienter in actus salutares, non tantùm in absentia habituum supernaturalium, prout contingit in peccatore, & infideli, verum etiam in præsentia eorundem habituum, puta in homine justificato. Quia habitus supernaturalis, v. g. fidei concurrit in ratione principii stabilis, ac indeterminatè ad plures actus fidei eliciendos circa omnia mysteria revelata: gratia verò actualis concurrit in ratione principii transeuntis ac determinati ad hunc solummodo actum fidei, v. g. de incarnatione Verbi.

Philip. 2.

Deinde quāvis gratia excitans priùs naturâ concurrat ad actus salutares quam volūtas, quatenùs hæc se liberè determinet, à gratia prius præmota & determinata; Similiter gratia adjuvans etsi priùs naturâ concurrat, quatenùs voluntas ab ea vim effectricem operandi accipiat; Attamen in productione effectus seu actus salutaris, nulla prioritas physica datur, sed simultaneo concursu influunt in actum, voluntas ei tribuendo vitalitatem, libertatem, aliaque prædicata, gratia verò supernaturalitatem. Quia causæ partiales indivisibiliter operantur effectum, alioquin pro aliquo tempore operans una sine aliis, jam non esset causa partialis, sed totalis.

PRAXIS ad acquirendas, conservandas, augendas Gratias actuales, efficaces & speciales.

PRima Praxis ad acquirendas Gratias actuales est: *imò. Negativè se habens per modum removentis prohibēs.* Sicut v. g. volens videre lumen solis removet clausuram oculorum impedientem ne lumen videatur. De quo modo discurrit *S. Bonaventura* dicens: „Gratia non datur

datur ei, qui se non habilitat ad gratiam, & de hoc multa habes „ exempla, scilicet in illo, qui ad largitorem manum non exten- „ dit, quia DEUS, quantùm in se est, dat omnibus affluenter. In il- „ lo, qui contra lumen oculos claudit; cùm DEUS faciat oriri solem „ suum super bonos & malos.)) Sicut enim sol dum præsto est, semper lucet: ita & gratiæ actuales instar radiorum à Patre luminum derivantur in bonos & malos semper id est singulis momentis moraliter, seu opportunitatibus, aut occasionibus benè agendi ex supernaturali motivo. Et in peccatore quidem, ac justo alligantur hæ gratiæ ad singula opera supernaturalia, ex obligatione provenientia. Quia cùm ad ea non sufficiant vires naturales, subministrantur vires auxilii supernaturalis: alioquin homo ad impossibilia obligaretur. In justo autem alligantur etiam gratiæ actuales ad agendum, dum non obligatur aliquid agere: qualia sunt opera supererogationis supernaturalia. Quia si in statu puræ naturæ deberentur homini cogitationes bonæ ad præstandos interdum actus naturales, qui sint citra obligationem: Multò magis id debetur homini justo in statu elevationis, ne hic status illo statu sit deterior. Quare frequentiùs sese recolligere oportet, maximè dum occasio benè agendi offertur, & videre; an, quid, & quomodo aliquid à se agi DEUS velit: & auscultare cum Propheta: *Audiam quid loquatur in me Dominus DEUS.* Et currere viam mandatorum DEI juxta illud; *Ambulate dum lucem* (gratiæ) *habetis, ut non vos tenebræ* (seu privatio lucis gratiæ, dum dilexeritis magis tenebras quàm lucem, ac per consequens privatio lucis æternæ gloriæ) *comprehendant. Secundò; Positivè conducentia ad præfatas gratias acquirendas sunt pia opera*, potissimùm Eleemosyna, & Oratio: ut in Cornelio Centurione patet.

S. Bonaven. Tom. 3. de Orig. virtutum & gratiæ.

Ps. 84.

Johan. 12.

Act. c. 10.

Secunda Praxis ad conservationem Gratiarum DEI actualium est. Quia etsi gratiæ actuales sunt transeuntes, ut condistingvuntur gratiæ habituali seu permanenti, tamen & ipsæ moraliter quodammodo permanent, dum aliis transeuntibus aliæ vel mox, vel absque multa dilatione brevì succedunt. Igitur ad ejusmodi gratias & quidem efficaces, frequentemque Domini visitationē conservandam *Primo.* Servit fuga etiam venialium peccatorum, imò & imperfectionum sub nulla culpa obligantium, (uti in Religionibus sunt leges tantummodo pœnales.) Quarum commissio privat ho-

minem specialibus gratiis ut docent Theologi. DEUS enim supererogatoriè operāti, quasi supererogatorias, id est supra communes sufficientesque subministrat efficaces gratias; ne videatur superari à creatura. Sicut supererogatoria negligenti meritò subtrahit easdem. *Secundò.* Servit Timor filialis ne deseratur quandòque homo à gratia, ut sibi soli relictus quæ sua sunt, nempe nihilum, quod est peccatum, agat: tum profunda humilitas. *Humilibus enim DEUS dat gratiam.* Et Doctor mellifluus inquit: *In veritate didici, nil æquè efficax esse adgratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quàm si omni tempore coram DEO inveniaris non altum sapere, sed timere. Beatus homo qui semper est pavidus. Time ergò cùm arriserit gratia, time cùm abierit, time cum denuò revertetur; Et hoc est semper pavidum esse. Succedant vicissim sibi in animo isti tres timores, secundùm quod gratia vel adesse dignatur, vel offensa recedere, seu iterum placata redire sentietur. Cùm adest time, ne non dignè opereris ex ea. Hæc monet Apostolus: videte inquiens: ne in vacuum gratiam DEI recipiatis. &c.* *Tertiò* Gratitudo. Ut enim ingratitudo siccat fontē misericordiæ: ita Gratitudo hunc uberiùs fluere facit. Vide plura de hoc suis locis. *Quartò.* Oratio fervens quatenꝰ in nobis Deus tueatur dona sua. *Nisi* quippe *Dominus custodierit Civitatem, frustra vigilat qui custodit eam.* Quod multò magis de anima inter millenos astutissimos crudelissimos potentissimosque hostes constricta verificatur.

Jacob. 4. S. Bern. ser. 54. in Cant. Prov. 28. V. 2. Cor. 6. V. infra de gratitud. & ingratitud. 1. 2. tra. 2. c. 6. Ps. 126.

Tertia Praxis ad augmentum gratiarum actualium. Ubi id augmentum intelligitur tum extensivè pro frequentiori & multiplici variarum gratiarum actualium concursu; tum intensivè pro magis & magis specialioribus efficacioribusque iisdem gratiis. Tale igitur augmentum facit. *Primò.* Fuga minutorum peccatorum & imperfectionum ut modò supra dictum. Addo Richardum Victorem, qui ait: *Parvæ negligentiæ obscurant animam, & impedimentum faciunt amplioris gratiæ.* *Secundò.* Bonus usus præcedentium gratiarum in exercitio virtutum parit amplius incrementum sequentium. Quod liquet ex Evangelio, ubi pro diligenti operatione. & facto lucro in decem talentis, ab inerti servo jubetur auferri suum talentum & dari solertiori. Additurq; *Omni enim habenti dabitur & abundabit, ei autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo.*

Matth. 25.

SECTIO

SECTIO V.

De Gratia Dei Habituali.

GRatia Dei habitualis, est qualitas realis, spiritualis, supernaturalis, permanens, inhærens animæ, ejus essentiam perficiens in ratione participationis naturæ Divinæ. Dicitur esse *qualitas*, adeoque accidens: alioquin cùm gratia sit supernaturalis, id est supra omnem naturam seu substantiam creatam, si esset substantia, esset supra seipsam & non esset supra seipsam. Dicitur, *realis*: quia Concil. Trident. agit de gratia tanquã de positiva forma, eam positivis perfectionibus exprimendo, quales sunt charitas, justitia, dona, virtutes, &c. Similiter dum loquitur de reali productione & receptione ejusdem formæ, nomine infusionis, renovationis, &c. significat gratiam esse formam realem. Dicitur; *Spiritualis*, ut optimè asserit Ambrosius: *Non est Spiritus S. de substantia corporalium, hic enim corporalibus incorpoream infundit gratiam.* Tum quia informat animam, quæ ente corporeo informari nequit. Dicitur; *Supernaturalis*: quia nulli prorsus debetur substantiæ vel naturæ ad ejus naturalem complendam perfectionem. Dicitur; *permanens*: quia DEUS sicut diligit amore naturali creaturam, dando illi Esse & bonitatem naturalem, ita diligit eandem amore gratuito seu supernaturali, dando illi Esse & bonitatẽ supernaturalẽ. Atq; hic amor Dei supernaturalis est permanẽs in justis: Cùm Christus dicat: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Ergo & bonitas illa gratiæ supernaturalis, terminativa amoris DEI, debet esse permanens. Dicitur; *ejus essentiam* &c. Unde Petrus testatur: *Magna & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamur Divinæ consortes naturæ.* Quod consortium seu participatio naturæ Divinæ fit per quandam similitudinem; ut quod DEUS est per naturam, id homo fiat per gratiam, repræsentans in se Divinam naturam; sicut speculum mundum repræsentat in se receptam speciem lucidissimi solis. Hinc quæ prædicata Divinæ naturæ dantur v. g. Aseitatis. Principii omnium suarum perfectionum, &c. eadem prædicata attribui debent creaturæ informatæ gratiâ, quâ efficitur creatura quasi alter Deus: sicut speculũ eâ parte, quâ respicit & recipit solem, efficitur quasi alter sol. Appositè quoad rationẽ lucis

Lib. 1. de Spiritu S. c. 4.

Joan. 14.

2. Pet. 1.

1. 2. qu. 110. art. 3. lucis D. Thomas eandem gratiam vocat Lumen, inquiens: *Lumen gratiæ quod est participatio Divinæ naturæ, est aliquid præter virtutes infusas, quæ à lumine illo derivantur & ad illud lumen ordinantur.* Unde Apost: *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem Lux in Domino; ut filii lucis ambulate.* Atque ita gratia est participatio illius Luminis, de quo Psalmus: *Et in Lumine tuo videbimus Lumen:* Participatio inquam Increati Solis justitiæ. Quoad rationem verò participatæ Aseitatis seu Entis imparticipati per gratiam *Joannes Vincentius* asserit „ Gratiam gratum facientem tantæ esse excellentiæ, ut sit participatio Divinæ naturæ, quatenus est ipsum Esse per Essentiam „ imparticipatum, & independens, ac præhabens omnem essendi plenitudinem, & hoc modo constituere animam Divinæ naturæ consortem. Quòd autem forma gratiæ sit ejusmodi participatio naturæ Divinæ, idem Author probat ex proprietatibus, quas Scriptura & Patres gratiæ tribuunt, ut esse indefectibilem, æternam, immortalem, nosque per eam immortali & indefectibili vitâ donari. Dicitur autem gratiam habitualem *essentiam Animæ perficere, non potentias.* Quia gratia non est virtus sed prius quid virtute: jam verò omnis perfectio potentiæ animæ est virtus, ut *D. Thomas* docet. Quanquam dicta participatio naturæ Divinæ allato textu S. Petri potest sumi latiùs, prout nimirum Divina natura includit intellectum & voluntatem, aliaque his annexa attributa Divina, quæ etiam participat creatura per infusos habitus virtutum & donorum simul cum gratia. Et ita secundùm intellectum homo participat cognitionem seu Scientiam DEI per habitum fidei, & donum scientiæ, ac donum intellectûs; Sapientiam DEI per donum sapientiæ; Prudentiam DEI per habitum prudentiæ. Secundùm voluntatem participat Amorem DEI per charitatem; aliasque virtutes, & universaliter Sanctitatem DEI, per habitus infusos virtutum & donorum. Deinde per participationem dictorum attributorum DEI homo efficitur similis DEO non tantùm in posse operari, sed etiam actu operari. V. g. non solùm esse habitu sapientem, bonum, &c. sed etiam actu. Ratio horum est: quia filius debet assimilari Patri quoad essentialia Patris: alioquin in eadem specie non esset ei similis: cùm careret aliquo prædicato essentiali constitutivo ejusdem spe-

Ad Eph. c. 5.

Psal. 35. v. 10.

In Relect. de gratia Christi in proem.

1. 2. q. 110. a. 4.

ſpeciei, ac per conſequens non eſſet ejus filius. Jam verò per gratiam ſumus filii DEI: Igitur debemus asſimilari DEO quoad eſſentialia DEI, quorum & quomodo capaces ſumus, capaces verò ſumus aliquorum attributorum DEI non tantùm quoad repræſentationem illorum eſſe, verùm etiam & operationis, non enim virtutes ſolùm habitualiter posſidemus verùm easdem actualiter exercere valemus. Cæterùm quoad alia prædicata DEI, v. g. Omnipotentiæ &c. qualiter ea participamus per gratiam DEI deſcribit *Suarez* dicens. Perfectiones ſimpliciter, quæ non „ poſſunt à creatura formaliter participari, quia ita ſunt in Deo for- „ maliter ut in ſuo conceptu includant eſſe increatum, ut tale eſt, „ non poſſunt participari à creatura etiam inferiori modo, niſi „ fortè quatenùs aliquo modo in creatura relucēt tales proprietates „ Dei, vel ratione modi eſſendi, vel ratione alteri⁹ depēdentiæ. Quo- „ modo in omni eſſe quodāmodo participatur omnipotentia DEI; „ quomodo etiam ad creationem cujuscunq; entis neceſſaria eſt, &, „ in omni eſſe participato relucet ens imparticipatū; quia neceſſariò, „ in illo ſiſtendum eſt, ut ab illo posſit participatio manare, & in- „ choari, & ſic de aliis. Hic autem modus participationis gene- „ ralis eſt, vixque poterit in qualitate gratiæ aliquid ſpeciale in „ hoc conſiderari, niſi quòd hoc ipſum cum majori perfectione, „ habeat, quatenùs eſt qualitas alterius, & Divini ordinis, quod „ eſt omnibus qualitatibus in entitate ſua ſupernaturalibus com- „ mune, juxta gradum perfectionis ſuæ. „

Lib. 7. de Sanctif. homi-nis c. 1. n. 29.

Ad ejusdem gratiæ excellentiam, proprietates, effectusq; ulteriùs pernoſcendos, placuit ejus alios hìc inſerere glorioſos titulos. Titulatur itaque I. Imago DEI. Unde Apoſtolus: *Sicut portavimus imaginem terreni* (id eſt Adæ) *portemus & imaginem coeleſtis* : id eſt *per vitam gratiæ Chriſto nos conformantes.* II. Similitudo DEI. Quare DEUS ait: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Conſiſtit hæc DEI ſimilitudo in gratuitis, & ideò eſt ſimilitudo quædam perfectio imaginis ; quia gratia perficit naturam* : Quæ eſt imago DEI etiam ſecundùm memoriam, intelligentiam, & voluntatem. III. Filiatio DEI, & jus ad gloriam ſeu hæreditatem Regni cœleſtis. Hinc Suarez ait: Habitualem „ gratiam intrinſecè & ex natura ſua conſtituere hominem Fi- „ lium

Ep. 1. ad Cor. cap. 15.

Ita Lyranus in præfat. textum.

Ita Lyran. in 1. cap. Geneſeos.

Lib. 7 de Sanctif. hom. cap. 2. n. 3.

„lium DEI adoptivum, & hæredem supernaturalis beatitudinis, „quantum est ex vi filiationis internæ, quam per gratiam partici-„pat. Quare Apostolus dicit; *Non accepistis spiritum servitutis iterùm in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater, ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus Filii Dei, si autem filii & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* IV. Vita animæ. Unde Christus. *Ego veni in mundum, ut vitam ha-„beant & abundantiùs habeant*; quasi dicat. Ego veni ut dem fidelib9 vitã „non qualemcunq;, sed præstantem, eximiam, abundantem, novã, „modum excedentem, ut scilicet abundent meâ doctrinâ, & gratiâ „per eamq; in Spiritu vegeti, læti, pingves, & abundantes, vivant, „tum in hoc seculo per gratiam, tum in futuro per gloriam. V. Un-„ctio, Signum, Pignus. Idcirco Apostolus: *Unxit nos DEus, qui & „signavit nos, & dedit pignus Spiritûs in cordibus nostris*: Id est, con-„firmavit quasi sigillo impresso promissiones suas DEUS, dan-„do juxta eas pignus futuræ hæreditatis scilicet gratiam, quâ nos unxit, & signavit in Filios DEI, discrevitque à filiis diaboli)) VI. Vestis nuptialis. Hinc Christus dicens: *Et vidit ibi hominem „non vestitum veste nuptiali.* Vestis est gratia Spiritus Sancti, & candor habitûs cœlestis)) VII. Amicitia DEI. Prout Concil. Tri-dent. asserit: *Per hanc gratiam nos fieri amicos DEI, & domesticos ejus.* VIII. Gratia justificans. Sic Apostolus: *Ut justificati gratiâ ipsius, hæredes simus secundùm spem vitæ æternæ*: id est peccatis expurgati, & justitiâ donati, non nostro merito, sed gratiâ ipsius, &c.)) IX. Gratia sanctificans; ita communiter à Theologis dicta: quia per hanc assimilamur DEO in genere moris: decet enim filium sicut in esse physico ita in esse morali similem esse Patri. X. Gratia gratum faciens, prout habet Apostolus: *Prædestinavit nos &c. in laudem „gloriæ suæ, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo.* Unde „*Suarez*: Gratia gratum faciens est, quæ ex vi suæ intrinsecæ na-„turæ & perfectionis essentialis, tantam confert homini dignita-„tem, ut sit capax Divinæ amicitiæ, & consequenter per illam con-„stituitur in ratione objecti amabilis à DEO veræ amicitiæ amore. XI. Est vinculum & unio quædam inter animam & Spiritum Sanctum. Hinc dicitur: *Qui manet in charitate, in DEO manet, „& DEUs in eo.* Ratio est; quia docente *Suarez* numero 12. Dona gra-

Ep. ad Rom. cap. 8.

Ita S. Chrysost. Cyril. Beda & alii. Citati à Cornelio à lapide in c. 10. Joann. v. 10.

Ita Chrysost. Theodor. Oecum. citata à Cornelio à Lapide in Ep. ad Cor. c. I. v. 22.

Ita S. Hilarius cit. à Cornel. à lap. in Matth. cap. 22. v. 11.

Sess. 6. c. 10.

Ita Cornel. à lapid. in Ep. ad Titũ c. 3. v. 7.

Epist. ad Ephes. c. 1.

Lib 6 de Sanctif hominis c. 1. n. 18.

1. Joann. 4.

na gratiæ vi suâ & quasi connaturali jure postulant, realem ac „ personalem præsentiamDEI in anima per talia dona sanctificata: „ quia si per impossibile fingamus Spiritum Sanctum non esse „ aliàs præsentem intra animam, eo ipso, quòd anima talibus do- „ nis afficeretur, ipsemet Spiritus Sanctus veniret ad eam per præ- „ sentiam personalem, & maneret quamdiu gratia in illa duraret. „

XII, *Lessius* à statu peccati per statum innocentiæ & statum Angelicæ naturæ, ad immensam altitudinem & excellentiam statûs adoptionis per gratiam DEI progressum facit ita dicens; Sanè negari non potest, quin immensum sit horum statuum intervallum, cùm gradus diversi ordinis (quorum proinde discrimen est incomparabile *ac* immensum) sint intèrjecti. Nam inter statum peccati, & statum nudæ innocentisque naturæ, est quoddam intervallum infinitum: pari modo inter statum innocentis naturæ humanæ & felicitatis Angelicæ: denique inter statum Angelicum & Filiorum DEI. Tantum enim inter hos status est discrimen, ut nulla bonorum eiusdem ordinis appositione ab inferiore ad superiorem perveniri & ascendi possit. Qui enim est in statu peccati mortiferi, etsi absque fine divitiis, honoribus, imperiis & regnis cumuletur, miserrimus est, nec unquam ei qui in statu naturæ innocenter vivit, felicitate comparari poterit: peccati enim mortiferi malignitas nullis bonis opprimi potest, quin hominem vilissimum & infelicissimum faciat. Qui verò est in statu naturæ innocentis, nunquam poterit ad perfectionem Angelicam pertingere, etiamsi absque fine bonis humanis, quorum scilicet natura illius, vi suâ est capax, ut robore, agilitate, pulchritudine, sanitate, eloquentiâ, industriâ, experientiâ rerum, artibus liberalibus, mechanicis, Mathesi, Astronomiâ, & omne genus scientiis augeatur. Tota enim humanæ naturæ perfectio ad Angelicam comparata, est instar nihili, & veluti punctum ad cœlorum immensitatem. Denique Angelica perfectio, etiamsi absq; fine in suo ordine crescat, nunquam statumFiliorum DEI & gloriam ipsis præparatam adæquabit. Ex quibus constat quàm immensum sit intervallum inter statum illum è quo per misericordiam erepti, & illum ad quem evecti sumus; ac proinde quàm immensum sit beneficium istud adoptionis. *Hæc Lessius.*

De perfect. Divin. lib. 12. cap. 11.

Praxes pro adipiscenda, conservanda, augendaq; Gratia habituali.

In Summa cap. 3. PRima Praxis pro adipiscenda est in parvulis Baptismus, in Adultis peccatoribus Pænitentia &c. De quibus supra actum.

Secunda Praxis pro conservanda gratia habituali est fuga peccati mortalis, per quod solum illa in instanti amittitur, & per venialia ad ejus amissionem homo disponitur.

Tertia Praxis pro augenda eadem gratia est quodlibet o-
1. 2.c.1.Sect. pus meritorium, quo posito & illa in sua graduali intensione
1. & sequ. crescit. Hæc omnia patent jam ex alibi dictis.

SECTIO VI.

De Habitibus virtutum.

SIcut natura est principium suarum potentiarum & proprietatum, per quas operatur: ita & gratia, quæ est natura quædam supernaturalis, estque principium motus & quietis in ordine supernaturali, habet sibi superadditas potentias quasdam, perfectivas potentiarum naturalium, cum quibus simul supernaturaliter possit operari: ejusmodi autem potentiæ sunt Habitus infusi virtutum, Dona Spiritus S. Quanquam ex occasione horum, & de virtute naturali hìc brevitèr attingemus, sicut & de actibus virtutum, propter connexionem earum cum suis habitibus.

§ I.

De quidditate Habitus virtutis.

VIrtus prout sumitur pro perfectione superaddita potentiæ ad efficiendam operationem convenientem lumini naturali vel supernaturali creaturæ rationalis definitur esse *Habitus bonus, perficiens potentiam rationalem, ad eliciendam consummatè operationem, na-*
7. Physic. *turæ consentaneam.* Philosophus autem definit: *Virtus est dispositio*
tex.17. (seu habitus disponens) *perfecti*, (id est subjecti in sua natura perfecti) *ad optimum*, id est ad optimam operationem, tum ad optimum, quod est Bonum beatificum. Porrò D. Augustinus ita definit: *Virtus est habitus bonus, modo & ratione naturæ consentaneus.* Hæ definitiones competunt virtuti naturali & supernaturali, cum horum terminorum subintellectione & apta additione.

Dicitur

Dicitur autem in noſtra definitione; *Habitus bonus*: quia Philoſophus poſtquam oſtenderat Virtutem non eſſe actum, nec potentiam, tandem ita concludit: *Si ergo virtutes neq; affectus ſunt (id eſt* actus ſeu affectiones) *neq; facultates* (id eſt potentiæ) *habitus neceſſariò ſunt.* Et quidem *Boni*, id eſt benè afficientes potentiam, eamque convenientèr diſponentes ad actum bonum. Dicitur: *perficiens potentiam*, non eſſentiam animæ: quia eſſentia, tum in ſe eſt completa, tum non eſt principium proximè operativum, ſicut ſunt potentiæ, in quo conveniunt cum habitibus. Deinde, ideo perficitur habitu potentia: quia cùm illa ob inſufficientiam ſuam difficulter & imperfectè ſit elicitiva actuum maximè laude dignorum, complent hanc inſufficientiam habitus ad ſuaviter & conſummatè producendos actus. Inſuper, ut indeterminata potentia ad plura, ad certos actus liberos per habitum determinetur. Dicitur; *potentiam rationalem*: Non autem corpus, aut potentias animæ vegetativæ: quia hæ aut non parent rationi, aut quæ potentiæ parent v. g. potentia loco motiva, parent neceſſariò, nec liberè, adeoque non laudabiliter. Porrò potentia rationalis intelligitur hìc non modò abſolutè talis, qualis eſt Intellectus & Voluntas; ſed etiam quæ eſt ſecundùm quid rationalis per aliquam participationem & connexionem cum ratione: talis eſt Appetitus ſenſitivus. Habitus autem perficientes potentias ſenſitivas, uti apprehenſivam interiorem qualis eſt imaginativa, & memoria, non ſunt virtutes: quia ordinantur ad intellectus operationem tanquam in terminum: cùm tamen de ratione virtutis ſit, ut cum potentia terminetur in ſuum actum perfectum & conſummatum, & non dirigatur ulteriùs ad alterius potentiæ actum tanquam terminum. Unde dicitur: *Ad eliciendam conſummatè operationem, naturæ conſentaneam*: Ubi nomine naturæ intelligitur & natura humana ſine alio addito, & natura ſupernaturalis ſeu gratia habitualis. Ad huic igitur utrique naturæ proportionaliter operationem conſentaneam, ſeu ad utriusque naturæ in ſuo ordine bonum & perfectionem eſt habitus virtutis elicitivꝰ operationum. Tum quia potentia etiam remota quæ eſt natura, intantùm eſt ſaltem remotè perfecta, inquantùm eſt in actu, quem remotè principiat: tum quia per rectam operationem

Lib. 2. Ethic. cap. 5.

conservatur rectus usus luminis naturalis, vel supernaturalis. Hæc autem perfectio & bonitas habituum virtutis in sensu morali accipienda: Nam in sensu physico habitus virtutum etsi non exeant in actum, sunt tamen physicè perfecti & boni. Deinde dicta operatio naturæ consentanea intelligitur non tantùm actus virtutis, cujus bonitas in se spectata omnibus convenit virtutibus, sed etiam bonitas in ratione medii ad finem beatitudinis, quæ bonitas aliquibus tantùm convenit virtutibus: tum denique bonitas ipsius beatitudinis, quæ similiter in aliquibus virtutibus essentialiter consistit, uti in contemplatione & amore, refertur ad substantiam virtutis.

§ II.

De Divisione Virtutis.

VIrtus universaliter ex parte Causæ efficientis dividitur in Naturalem, Acquisitam, & Infusam. *Naturalis* est, quàm à DEO ut Authore naturæ simul cum natura ei inditam accepimus. Dicunturque Naturales tum ex parte Naturæ specificæ quatenùs universim omnibus hominibus sunt communes. Tum naturales dicuntur ex parte individui, quatenus pro diversitate complexionis alius est alio aptior ad hanc vel illam virtutem exercendam, Et quidem quoad intellectivam potentiam, ei insita est quædam virtus, seu unicus specie habitus primorum principiorum vocatus *Intellectus*, quo benè disponitur anima ad rectam cognitionem & assensum primis principiis, seu per se notis; per quod differt hic habitus ab intellectu prout est potentia, quæ est principium simpliciter actuum cognitionis: sive realiter sive tantū formaliter idem habitus à potentia intellectus distingvatur pro diversitate sententiarum. Est verò idem habitus intellectus naturalis in intellectu tantùm quoad substantiam & inchoationem, non verò quoad usum. Id est quod ex se solus non potest procedere in actum nisi juvetur speciebus intelligibilibus per sensus acquisitis: quæ species non sunt homini congenitæ. Cæterùm dictus habitus Intellectus est speculativus, & quà practicus vocatur *Synderesis* eam definiente D. Thoma, *quòd sit habitus quidam naturalis principiorum operabilium. Unde synderesis dicitur instigare ad* 1.p.q.79.a.12.

benum

bonum, & murmurare de malo: in quantum per prima principia procedimus ad inveniendum, & judicamus inventa.

Quod verò alias virtutes naturales concernit, hæ in potentia apprehensiva. & appetitiva, non habent se per modum habituum, sed sunt quasi quædam semina & primordia actuum virtutum, cum ipsis potentiis eadem realiter, quibus potentiæ, seu potiùs seipsis potentiæ inclinantur per operationem rectam in sua objecta sibi proposita, ac tandem per frequentationem actuum alios habitus acquirunt virtutum. Ita advertit Philosophus dicens: *Cum idonei ad virtutes suscipiendas naturâ simus, assuetudine perficimur.* Unde *D. Thomas* concludit ex Philosopho virtutes naturales esse in nobis à natura aptitudinaliter & inclinativè, non verò secundùm perfectionem)) *Lib. 2. Ethic. cap. 1.* *1. 2. quæst. 63. art. 1.*

Acquisita virtus, est habitus ex frequentatione actuum productus, benè & facilè operativus. Hæc virtus Acquisita alia est supernaturaliter seu per actus supernaturales acquisita; quia talis habitus cum habitu infuso dat actui supernaturali facilè posse: cum habitus infusus eidem actui det simpliciter posse, ut communiter docetur; non tamen dicitur ejusmodi habitus acquisitus supernaturalis: quia ut optimè *Valentia* cum communi asserit, vel talis habitus cum infuso esset ejusdem speciei, vel diversæ; diversæ nequit esse, cum per actus nonnisi producantur habitus similes actibus; ejusdem quoque speciei non; quia cum sufficiat unus habitus ad præstandum aliquid, non requiruntur plures; & deinde daretur processus in infinitum. Hæc quoque ratio militat, cur habitus acquisitus non augeat alium habitum. *In 1. 2. D. Tho. disp. 4. q. 3. punc. 4.*

Porrò habitus virtutis acquisitus ab infuso per hoc differt; quòd acquisitus producatur per operationes bonas & rectas juxta dictamen rationis, vel legis naturalis directas: infusus autem non habet in mente creata ejusmodi regulam directivam (utpote viribus luminis naturalis incognoscibilem) secundùm quam per actus sua ratio & modus multò altioris & nobilioris ordinis quàm est naturalis, inducatur, sed potiùs habet pro sua regula dictamen & legem Sapientiæ Divinæ, secundùm quam sua ratio & modus excedens naturam determinatur, ac in natura à DEO producitur seu infunditur. Acquisita virtus pro diversi-

versitate subjecti subdividitur in intellectualem, quæ est in parte apprehensiva: Et in moralem, quæ est in parte appetitiva.

Intellectualis virtus ut sic, est *Habitus comparativus cognitionis rectæ seu veræ circa objectum intelligibile.* Ejusmodi autem species virtutum intellectualium acquisitarum enumerat Philosophus quinque, ubi dicit· *Ea quibus anima affirmando aut negando verum dicit, numero sunt quinq; : Hæc vero sunt: Ars, scientia, prudentia, sapientia, intellectus.* *Ars*, est habitus cum ratione recta effectivus. *Scientia*, est habitus demonstrativus circa rem necessariam, quæ non potest aliter se habere. *Prudentia*, est habitus cum vera ratione activus circa ea, quæ & bona & mala homini sunt. *Sapientia*, est habitus cognoscitivus per altissimas causas, & de principiis aliarum scientiarum judicativus. *Intellectus*, est habitus cognoscitivus primorum principiorum, seu per se notorum. Hæc virtus quatenus necdum prodiens in usum cognitionis est virtus naturalis, quatenus per usum cognitionis est perfectus, accipit insuper rationem virtutis acquisitæ.

Ethic. 6.

Virtus moralis acquisita, est habitus inclinans potentiam appetitivam ad actum bonum circa operationes, vel passiones. Dicitur; *Habitus inclinans*: quia hic communiter sumitur Mos pro inclinatione naturali, vel quasi naturali ad aliquid agendum. Unde & consuetudo inclinativa ad aliquid dicitur mos, & quasi altera natura. Dicitur ; *potentiam appetitivam*: quia appetitivæ potentiæ propriè convenit inclinari ad actum, ejusque est munus omnes alias potentiàs inclinare seu movere ad agendum. Dicitur; *ad actum circa operationes, vel passiones.* Ubi nomine Operationum intelliguntur actus tam potentiæ volitivæ, quam aliarum potentiarum externarum, quibus homo primariò & per se disponitur erga alterum: Nomine verò Passionum intelliguntur affectus appetitus concupiscibilis & irascibilis, quibus primariò aliquis secundùm se disponitur. Igitur circa ejusmodi operationes, vel passiones, actus virtutum potentiæ appetitivæ versantur, tanquam circa sua proxima objecta. Et ita justitia cum suis partibus subjectivis & potentialibus (quæ est in appetitu rationali) versatur primariò & directè cira operationes ad alterum, indirectè circa passiones. Temperantia autem (quæ est in appetitu concu-

concupiſcibili) & Fortitudo (quæ eſt in appetitu iraſcibili) verſantur directè circa pasſiones, indirectè circa operationes. Ratio horum eſt: Quia virtus ad hoc inſtituta eſt, ut ſuperet difficultatem annexam actui honeſto, qui etiam eſt proximum objectum virtutis. Unde quælibet virtus primariò & directè reſpicit ſui objecti ſeu actus difficultatem evincendam: indirectè verò aliarum virtutum in objectis ſpectat difficultatem ſuperandam. Jam verò quia operationes, quæ ſunt ad alterum, habent difficultatem diſtinctam ab ea, quæ provenit ex rebellione pasſionum: nam ampliare terminos ſui juris & libertatis cum injuria alterius, fuit etiam in malis Angelis, qui carebant pasſionibus: ſequitur operationes ad alterum debere habere diſtinctam virtutem (quæ eſt juſtitia) à virtutibus ſuperativis pasſionum nempe fortitudine, & temperantia: iſtasque virtutes primariò & directè ſua objecta reſpicere, indirectè non propria.

Virtus infuſa ut nobis à DEO quà Auctore ſupernaturali, datur *eſt bona qualitas ſeu habitus mentis, quà rectè vivitur, & quà nullus malè utitur, & quam DEUS in nobis, ſine nobis operatur.* Ita *D. Thomas* ex Auguſtino. Dicitur; *quà rectè vivitur*, ut diſcernatur virtus ab habitibus vitioſis, qui ſemper ſe habent ad malum. Dicitur; *quâ nemo malè utitur*, ut diſcernatur virtus ab illis habitibus, qui modò ſe habent ad bonum, modò ad malum, ſicut ſe habet opinio ad verum & falſum. Dicitur; *quam DEUS in nobis ſine nobis* (id eſt activè operantibus; quamvis tamen pasſivè & receptivè cooperantibus) *operatur*. *1. 2. quæſt. 55. art. 4.*

Dari autem habitus infuſos virtutum, & eſſe de fide probabilior tenet ſententia. Etenim Trident. aſſerit in juſtificatione hominis *infundi* divinitùs *Juſtitiam* nempe ut ibidem dicitur, *Charitatem, Spem, & Fidem*: quæ infuſio meliùs de permanentia, adeòque habitu, quàm de auxiliis, vel donis actualibus tranſeuntibus earundem virtutum, intelligitur. *Seſſ. 6. c. 7.*

Porrò habitus infuſi, *alii ſunt per ſe infuſi*, nempe illi qui hominem diſponunt circa & ad finem ſupernaturalem; quivè nullâ vi naturali acquiri poſſunt: *Alii per accidens infuſi*, qui posſunt quidem aliàs operâ & ſtudio hominis acquiri, defacto tamen ſine activitate humana quandoque divinitùs infunduntur, prout

tur, prout Apostolis infusa fuit scientia scripturarum, & omnium lingvarum, quam homines consvetudine vel studio acquirere possunt, non tamen ita perfectè.

Deinde virtus infusa pro diversitate objecti formalis subdividitur in *virtutem Theologicam*, quæ versatur circa ipsum ultimum finem, nempè DEUM; & *virtutem moralem infusam*, quæ versatur circa media ad eundem finem. Itaque *virtus Theologica, est habitus à DEO infusus, attingens DEUM, ut finem ultimum.* Et per hanc infusionem sui differt à Fide, Spe, & Charitate in DEVM naturali. Sunt autem virtutes Theologicæ tres, Fides, Spes, & Charitas: de quibus Apostolus: *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc:* Et D. Augusti. inquit: *Homo fide, spe, charitate innixus, eaq; inconcussè retinens, non indiget scripturis, nisi ad alios instruendos.* Idem alibi affirmat: *His tribus virtutibus contineri totius religionis summam.* Ratio est: quia sicut circa finem seu beatitudinem naturalem rectè homo disponitur per virtutem naturalem; ita circa finem beatitudinis supernaturalem, excedentem vires naturæ non potest disponi nisi per virtutes suam naturam excedentes.

1. Cor. 13.
Lib. 1. de doctrina Christiana c. 39.
In Enchirid. c. 3. & 4.

Habitus fidei, spei, & charitatis ordinariè simul cum gratia infunduntur: Per accidens tamen contingere potest, ut solùm infundantur fides, & spes, sine charitate v. g. in Adulto baptismum suscipiente, & affecto ad peccatum aliquod. Similiter in fideli per peccatum mortale amissâ charitate tamen manent fides & spes.

Virtus infusa Moralis seu Cardinalis (ita dicta quòd in ejusmodi virtutibus tanquam cardinibus vita hominis sustinetur & rectè vertitur) *est habitus à DEO infusus, attingens media, quæ sunt ad ultimum finem.* Sunt autem quatuor, de quibus Sapientia cap. 8. *Sobrietatem enim* (id est Temperantiam) *& sapientiam* (id est Prudentiam) *docet, & justitiam, & virtutem,* (id est Fortitudinem) *quibus utilius nihil est in vita hominibus.* Quas virtutes dari patet: Quia sicut ad perfectionem hominis in ordine naturali spectat, ut non tantùm sit dispositus circa finem ultimum naturalem, sed etiam circa media ad ipsum: ita ad perfectionem hominis in ordine supernaturali spectabit non modò perfici virtutibus Theologicis circa finem ultimum supernaturalem, verùm etiam Moralibus

infusis

infuſis circa media ſeu materiam, quatenùs ad eundem finem conducit. Perfecta enim DEI ſunt opera non minùs in ordine naturali, quàm ſupernaturali.

Diſtingvuntur autem acquiſitæ ab infuſis moralibus per hoc. Etenim virtus acquiſita v. g. Temperantiæ habet pro fine bonum naturæ, nempe juvandi rectum uſum rationis, bonam valetudinem, &c. pro objecto verò formali habet honeſtatem actus intrinſecam, quæ eſt in conformitate actus ad dictamen practicum rationis, ſive illa proponat Regulam Divinam, ut DEus Auctor naturalis eſt, ſive non. Temperantia autem ut virtus infuſa eſt, habet pro fine gratiam & gloriam ſupernaturalem fide cognitam: pro objecto verò formali habet actus honeſtatem fide Divinâ cognitam, vel beneplacitum DEI conſulentis aut præcipientis, cui obediat &c. *Idem ſenſus eſto de aliis virtutibus infuſis moralibus.*

§ III.

De Proprietatibus ſeu Conditionibus virtutum.

PRima Conditio eſt, *Medium virtutis.* Quod dari docent communiter. Nam Iſaias inquit: *Hæc eſt via, ambulate in ea, & non declinetis neq; ad dexteram, neq; ad ſiniſtram.* Et Philoſophus ait: *Vitia alia deficiunt ab eo, quod fieri debet, alia exuperant. Virtus verò medium invenit, & eligit.* Medium aliud eſt rei, aliud rationis. *Medium rei* dicitur, quod non eſt in commenſuratione ad rationem, ſed potiùs in æqua commenſuratione rei ad jus alterius. Et hoc medium reſpicit virtus juſtitiæ. *Medium verò rationis eſt* commenſuratio aut conformitas rei ſeu objecti virtutis ad regulam rectæ rationis, verſans inter exceſſum & defectum ab eadem regula. Ubi dupliciter poteſt contingere hæc conformitas objecti cum recta ratione. Primò, dum medium rei ſeu objecti virtutis quà tale poſitum in natura ſua invenit ratio, fitque inter rationem & objectum conformitas. Secundò, dum medium rei poſitum in natura ſua non invenit ratio, prudenter tamen hîc & nunc ſpectatis circumſtantiis medium tale rei eſſe poſitum ex natura ſua judicat. Neque opus eſt ad rationem virtutis, ut hæc attingat medium in indiviſibili, prout volebant Stoici; ſed ſufficit

Iſa. cap. 30.

2. Ethic. c. 6.

Vide D. Thom. 1. 2. q. 64.

1. 2. quæst. 66. a. 1.

esse prope medium, ut cum Philosopho sentit D. *Thomas*. Unde illa perfectior vel imperfectior erit virtus, quæ magis vel minùs distabit ab extremis vitiosis, adeòque magis vel minùs approximabit ad medium.

Secunda Conditio est, *Connexio virtutū*. Intellectuales virtutes sine se, excepto habitu principiorum, tum demptâ prudentiâ, posse esse, tum sine moralibus; & has sine intellectualibus exceptâ prudentiâ, & habitu principiorum: vel ipsa experientia probat rerum magistra.

1. Cor. c. 13.

Deindè easdem virtutes acquisitas posse subsistere sine infusis docet Apostolus: *Si habuero prophetiam, & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam &c. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*: Nempe in sensu Theologico, per ordinem ad finem supernaturalem; in quo etiam sensu aliqui SS. Patres acquisitas virtutes, veras esse negant: Non tamen in sensu Philosophico.

Charitatem non posse disconnecti à fide, & spe; Spem à fide; fidem verò posse disconnecti à spe, & spem à charitate, suis locis videbimus. Porrò virtutes morales infusas cohærere cum charitate, non vero cum fide, & spe, inde est: quia morales infusæ solis tribuuntur justis.

Vide Valentia in I. 2. D. Thom. disp. 5. q. 7. pun. 2. citantem plures.

Lib. 5. in Lucam.

Quod attinet virtutes morales acquisitas cum Prudentia, has inter se esse connexas asserit probabilior sententia. Unde D. Ambrosius: *Connexæ* inquit *sibi sunt concatenatæq; virtutes*. Non quidem ita connexæ, quasi in sua essentia una ab altera dependeat: Sed ita, quòd nulla virtus sine aliis queat habere suum perfectum statum virtutis. Qui status perfectionis in eo situs est, ut quælibet virtus in materia tum propria tum aliena ex motivo suo formali sit expedita in omni casu vincere difficultatem, & suorum actuum exercitio fungi. V. g. perfecta Castitas ex suo motivo formali non modò debet esse victrix actus turpis (contra quem directè pugnat) sed etiam metus mortis (quem Fortitudo contemnit) si ad jacturam Castitatis incutitur. Alioquin cedens ob metum â Castitate, & contra Fortitudinem, & contra Temperantiam peccare censebitur.

Tertia

Tertia Conditio est, *Æqualitas, & Inæqualitas virtutum.*
Virtutum quoad suam excellentiam inæqualitas non est cognitu facilis, ut rectè Gregorius Nazian: *Nequaquam* inquit, *inventu facile est, quænam ex virtutibus excellat, ut ei palma victoriæ tribuatur: Quemadmodum nec in prato odorifero, ac variis floribus distincto flosculum discernere pulcherrimum & fragrantissimum, cùm alius alio aspectum & odoratum ad se rapiat, atq; ut primùm decerpatur, suadeat.* Veruntamen duplici ratione possunt inter se virtutes comparari; Nempe & secundùm suam essentialem, & secundùm accidentalem perfectionem: secundùm essentialem perfectionem, sicut intellectuales sunt perfectiores moralibus; quia intellectuales habent objectum universale ratione potentiæ cognoscitivæ respiciente objectum tale; morales verò habent objectum particulare, in quod solet appetitiva tendere: Ita ex altera parte, morales sunt perfectiores intellectualibus saltèm secundùm quid: quia morales efficiunt, ut sui actus accipiant bonitatem suam non modò ex motivo formali, verùm & ex bono usu voluntatis, principii eorundem actuum: intellectuales verò actus tantùm boni sunt ex suo objecto. Itaque ex intellectualibus præcellit Sapientia ob nobilissimum objectum: Ex moralibus vero Justitia, tum Fortitudo, tum denique Temperantia. Utrasque superant morales infusæ, has Theologicæ, inter quas arcem tenet Charitas. Porrò secundùm accidentalem perfectionem, primò virtus moralis *extensivè* spectata, id est quatenus se extendit ad omnia objecta intra suam sphæram v. g. qui habet Temperantiam, habet illam, quantùm ad omnia, ad quæ se Temperantia extendit. Itaque modo tali virtus moralis nunquam est una major alterâ. Quod contrarium evenit in virtutibus intellectualibus: Non enim quicunque est Theologus scit exactè omnia, quæ sunt Theologiæ. Quare Stoici benè affirmarunt, quòd virtus non recipiat magis nec minùs: sicut Scientia, & Ars: eò, quod ratio virtutis consistit in maximo. *Secundò.* Virtus moralis *intensivè* accepta, potest esse perfectior una quàm altera, sive in diversis hominibus, sive in eodem homine diversis temporibus. Quia unus homo altero, vel etiam idem alio & alio tempore meliùs est dispositus ad attingendum promptiùs & propinquiùs medium virtutis ex

In Oratione de paupertate sectanda.

majori assuetudine, vel meliori dispositione naturæ, vel perspicaciori judicio, vel denique ampliori dono gratiæ.

Quarta Conditio est, *Acquisitio, Augmentum, Corruptio, Duratio habituum virtutis.* Quoad *Acquisitionem* certum est *Primò*. Habitus virtutum per actus acquiri. Unde acquisiti habitus vocantur, ut opponuntur à DEO infusis. Ita asserit Philosophus: *Sicut citharâ canendo citharœdi efficiuntur; ita quoque justa agendo justi, temperantia temperantes, fortia fortes, evadimus.* Ratio est; quia actus non tantùm producuntur à potentia, verùm in eadem recipiuntur: quia actus passivè recepti sive per se sive per productam à se aliam qualitatem, facilitant potentiam ad similes actus efficiendos: & hæc facultas facilitans dicitur Habitus. Certum *Secundò*. In potentia appetitiva habitus virtutum non posse comparari uno actu sed multo & frequenti. Quia cùm habitus virtutis sit *prompta facultas operandi benè in quovis casu*: in pluribus autem casibus pro diversitate circumstantiarum novæ & novæ difficultates superandæ obveniant; sequitur non uno, sed pluribus ejusmodi actibus superativis, produci habitum. Frequentes autem isti actus esse debent, (spectatâ occasione, & naturâ materiæ virtutis) id est non interrupti identidem æque vel magis pluribus actibus contrarii vitii, sed quasi moraliter continuati. Quia quem habitum ædificat pluribus actibus virtutis, hunc denuò destruit itidem interruptis actibus vitii. In potentia autem intellectiva posse acquiri habitum unico actu v. g. Scientificum habitum per universalem demonstrationem unicam: Ex qua cum potentia de pluribus facilè inferat scientificas conclusiones. *Tertiò*. Modus quo generatur habitus virtutis. Aliqui dicunt illum produci additione unius partis substantiæ habitus ad aliam per singulos actus. Alii docent priores actus disponere tantummodo potentiam in eum finem, ut per ultimum actum tandem inducatur habitus quoad suam substantiam. Quando autem & quis hic ultimus actus fiat, quo demum producatur habitus, non facile discernitur. Sufficit autem scire tum se acquisivisse habitum virtutis, cùm per ejus frequens exercitium aptatus, senserit se esse expeditum & promptum ad victoriam difficultatum in materia illius virtutis. *Quartò*. Habitus infusi nequeunt per actus acqui-

Lib. 2. Ethic. cap. 1.

ri, nisi

ri, nisi à solo DEO producantur. Quia cùm dicti habitus, dentur in præmium, sequitur hoc debere dari ab alio id est à DEO, ne dicatur homo seipsum præmiare.

Quod concernit *Augmentum*. Similiter aliqui putant augeri habitus nempe per additionem partialium qualitatum ad præsuppositum habitum, & ita gradatim intensivè crescere habitum. Alii autem posse quidem augeri habitus per additionem secundùm se non, quoad suam entitatem, sed tantùm quoad usum, quatenus plures & plures producunt actus. Quoad verò sui intensionem non augeri per additionem, sed eatenus augeri, quatenus magis ac magis forma seu habitus sibi subdit subjectum, illudque perfectiùs & perfectiùs actuat. *Secundò*. Actus intensior habitu (ista enim major intensio potest provenire à potentia, etsi non ab habitu) vel æque intensus ac habitus, semper auget habitum, vel certè disponit potentiam ad ejus augmentum. Quia actus eliciti à potentia nuda non statim producunt habitum, sed ad eum disponunt; ita & producti à potentia simul cum habitu quandoque non statim eum augent, sed nonnisi disponunt ad augmentum. Etiam per actum remissiorem habitu, augetur habitus, vel statim, vel dispositivè. Quia sicut potentia naturalis in virtute suæ substantiæ potest producere aliam substantiam, quæ est quid perfectius potentiâ: ita & actus potest augere habitum, etsi eo actus sit imperfectior, sed augere in virtute potentiæ, cui inest. *Tertiò*. Habitus quoque infusos augeri certum est. Id verò augmentum fit intensivè per additionem unius gradus ad alterum, uti augentur qualitates naturalis caloris vel frigoris, vel lucis. Unde dicitur: *Justorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit usq; ad perfectam diem.* Deinde per omnes & solos actus hominis justi, cujuscunque sint virtutis, intensionis, & remissionis, sicut augetur gratia sanctificans, ita æqualiter & habitus infusi virtutum augentur. Ratio prioris est: quia istud augmentum datur à DEO in præmium meritorum etiam exigui momenti v. g. porrectionis calicis aquæ frigidæ indigenti, propter Christum. Ratio posterioris est: quia perfectiori naturæ commensurantur perfectiores proprietates: ergò & perfectiori naturæ supernaturali seu gratiæ convenire & commensurari debent suæ perfectiores proprietates, quæ sunt habitus virtutum.

Proverb. 4. v. 18.

Vide Matth. cap. 10. v. 42.

Quod

Quod spectat ad *Corruptionem habituum virtutis.* Hæc potest dupliciter contingere; vel per se, nempe à suo contrario; vel per accidens ex corruptione subjecti. Contrarium autem hic sumitur non tantùm propriè, sicut superbia est contraria humilitati, sed & impropriè pro disparatis actibus, quales sunt v. g. actus indifferentes, vel alterius virtutis, non è diametro pugnantes cum humilitate. Quia cùm facilitas sit de ratione habitus ad operari, hæc verò dependeat in esse & conservari à frequentatione actus, frequentatio autem actus diversorum habituum simul & semel, vel saltèm successivè sæpiùs fieri nequeat ob limitatam perfectionem potentiæ: sequitur etiam disparatos actus diminuere facilitatem exercitii habitus acquisiti. *Diminutio* itaq; eorundem habituum fit opposito modo, quo & augmentum: sed augmentum habituũ tum extensivè tum intensivè spectatũ, fit actibus similibus: ergò & diminutio habituum extẽsivè & intensivè accepta, fit dissimilibus, vel contrariis actibus. Dissimilibus autem & disparatis actibus diminuitur & corrumpitur habitus propter cessationem actus similis habitui. Quia experientiâ constat, intermissione multâ actuum v. g. habituum existentium in appetitiva, consurgere vim contrariam passionum ex variis circumstantiis, & objectis commotarum, quæ impetunt habitus, eosque sensim debilitant, ac tandem corrumpunt. Similiter habitus intellectivi nisi exerceantur, obruuntur multiplicitate imaginationum, ratiocinationum alienarum, quandoque contrariarum, atque ita intereunt. Deinde etiam remissior actus habitu, eum disponit per accidens ad sui diminutionem tum nimirum, quando insurgunt passiones, fiuntque actus contrarii majoris intensionis, diminuentes habitum. Sicut & aqua tepida facilè se reducit ad frigus, si non conservetur calore intensiori, sed remisso. Porrò actus diminuentes habitum, cùm sint qualitates immanentes potẽtiæ, eandem ad hunc effectum sensim disponunt, ut postquam habitus totaliter eliminatꝰ fuerit, suus contrarius quoad suum totum esse introducatur. Deniq; habitus infusi virtutum eo instanti pereunt, quo lethalis culpa committitur. Quia pereunte naturâ, etiam suæ proprietates pereunt; accessorium enim sequitur suum principale: Atquì gratia, quæ natura supernaturalis est, per peccatum perit: Ergò & habitus qui sunt ejus proprietates

Quod

Quod contingit *Durationem.* In præsenti vita tamdiu durant virtutes, quamdiu earum habitus non corrumpuntur. In futura autem vita *Primò* Intellectuales virtutes quoad habitus ipsos, & species intelligibiles in mente permanebunt. Modus autem operandi earum non erit idem, nempe quoad usum phantasiæ, à quo in præsenti vita operatio virtutum intellectualium dependet. *Secundò.* Morales virtutes, tum acquisitæ tum infusæ perseverabunt in anima post separationem à corpore quoad habitum, illæ quæ subjectantur in voluntate, uti justitia &c. quæ verò in appetitu sensitivo sunt, in anima separata tanquam in sua radice remanebunt, quousque in resurrectione mortuorum resumpto corpore adeoque & appetitu sensitivo, in suam formam redibunt. Quia pertinebit ad augmentum gloriæ Beatorum, ejusmodi quoque ornatu & perfectione virtutum decorari, quamvis deerit materia, circa quam exerceantur. Porrò quod concernit Actus dictarum virtutum, hi tales formaliter non erunt in futura vita, quales in præsenti, sed quandam similitudinem eorum referent ut S. Thomas ex D. Augustino insinuat, nempe; *Quòd prudentia ibi erit sine ullo periculo erroris, fortitudo sine molestia tolerandorum malorum, temperantia sine repugnatione libidinum: ut prudentiæ sit nullum bonum DEO præponere, vel æquare; fortitudinis ei firmissimè inhærere; temperantiæ nullo defectu noxio delectari.* Justitiæ verò actus ibi erit esse subditum DEO; quia actus justitiæ etiam in hac vita est, esse subditum Superiori. *Tertiò.* Virtutes Theologicas, id est fidem, & spem, quoad habitum, & actum, non manere in futura vita, charitatem verò manere. Quia *fides est credere, quod non vides* ut S. August. ait. Sed in beata vita videbunt id, quo beatificantur: Ergò ampliùs non credent. De spe quoque eadem ratio militat ex Apost. *Quòd videt quis quid sperat?* Porrò de charitate idem Apost. insinuat: *Charitas nunquam excidit.*

1. 2. qu. 67. a. 1.

Serm. 27. de verb. Apost.

Ad Rom 8.

1. Cor. 13.

Proprium quoque est virtutibus, ut *actus posteriores virtutis non procedant ab habitu virtutis, nisi per actum priorem: inde est: quòd virtus non definitur nec denominatur nisi ab actu priori, quamvis etiam alii actus ab ea consequantur.*

D. Thom. 22. q. 28. art. 4.

Deinde etiam proprium est, quòd *uni virtuti multa vitia opponantur secundùm diversos actus ejus. Et secundùm hoc v. g. Charitati*

D. Thom. 22. q. 29. Art. 4. ad 3. *non solùm opponitur odium ratione actus dilectionis, sed etiam acedia, vel invidia, ratione gaudii, & dissensio ratione pacis.*

SECTIO VII.

De Donis Spiritûs Sancti.

DOna Septem Spiritûs S. (quæ communiter ita appellantur) *sunt habitus à DEO infusi, disponentes potentiam intellectivam, & appetitivam ad hoc, ut motionem Spiritûs Sancti homo promptè sequatur ad exercenda opera heroica.* Dicitur; *habitus infusi à DEO.* Quia ita in Christo (cum quo eadem dona participamus) non dicuntur se habere transeuntèr, sed permanentèr uti *Isai:* insinuatur. Dicitur; *disponentes potentiam.* Quia in hoc conveniunt cum virtutibus infusis, perficientibus potentiam ad supernaturaliter & promptè operari. Dicitur; *intellectivam, & appetitivam.* Et quidem potentiam intellectivam perficiunt sequentia quatuor: *Donum Intellectus*, ut Divinitùs revelata subtiliter penetrentur, & speciali perspicaciâ capiantur. *Donum Sapientiæ*, ut de Divinis intellectis secundùm regulas & rationes Divinas rectum habeatur judicium, & æstimatio eis inhærendi, & ab eorum oppositis recedendi. *Donum Scientiæ*, ut de creaturis per altissimam Causam formetur judicium. *Donum Consilii*, quo ex judicio Sapientiæ, aut Scientiæ, fit recta determinatio, quid in particulari sit agendum. Potentiam verò appetitus rationalis perficit *Donum Pietatis*, quatenus filiali quodam affectu exhibeamus debitum cultum DEO omnium Patri. Deniq; *Donum Timoris & Fortitudinis* perficiunt potentiam appetitus sensitivi. *Et quidem donū timoris Domini* partem concupiscibilem in suis inordinatis & ardentissimis cupiditatibus frænat, ne prorumpat in malum. Ut Psal: precatur: *Confige timore tuo carnes meas.* Et D. Gregor. dicit: *Dari donum timoris contra superbiam*, quæ opponitur humilitati, hæc autem subjectatur in appetitu concupiscibili. *Donum verò fortitudinis* partem irascibilem perficit, ut per ardua quæque audeat heroica & præclara. Dicitur; *ut motionem Spiritûs Sancti &c.* Ubi duobus modis differunt dona à virtutibus: nempe per singularem motionem Spiritûs S. & per exercitium actuum heroicorum. Per motionem quidem: Quia mobile per sui dispositionem debet proportionari

Isai. c. 11.

Psal. 118.

2. Moral. cap. 36.

nari suo motori: hinc quò est altior motor, eò perfectiori dispositione indiget mobile ad hoc, ut benè moveatur; sicut intellectus majori opus habet dispositione ad subtilissima perspicienda proposita à Doctore, quàm ad rudiora proposita à Ludimagistro. Jam verò cùm homo duplex habeat suæ motionis principium, & interius Rationem, & exterius DEUM; Deinde cùm virtutes perficiant hominem, in quantum hic natus est moveri à Ratione in his, quæ ei sunt agenda interiùs & exteriùs: sequitur debere disponi hominem altioribus perfectionibus (quæ sunt dona Spirtûs S.) quatenus efficiatur aptus moveri à DEO ad aliqua præstanda. Et quamvis etiam DEUS per illustrationes & inspirationes supernaturales cum ratione hominis ad eum movendum secundùm virtutes concurrat, tamen specialissimè & quasi antonomasticè dicitur DEUS concurrere (etsi hic quoque non fit absque concursu rationis humanæ) per inspirationes ad movendum hominem secundùm Dona. Quia circa virtutes ita DEUS cum ratione concurrit, ut ipsa etiam activè operetur, ratiocinando, consulendo, &c. Horum verò circa dona Ratio vix aliquid agit, sed ferè se passivè habet, recipiendo habitus donorum, ex eisque à DEO in Ratione productos actus; qui in intellectu gerunt vices quasi actualium gratiarum, quibus appetitiva potenter movetur ad suorum donorum exercitium ita, ut moraliter, etsi non physicè impossibile sit, ut non agat. Hinc de talibus propriissimè dicitur: *Quicunq; Spiritu DEI aguntur, ii sunt Filii DEI.* Hæc verò actio DEI operans in intellectu & voluntate minimè ejus præjudicat libertati. Unde Isaias dicit: *Dominus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorsum non abiit.* Deinde hæc dona non sub nomine donorum, sed spirituum, in scriptura intitulantur, uti: *Requiescet super eum Spiritus Sapientiæ*, &c. Et hoc propter specialem modum illustrationis & inspirationis, quâ per hæc dona movet Spiritus S. hominem. Philosophus quoque hic citatus à D. Thoma dicit de bona fortuna; *Quòd his qui moventur per instinctum Divinum, non expedit consiliari secundùm rationem humanam, sed quòd sequantur interiorem instinctum, quia moventur à meliori principio, quàm sit ratio humana.* Altera differentia donorum à virtutibus est, quòd dona ad præcellentissimas

Ep. Roman. cap. 8.

Isai. c. 50. v. 5.

Isai. cap. 11.

Lib. 7. Eudem. moral. c. 18.

quasdam & heroicas actiones eliciendas hominem moveant, & ju-
12.q.68.a.1. vent. Quare D. Thomas cum aliis ita ait: *Et hoc est quod quidam dicunt, quod dona perficiant hominem ad altiores actus, quàm sint actus virtutum.* Et Phil. supra virtutem communem ponit quan-
7. Ethic. dam virtutem heroicam vel Divinam, secundùm quam dicuntur aliqui Divini viri.

Et sicut Dona præcellunt alias virtutes ob rationes datas, ita Theologicæ Donis præferuntur: quia per illas Spiritui S. moventi homo unitur: & ab illis Dona regulantur.

SECTIO VIII.

De Causalitate Gratiæ habitualis, Habituum virtutis, ac Donorum Spiritûs S. in actus salutares.

GRatiam habitualem, habitus infusos virtutum, ac donorum Spiritûs S. esse causas seu principia intrinseca actuum super-
1.2. quæst. 110. art. 2. naturalium certum patet ex *Angelico Doctore* ita probante: „Quia non est conveniens quòd DEUS minus provideat his, „quos diligit ad supernaturale bonum habendum, quàm creaturis, quas diligit ad bonum naturale habendum. Creaturis „autem naturalibus sic providet, ut non solùm moveat eas ad „actus naturales, sed etiam largiatur eis formas, & virtutes „quasdam, quæ sunt principia actuum, ut secundùm seipsas inclinentur ad hujusmodi motus. Et sic motus quibus à DEO „moventur, fiunt creaturis connaturales & faciles, secundùm „illud Sapientiæ 8. *Et disponit omnia svaviter.* Multò igitur magis illis, quos movet ad consequendum bonum supernaturale „æternum, infundit aliquas formas, seu qualitates supernaturales, secundùm quas svaviter & promptè ab ipso moveantur ad „bonum æternum consequendum.

Porrò Gratiam habitualem mediantibus habitibus Virtutum ac Donorum Spiritûs S. causalitate phisicæ efficientiæ influere in actus salutares *Probatur.* Quia natura per suas potentias ita influit in suos actus naturales; Ergo & gratia, quæ est quædam supernaturalis natura per habitus infusos, gerentes vicem potentiarum supernaturalium, physicè efficit sibi proportionatos seu

tos seu supernaturales actus; adeoque talium actuum Gratia erit remotum, Habitus verò infusi proximum principium.

Cæterùm Habitus virtutum Acquisiti exercent causalitatem in Actus salutares; quatenùs in eos influunt facilitatem, ut promptè & expeditè in actum progrediantur: Itaque Actui salutari Potentia Naturalis dat spiritualitatem, vitalitatem, libertatem; Gratia verò cum habitibus infusis dat supernaturalitatem; Habitus autem acquisiti dant facilitatem.

SECTIO IX.

De Gratiis gratis datis: & Causalitate earum in suos actus Supernaturales, ac quomodo fiant Operanti Salutares.

POst gratiam gratum facientem sequuntur gratiæ gratis datæ. Quarum notitia spirituali Theologo necessaria: Tum, ut sciat illis probè uti (si quæ concessæ fuerint) ad alienam salutem, imo & suam. Ita rectè *Suarez* advertit hic. Tum, quatenus videat differentiam gratiarum gratum facientium & gratis datarum, quænam magis sibi sunt exoptandæ, quæ non ita. *De Gratia Proleg. 3. c. 4. p. 7.*

Itaque *Gratia gratis data est donum DEI supernaturale, concessum ad promovendam aliorum æternam salutem.* Dicitur; *donum DEI supernaturale*, in quo convenit cum gratia gratum faciente. Utrumque enim genus gratiæ, est indebitum naturæ; ita tamen quòd gratia gratum faciens sit supernaturalis quoad substantiam, aliquæ verò gratiæ gratis datæ sint supernaturales quoad modum, ut videbimus. Dicitur; *ad promovendam* &c: per quod differt à gratia gratum faciente, quæ per se ordinatur ad cujusque proprium bonum, & salutem spiritualem. Unde gratiæ gratis datæ concedi possunt & peccatoribus, ut videtur Apostolus insinuare: *Si lingvis hominum loquar & Angelorum &c. Si habuero Prophetiam, si habuero omnem Fidem ita ut montes transferam, Charitatem autem non habuero, nihil sum.* *1. Cor. c. 13.* Sicut & defacto in illa die multi dicent Christo: *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? & tunc* *Matth. c. 7. v. 22.*

confitebor illis, quia nunquam novi vos; discedite à me, qui operamini iniquitatem. Sciendum tamen, quando contingit signum aliquod vel beneficium operâ hominis peccatoris obtineri, tunc id fieri potiùs ex fide accedentis, quam ejus ad quem acceditur, ut vult *Anastasius, Nyssenus*: Ex circumstantiis itaque colligendum, cui signum illud adscribendum. Deinde nunquam permittit DEUS veris signis hypocrisim seu fictam sanctitatem, aut falsam doctrinam, vel hæresim confirmari. Quia miracula cùm sint quasi quædam sigilla Divinæ locutionis, quibus DEUS dicit se dicere, aut approbare id, quod est verum; sequitur DEUM non posse veris signis confirmare falsum, alioquin mentiretur, quod est in DEO impossibile. Unde Christus Attendere jubet à falsis Prophetis: Talesque docet esse cognoscendos ex fructibus eorum. Dum igitur signa fiunt per reprobos, aut fiunt in confirmationem veritatis, & tunc vera possunt esse, quemadmodum fuerunt in Juda Ischariothe prædicante Regnum DEI: ut refert citatus Anastasius: Aut fiunt in robur falsitatis, & tunc sunt semper apparentia & delusoria, ut contigit in signis Magorum Ægypti: possuntque naturali virtute dæmonum applicantium activa passivis ejusmodi insolita & mirabilia contingere. Quorum falsitas tandem deprehenditur, pensatis undique circumstantiis.

In quæst. scripta quæst. 23. Tom. I. Biblioth.

Matth. c. 1. v. 15.

Cæterùm ordinariè gratiæ gratis datæ justis & Sanctis conferuntur; Tum ad meliorem fructum faciendum in Ecclesia DEI: Quia propter signa insuper vita proba vi quadam potenti alios trahit ad assensum veritati, & sectandam sanctimoniam. Tum ad ostensionem excellentis virtutis Sanctorum. Ita enim verè *probatus est, quem DEUS commendat.*

2. Cor. c. 10.

Porrò gratiæ gratìs datæ à Scholasticis novem numerantur ex Apostolo in his verbis: *Alii per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundùm eundem Spiritum, alii fides in eodem Spiritu, alii gratia sanitatum, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio Spirituum, alii genera lingvarum, alii interpretatio sermonum. Hæc autem operatur unus atque idem Spiritus dividens singulis, prout vult.* Harum gratiarum aptissimam divisionem describit S. Thomas.

2. Cor. 12.

1. 2. quæst. 3. art. 4.

Quod concernit Causalitatem gratiarum gratìs datarum, hæc videnda est ex actibus earundem gratiarum. Etenim alii sunt

sunt actus supernaturales, qui à gratiis præfatis tanquam suis immediatis principiis physicè producuntur, sive illi sunt actus interni, sive externi; v. g. Ad infusionem supernaturalis luminis & specierum intelligibilium, concipitur aliquid interiùs sapienter, & deinde ore edisseritur Sermo Sapientiæ &c. Ejusmodi actus extra concursum gratiæ gratum facientis & motivum aliquod supernaturale minimè conducent operanti ad salutem, etsi aliis operantur salutem. Alii actus gratiarum gratis datarum sunt, qui non solùm ab iisdem gratiis principiantur tanquam suis caussis effectivis: verùm etiam simul producuntur ex aliquo motivo supernaturali, idque concurrente gratia gratum faciente. Et tales actus gratiarum gratis datarum non tam propter se, quàm propter congruitatem vel condignitatem & motivum supernaturale, supernaturalizantur, & accepti fiunt Deo in ordine ad salutem operantis. Appositè de his *Suarez* dicens: Quia dona gratiæ gratum facientis de se, & ex intentione dantis referuntur ad uniendam animam cum DEO, quod est optimum in genere moris: gratiæ autem gratis datæ de se non hoc conferunt: imò si interdum habent aliquam perfectionem moralem, est, in quantum ab aliqua virtute, vel actione gratiæ gratum facientis procedunt, vel imperantur. Sic v. g. Usus exterior Prophetiæ propter Ecclesiæ utilitatem (idemq; est de sermone scientiæ, sapientiæ) in tantùm habet moralem perfectionem, in quantùm ex charitate imperatur vel alia virtute morali religionis vel misericordiæ, &c.

Prolog. 3. de gratia cap. 4. n. 20.

CAPUT IV.

De Causa Naturali instrumentaliter concurrente ad efficientiam actuum supernaturalium.

POsitâ multiplici Causâ Morali, tum Physicâ Principali Naturali & Supernaturali Intrinsecâ, restat agere, de Causa Extrinseca Instrumentali actuum supernaturalium. Igitur ejusmo-

ejusmodi Causa est Corpus humanum; quod duplici modo concurrit ad actus salutares. *Primò*: Ex convenienti Organorum dispositione. Cùm enim anima in operando dependeat à corpore; hinc sicut malè affectum, vel corruptum, vel ineptum corpus in organis membrorum, officit animæ ad sua munia rite obeunda, quod patet in graviter infirmis, fatuis, monstrosis; ita corporis bona aptitudo & complexio non mediocriter juvat animum gratiâ DEI instructum ad virtutis opera; juvat inquam, tum removendo prohibens salutarium actuum, tum facilitando animum ad exercitium virtutis: sunt enim nonnulli, qui ex corporis complexione horrent aliqua vitia v, g. Sangvinei oderunt fraudes, furta, &c. & naturaliter inclinantur ad virtutes quasdam v.g. affabilitatem, sinceritatem, liberalitatem, &c. Similiter Cholerici despectâ pusillanimitate sunt magnanimi &c. Nisi fortè aliundè obstet contrarium vitium. Multò magis habilitabitur ad serviendum menti corpus ex virtute mortificatum, Divinisque gratiis in sensitiva cognoscitiva, & appetitiua sufful-
Cap. 2. tum, (de quibus *supra*) fietque ab intrinseco aptum instrumentum, removens impedimenta functionum spiritualium seu supernaturalium animi, easque ad executionem faciles reddens.

Secundò. Corpus concurrit ad actus supernaturales extrinsecos, sicut instrumentum per quod anima eosdem actus operatur. Nimirum homo constans corpore & animâ, ut utraque hæc substantia supernaturale præmium obtineat, illud utraque pro suo modulo mereri debet. Unde sicut essentiale præmium nempe visionis beatificæ ex anima derivabitur in corpus sed nonnisi accidentaliter, quia oculi corporei DEUM non videbunt; ita & actus extrinseci virtutum, meritivi hujus præmii, nonnisi supernaturales & liberi sunt per denominationem extrinsecam ab actu interno supernaturali & libero. Ideoque corpus ad internos actus salutares extrinsecè exercendos habet se ut Causa instrumentalis, mota à principali, nempe ab Anima.

Confirmat hæc asserta dictum Apostoli monentis: *Neq;*
Rom. c. 6. *exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato: sed exhibete vos DEO*
v. 13. *tanquam ex mortuis viventes: & membra vestra arma justitiæ DEO.*

Ubi

Ubi Glossa ordin: pro *exhibete* ponit *habiles facite.* Et Theophyl. *Corpus armorum hìc nomine censetur: arma verò indifferentia sunt & media inter vitium & virtutem. Sic militi ensis est instrumentum pro civibus, prædoni contra cives.* Et Lyranus: Et membra vestra arma justitiæ, id est: *Instrumenta ad justitiæ opera: per frequentationem enim boni operis fit impressio in membris corporis per quam redduntur promptè mobilia ad opus bonum.* Porrò Cornel. à lapide dicit: *Arma, id est instrumenta servientia peccato. Nota in anima duplex & contrarium esse regnum, peccati, & justitiæ. Peccatum ad regni sui dilatationem utitur membris nostris quasi armis, dum manu ad verbera, lingvâ ad detractiones, oculis ad curiositatem abutitur. Contra fit in regno justitiæ, dum illa manu ad eleemosynam, lingva ad DEI laudem, oculis ad studium utitur: hac de causa Apostolus membra nostra vocat arma tàm peccati quàm justitiæ.*

Theophyl. citatus à Lyran. in præfatum tex. Apost.

Comment. in citatum text. Apostoli.

CAPUT V.

De Oppositis Causæ efficienti Actuum vitæ Christianæ supernaturalis, seu de Causa efficiente peccatorum.

HActenus egimus de Causa efficiente Mediorum in statu vitæ Christianæ supernaturalis seu spiritualis, ad finem supernaturalem: nunc restat considerandum de Oppositis eidem causæ effectivæ, seu de Causa efficiente peccatorum. Quoniam ut D. Thomas argumentatur; secundùm Job: *Nihil in terra sine causa fit: Sed peccatum fit: est enim dictum, factum, vel concupitum contra legem DEI: Ergò peccatum habet Causam,* idque Moralem, Physicam, & Instrumentalem.

1. 2. quæst. 75. art. 1.

Job cap. 5.

SECTIO I.

De Causa Moraliter efficiente peccatorum.

CAusa moralis peccati alia est extrinseca; alia intrinseca. *Extrinseca* est dæmon; mundus seu homines mundani, & mundi bona & mala. *Intrinseca* est, caro secundùm appetitum sensitivum. Apposité de his *Angelicus Doctor* differit dicens; Causa

Ita D. Thom. 1. 2. quæst. 75. art. 3.

„Causa interior peccati est & voluntas ut perficiens actum pec-
„cati, & ratio quantùm ad carentiam debitæ regulæ, & appeti-
„tus sensitivus inclinans. Sic ergò aliquid extrinsecum tripliciter posset esse causa peccati, vel quia moveret immediatè ipsam voluntatem, vel quia moveret rationem, vel quia moveret appetitum sensitivum; voluntatem autem interiùs movere non potest nisi DEUS, qui non potest esse causa peccati, ut infra ostendetur. Unde relinquitur, quod nihil exteriùs potest esse causa peccati, nisi vel in quantùm movet rationem sicut homo, vel dæmon persuadens peccatum: vel sicut movens appetitum sensitivum, sicut aliqua sensibilia exteriora movent appetitum sensitivum. Sed neque persuasio exterior in rebus agendis ex necessitate movent appetitum sensitivum, nisi forte aliquo modo dispositum, & tamen etiam appetitus sensitivus non ex necessitate movet rationem & voluntatem. Unde aliquid exterius potest esse aliqua causa movens ad peccandum, non tamen sufficienter ad peccandum inducens: sed causa sufficienter complens peccatum est sola voluntas.

V. Sect. 2. Subsect. 3.

De hoc igitur gemino genere Causæ moraliter productivæ peccatorum, scilicet intrinsecæ & extrinsecæ sequentibus agendum.

SUBSECTIO I.

De Causalitate morali dæmonis in peccata hominis.

§ I.

Vide D. Thomam p. 3. q. 9. art. 7.

„Quemadmodum Christus est caput mysticum Ecclesiæ in „ratione vitalis influxus gratiarum, & exterioris guber-„nationis: ita diabolus est caput morale malorum respe-„ctu solius exterioris gubernationis, quatenus rationalem creaturam tentando inducat ad aversionem à DEO.)) Porrò ad ejusmodi aversionem seu peccatum dæmon inducit modò per se, modò per alios. *Per se* operando circa hominem externè, vel internè. *Externè*, dum aut per aliquos ex quinque externis sensibus errores ac mortifera jacula mittit in animum; vel deterrendo

terrendo à bono, ſicut per horrenda monſtra, & fremitus beſtiarum, avertere conabatur magnum Antonium à Sancto propoſito; vel alliciendo ad malum v. g. in externa ſpecie mulierum aut virorum, prout fecit cum S. Hilarione, & aliis, formoſas eis repræſentans fœminas. Aut utendo organis membriſque corporis per modum inſtrumenti attrahendo animum ad peccandum, vel oſtendendo ſe eſſe DEum, aut Angelum lucis, ſive Sanctorum aliquem, ut decepti ejuſmodi impoſturis miſeri mortales à veri Dei fide cultuque avertantur, ſenſimque in nefanda prolabantur. Ita traxit innumeram gentilitatem ad inferos; trahitque qui videntur eſſe ſpiritualiores, ſed aliquâ ſuperbiâ & ſui fiduciâ inflatos ac curioſos. Vel aliis modis per ſenſus animum vexando & trahendo ad malum: Sicut S. Magdalenæ de Pazis implebat auditum deteſtandis blaſphemiis adeò importunè ut licet reluctaretur, ſatis timebat tamen, ne loco verborum orationis aliquod blaſphemiæ verbum proferret. Vel affligendo extrinſecè in ſubſtantia quemadmodum S. Job omnibus bonis privans, tandem damnis variis & in corpore morbis percuſſit ſathan ulcere peſſimo, ut malediceret Domino. Vel denique & potisſimùm alliciendo bonis mundi propoſitis, honoribus, divitiis, deliciis, quibus ineſcans perdit innumeros.

In vita ej9. *Vide in vita ipſius.* *Job cap. 2.*

Internè dæmon operatur inducens hominem ad peccandum, nempè ſecundùm D. *Thomam* commovendo in phantaſia formas & ſimilitudines rerum, ſeu impresſiones relictas ex ſenſibilium motionibus in ſpiritibus ſenſualibus conſervatas, atque ita repræſentat intellectui, ut vel eum à Divinis & cogitationibus piis diſtrahat ad otioſa ſive minus utilia, vel ad aliqua illicita pelliceat, prout S. Catharinæ Senenſi abominandas impudicitias in imaginatione efformabat; vel ut à bono deterreat horrifica menti proponendo v. g. umbras mortuorum, terrores noctis, tædia ſolitudinis, ſicque ab ea ad converſationem nocivam, vel à vigiliis ſacris avocet. &c. Similiter dæmon non otiatur in reliquo corpore, nempe concitat in appetitu ſenſitivo pasſiones concupiſcibilis, & iraſcibilis, commovendo ſpiritus vitales, ſangvinem circa cor, alioſque humores nimirum bilem, melancholiamque inflammando, unde alteratum corpus ſeu caro, rebel-

V. p. 1. q. 111. art. 3. *In vita ej9.*

lizat Spiritui, eum secum potenter inclinans ad illicita & nefanda. Docet enim D. Thomas *quod per commotionem interiorem spirituum & humorum potest Angelus* (bonus malusvè) *aliquid operari ad immutandam actionem potentiæ appetitivæ & sensitivæ, & cujuscunq; potentiæ corporali organo utentis.*

1. *quæst.* III *art.* 4.

Per alios dæmon seducit. Ita per Evam Adamum ad pomi vetiti esum induxit: ita Jobum per uxorem suam ad blasphemias provocabat: ita in ore pseudoprophetarum factus mendax spiritus, Achab decepit. Ita nunc Hæretici & mali Christiani, suasores errorum & scelerum, quid nisi instrumenta diaboli?

Gen. cap. 3. *Job cap.* 2. 3. *Reg.* 22.

§ II.

CÆterùm dæmon inducens ad malum vocatur antonomasticè Tentator, & dicta inductio Tentatio, ut habetur: *Accedens Tentator dixit ei* &c: Et: *Ne tentet vos Sathanas.* Unde hic de Tentatione seductiva ulteriùs agimus; etsi hæc non semper proveniat â dæmone, sed quandoque ortum sumat ab ipso mundo, vel carne, citra cooperationem sathanæ. *R. P. Bernardinus Rosignolius* Tentationes in tres classes dividit juxta triplicem gradum vitæ Christianæ, Incipientium, Proficientium, & Perfectorum. De quibus antequam agamus cumprimis advertendi sunt doli & fraudes diaboli, ut aliqua ex parte dicere possimus cum Apostolo nos non ignorare cogitationes seu astutias ejus. Nam sicut prudentiæ est ad bonum finem recta consilia & media, coordinare, ita astutiæ, ad intentum scopum varias advertere circumstantias nec non de accommodis perversis mediis providere. Itaque Sathan, antequam tentare incipiat *primò* considerat physicum statum hominis, nempe ejus passiones & propensiones. Hinc S. *Gregorius* inquit: Existunt etiam qualitates morum, quæ certis vitiis sunt vicinæ, ut mores asperi crudelitati & superbiæ; blandi, & plusquam decet lætiores, luxuriæ & dissolutioni sunt conjuncti. Intuetur ergò inimicus generis humani uniuscujusque mores, cui vitio sint propinqui, & illa opponit antè faciem, ad quæ faciliùs cognoscit inclinari mentem, ut blandis, ac lætis moribus sæpè luxuriam, nonnunquam vanam gloriam; asperis verò mentibus iram, superbiam, vel crudelitatem proponat.)) *Secundò.* Animadvertit constitutionem mora-

Matth. 4. *v.* 3. 1. *Cor. c.* 7. *v.* 5. *Bern. Rosign. de discip. Christ. perfect.* 2. *Cor.* 2. *S. Gregor. l.* 14. *Moral. cap.* 7.

moralem hominis, ſitne ille peccator, an peccata fugiens, isque exercitator virtutis incipiens, proficiens, an perfectus. *Eos enim* ait S. Gregorius *pulſare negligit, quos quieto jure poſſidere ſe ſentit: contra nos verò eò vehementiùs incitatur, quò ex corde noſtro quaſi ex jure propriæ habitationis expellitur.* *Tertiò.* Perpendit occaſiones, tum varias circumſtantias, præterita, præſentia, futura, ne cœco impetu irruens ſua confundatur ſuperbia, haud obtento effectu. *Quartò.* Juxta *Caſſianum* maligni ſpiritus colligunt interiora noſtra ex exterioribus ſignis, verbis, factis. Tum ingeſtas cogitationes an ſuſceptæ, vel quomodo ſuſceptæ ſunt, ex motibus externis deprehendunt. Ut ſi horam meridianam curioſiùs inquiras, deſiderium gulæ fuiſſe ſuſceptum; ſi motus laſciviæ minùs dedigneris, vel aſperiùs infremuiſſe contra adverſarium adverterint, reum te immunditiæ, aut iræ dijudicant.

Idem lib. 23. moral c. 7.

V. Caſſian. Coll. 7. c. 15.

His animadverſionibus poſitis tandem exerit ſua jacula ille mille artifex; exerit autem diverſimodè ob diverſas & pene innumeras combinationes occaſionum, circumſtantiarum, &c. Univerſaliter autem tentat dæmon vel apertè, vel occultè: apertè trahendo ad conſenſum peccati; occultè decipiendo ſub ſpecie boni. De quo vide ſub *diſcretione ſpirituum.* Porrò pleroſq; nec apertè nec occultè niſi rariſſimè tentat; vel quia deſperat de victoria quod paucisſimorum eſt; vel quia DEUS non permittit eos tentari ob defectum virium ne ſuccumbant, vel quia dæmon eos tanquam ſuos jam posſidet: vel quia eos contemnit & dedignatur tentare tanquam puſillos & vecordes, posſitque eos ſemper habere, & tales innumeri ſunt.

l. 2. tr. 2. c. 9.

§ III.

IGitur contra *Incipientes* (nempe in quibus jam eſt incipiens ſeu inchoata vel nata Charitas poſt factam depurationem à peccatis mediâ pœnitentiâ Sacramentali) hoſtis agit. *Primo.* Aliquos tentat indiſcretâ pœnitentiâ, ut ſeſe conficientes reddantur imbecilles ad alia magis utilia exercitia obeunda. Hinc *S. Bernardus* „ inquit: Quoties ſuggesſit ſathanas anticipare vigilias, quo ad „ ſolemnia Fratrum illuderet dormitanti? quoties produci jeju- „ nia, & Divinis obſequiis eo inutilem reddidit, quo imbecillem? „

S. Bern. in Cant. 33.

 quoties

„quoties ad opus manuum plusquam opus fuerat incitavit, & „fractum viribus cæteris regularibus exercitiis invalidum reddidit?)) Hæc Tentatio superatur, Prudentiâ & discretione spirituum (de quibus alibi) & maximè humili obedientiâ ad arbitrium spiritualis Magistri, qui sicut festinum discipulum ad ardua debet refrœnare, ne offendat, ita excitare ad moderatum cursum, ne in profectu langveat. *Secundum* Genus tentationis est nimia anxietas conscientiæ seu scrupulositas: de qua suo loco fusiùs. *Tertia* tentatio est eaque communis Incipientibus, quâ incitantur ad recidivandum in pristina peccata. De „qua *S. Gregorius* innuit dicens: Occurrit illa familiaris sua de„lectatio carnalis, quæ inveterata dudum quantò eum diutiùs te„nuit, tantò arctiùs adstringit, atque â se tardiús abire permit„tit. Et quis ibi mœror, quæ anxietas cordis, quando hinc spi„ritus vocat, hinc caro revocat: hinc amor novæ conversationis „invitat, hinc desiderio ad cœlestem Patriam flagrat: & hinc in semetipso carnalem concupiscentiam tolerat)) Porrò ejusmodi tentationi facile obviatur, 1. Si occasiones peccatorum tollantur; 2. Si exorientes cogitationes peccati mox in puncto à mente instar scintillarum, ne in flammam erumpant, excutiantur, & ad aliquid aliud animus suaviter couvertatur 3. Si perseverat fortiter instans tentatio, ad orationem ut tutissimum asylum properandum per ardentes aspirationes &c. tum recogitanda motiva ad fugam peccati, ut habes *infra*, & præcipuè quatuor novissima vivaciter sibi proponenda, ut Sapiens monet. *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis*; Magistro Spirituali propalanda tentatio, ita enim Coluber tortuosus in lucem extractus, pudefactus ocyus fugiet. Unde S. Philippus Nerius ait: *Dæmon utpote superbus & amator tenebrarum spiritus, nulla alia meliùs vincitur ratione quàm vera cordis humilitate; & simplici claràq; remoto omni velo, peccatorum suorum ac tentationum Confessario factâ manifestatione.* *Quarta* tentatio Tyronum Spiritualium est timor proveniens ex arduitate & difficultate vitæ Spiritualis. Huic timori discutiendo remedia affert *S. Bernardus* dicens: Cami„nus est timor iste, sed ut examinet non exurat, veritas facit; et „ideo in Psalmo: Scuto circumdabit te veritas ejus, non timebis à timore

l. 2. tr: 2. c. 4. & 9.

l. 2. tra: l. c. 2. sect. 3.

S. Greg lib. 24. Moral. c. 7.

V. de peccato in genere & vitiis oppositis virtut.

Eccli. c. 7.

S. Phil. Nereus in Document.

S. Bernard. Serm. 6. in Psalm Qui habitat.

à timore nocturno. *Idem.* Nocturnus & tenebrosus timor, sed „ *Idem Ibidem.*
facilè hunc radius veritatis exuperat: ingerit enim oculis cordis „
nunc quidem peccata quæ egimus, ut quemadmodum de se „
Propheta ait, & nos in flagella parati sumus, annunciantes ini- „
quitatem nostram, & cogitantes pro peccato nostro: nunc verò „
æterna supplicia quæ meruimus, ut in comparatione eorum, „
quæ evasimus, universa quæ patimur, delicias reputemus. *Idem.* „ *Ibidem.*
nunc quoque ingerit cœlestia prœmia, ad quæ tendimus: cre- „
brò videlicet memorantes, quoniam non sunt condignæ pas- „
siones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in „
nobis: nunc etiam ea quæ pro nobis pertulit Christus, ut cre- „
bro considerantes quanta sustinuit illa Majestas pro inutilibus „
servis, erubescamus non sustinere vel parva pro nobis. *Quinta* „
Tentatio pusillorum in spiritu est, quòd scilicet homo, dum su-
is serviret cupiditatibus, nunquam tot & tantas senserit infesta-
tiones & molestias internas, ut experitur recipiens se ad melio-
rem vitæ frugem. Sed eliditur hæc invasio inimici illo vulgari
spiritualium proverbio: *Qui non sentit tentationes, aut Victus est, aut
Victor; aut Sanctus, aut Nequam.* Denique incipientibus pro com-
paranda victoria tentationum illud unicè medium æstimandum
& tenendum est, quod *S. Bernardus* insinuat dicens. *Sed quid sunt* *S. Bern. ser. 3.*
venatores isti? venatores utiq; pessimi, & nequissimi, callidissimi & cru- *in Psalm. Qui*
delissimi: venatores qui cornu non sonant, ut audiantur, sed sagittant in *habitat.*
*occultis immaculatum, ipsi rectores sunt tenebrarum, astutissimi versutiâ,
& malitiâ diabolicæ fraudis: Ita ut sicut est ante venatorem bestia, sic
ad eorum comparationem sit quilibet astutissimus hominum: præter eos dun-
taxat, qui cum Apostolo non ignorant cogitationes eorum, quibus in DEI
sapientia datum est fraudes deprehendere malignorum. Obsecro vos novel-
læ plantationes DEI, vos qui nondum exercitatos habetis sensus ad discre-
tionem boni & mali, nolite sequi cordis vestri judicium, nolite abundare
in sensu vestro, ne vos tanquam rudes adhuc, versutus ille venator deci-
piat. Obsecro vos humiliamini sub potenti manu DEI Pastoris vestri, & ac-
quiescite eorum consiliis, qui melius norunt venatoris illius versutias.*

§ IV.

PRoficientes Tentator aggreditur *Primò* ut eleganter descripsit
B. Gregorius dicens: *Ecce quidam rebus contentus propriis, de-* *S. Greg. lib.*
crevit *33. Moral. c. 17.*

crevit nullis mundi hujus occupationibus implicari, valde formidans quietis suæ commoda perdere, & valde despiciens cum peccatis lucra cumulare. Hunc callidus hostis aggreditur, subministrans utile consilium: his inquit deficientibus quid acturus es? paranda sunt quæ serventur filiis: an non potest actio terrena peragi & declinari culpa? Hæc interim blandiens insinuat, etiam seorsum in negotio terreno, quod providet, laqueos occultat. Alius decrevit terrenis omnibus renunciare, ut Christum sequatur expeditior. Hunc aggreditur hostis, unde hæc audacia, ut credas, quod omnia relinquendo subsistas? valentiorem viribus te DEUS creâsset, si te sequi sua vestigia in inopiæ necessitate voluisset: quàm multi mercantur coelum per bona, non deserentes sua patrimonia? Hæc blanditur, seorsum verò in iisdem rebus pestiferas delectationes abscondit. Alius non solùm renunciat bonis terrenis, sed statuit etiam sibi renunciare, & voluntates suas frangere sub alterius arbitrio ad perfectionis cumulum. Ad hunc hostis molliùs adhuc blandiens, ô! quanta inquit, per temetipsum miranda agere poteris, si nequaquam te judicio alterius subdis? cur profectum tuum sub studio meliorationis imminuis? cur intentionis tuæ bonum, dum ultra quàm necesse est, extendere niteris, frangis? quæ enim dum voluntate propriâ usus es, perversa perpetrasti? Seorsum autem in voluntatibus ejus propriis exercendæ superbiæ causas parat. Alius tractis jam voluntatibus propriis, multa veteris hominis vitia correxit: Hic *zelo accenditur animas lucrandi. Hunc callidus hostis aggredi ur dicens: quid te ad aliena curanda dilatas? utinam tua considerare valeas, dum ad aliena extenderis, ad tua minor inveniris. Sic zelum charitatis adimit, & omne bonum, quod ex charitate prodire poterat, gladio subintroducti torporis extinguit.*

Secundò. Quidam ex instinctu dœmonis adeò totos sese tradunt externæ observantiæ morum, & bonorum operum, ut parum cogitent de interiore cultu virtutis, cùm tamen juxta
1. Tim. 4. Apostolum *Corporalis exercitatio ad modicum utilis est, pietas autem ad omnia utilis est.* Et *S. Bonaventura*: Cavenda est perturbatio studii devotionis, ex qua fulcitur omnis vera religio; postremò cavenda est negligentia exterioris disciplinæ.))

Tertiò. Quidam è contra astu sathanæ omnem curam impendunt in excolendis animi interioribus, exiguam in observantia exteriorum actuum virtutis. Verùm ejusmodi admonet

D. Ber-

D. Bernardus dicens: *Soliciti circa custodiam ordinis, ut ordo ipse custodiat vos.* *S. Bernard. Epist. 321.*

Quartò. Seraphicus Doctor species tentationum, quibus potissimùm Proficientes pulsantur, sequentes enumerat dicens: Multæ autem sunt tentationum species. I. Una est subtractio & inopia devotionis. Aliæ tentationes sine ista, nullam vel minorem virtutem habent, cùm ipsa sit quasi domus refugii ab omni tribulatione. Dominus mihi adjutor, & ego despiciam inimicos meos. Item. Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. Subtracto ergo tam singulari refugio, homo quodammodo internis expositus est hostibus tentationum: & ideo pavidus efficitur & pusillanimis, nisi fidei firmitate se muniat, & patientiâ, & humilitate se defendat, quæ tunc maximè habent locum exercendi se, & magnam gloriam promerendi. Fides autem probatur, si credit vera esse, quæ jam desiit per gustum dulcedinis experiri. Dulcia nimis sunt omnia, quæ de DEO credimus: sed gustus eorum ideo subtrahitur bonis, ut fides magis innitatur auctoritati scripturarum quàm experientiæ propriæ, & magis ex hoc meritoria sit. Spes autem probatur, si confidat DEUM sibi esse propitium, etiam dum flagellat, & ita studiosè studeat ei servire & placere in omnibus, ac si sentiat & videat eum sibi esse placatum. Unde Abraham laudatur quòd contra spem credidit Divinæ promissioni, & non hæsitavit diffidentiâ, certissimè sciens, quòd quæcunque promisit DEUS, potens est & facere. Patientia probatur si non murmuret contra DEUM, quasi sua duritiâ hominem tribulet, ut desoletur: & si longanimiter sustineat beneplacitum DEI, & non deficiat in adversis. Humilitas probatur, si cogitet se dignè puniri, qui quasi indignus sit consolatione spirituali: & si justificet DEUM, quòd juste judicaverit puniendo reum; & ingratum privando beneficio consolationis internæ. Tantùm debet nobis DEUS placere, & tantùm debemus eum diligere, quando nos punit ut purget, ac si blandiatur ut consoletur. Quis enim filius quem non corripit Pater? Ego quos amo, arguo & castigo. II. Quidam etiam tentantur ex difficultate benè operandi, & habent aliquam bonam voluntatem, sed non fortem: & ex difficultate obstaculum inveniunt, quasi grave saxum voluunt, & inde affliguntur tam ex remorsu conscientiæ, quæ accusat eos torporis, quàm ex dolore tardi profectus,

S. Bonavent. de profectu I. Religios. lib. 2. cap. 2.

Psal. 127.

Psal. 26.

Rom. 4.

Hebr. 12. II. *Apoc. 3.*

fectus, & desiderio vitæ sanctioris. Quidam enim vellent habere bona opera, & non valent ad ea exequenda se ipsos vincere. Juxta illud Apostoli: *Velle mihi adjacet, perficere autem non invenio.* Aliqua verò possent, sed ita videntur eis arida & parva, quòd diffidunt ea placere DEO, vel alicujus meriti fore: sic utrobique neglecti sunt, & incidunt in quandam tristitiam: sicut dicit de talibus Bernardus: Sunt qui in studiis spiritualibus fatigati, & versi in torporem, ambulant tristes in viis Domini: longos dies, & longas conqueruntur noctes, frequenter murmurant, arido corde ad quælibet injuncta accedunt &c. Quidam enim horror terret eos, cum cogitant de profectu spirituali quasi dicant apud se: Bona est victoria; sed dura est pugna: Dulce proemium sed labor merendi gravis. Sic exploratores missi in terram promissionis, reversi commendabant ubertatem terræ, ostensis fructibus, sed terruerunt populum pro difficultate expugnationis hostium, & proceritate inhabitantium. Ita Religiosi quidam explorantes terram per Scripturas, magna gaudia cœli prædicant: sed pugnas tentationum, & labores spiritualium exercitiorum ita exhorrent, quòd potiùs in deserto mori volunt, quàm introduci in terram promissionis: hoc est, magìs volunt sine opere in quodam medio statu manere inter secularem vitam & spiritualem, quasi inter Ægyptum & Terram promissionis in deserto aridæ conversationis, quàm per laborem & tribulationes pervenire ad gratiam perfectionis. Gigantes etiam terræ mirantur, & timent quasi monstra Enacim, cùm magnorum Sanctorum virtutes considerant; & de propria parvitate diffidentes illorum perfectionem attingere, non ex humilitate, sed ex paviditate desperant, causantes & murmurantes contra Dominum, quòd tam dura servitia ab homine requirat; sicut illi cum educti essent de Ægypto, ad tales miserias tolerandas. Inde etiam est quòd tam pauci ad perfectionem perveniunt, sicut de omnibus supra ad pugnam numeratis, tantùm duo ad terram promissionis intraverunt: quia soli illi perfecti sunt inter Religiosos, qui in pugna tentationis, & in exercitio virtutis infatigabiliter constantes fuerunt in pugna, resistendo malis, & in exercitio insistendo bonis usq; in finem. III. Ex hoc sequitur alia tentatio, scilicet fastidii. Quia fastidit homo omne bonum, tædet eum orare, legere, meditari:

Rom. 7.

Bernard. Serm. 31. in Cant.

III.

tari: tædet eum audire bona, vel loqui, vel operari, vel interesse Divinis etiam quæ sinè gravi labore facere posset. Et exinde cùm ad magna virtutum proemia pervenire diffidit, etiam in minoribus exerceri fastidit. Et quòd hæc tentatio ex priori oriatur, ostenditur: quia statim post murmur populi pro labore, sequitur murmur pro fastidio mannæ; quod significat spiritualis refectionis alimentum, sicut sunt verba sacræ Scripturæ, & bona opera, quæ pascunt animam & reficiunt conscientiam. De hoc Propheta dicit: *Omnem escam abominata est anima eorum: & appropinquaverunt* *Psal.* 106.
usq; ad portas mortis. IV. Ad duo autem trahit ista tentatio, aut ad exte- IV.
riores consolatiunculas, & seculares levitates: ut qui non habet in spiritualibus delectationem, saltem in carnalibus quærat & secularibus nugis, quo consulat fastidio, quo vexatur. Síc & illi qui manna nauseant, carnes concupiscunt, & pepones, & porros, & cætera, id est carnalia & terrena gaudia, & solicitudines exteriorum negotiorum, quæ suâ acredine quasi porri fastidientem gustum mutando delectant, sed postea conscientiam amaricatam ad fletum compellunt. Aut ad nimiam tristitiam trahit hæc tentatio fastidii, dum non habet in spiritualibus delectationem, & in carnalibus consolari renuit: & sic nusquam inveniens refugium magno mœrore consumitur: Solùm ergo restat, ut instanter clament ad Dominum cùm tribulantur, ut de necessitatibus suis liberentur, & sacrificent sacrificium laudis, & annuncient opera ejus in exultatione, id est, recolant beneficia DEI: & ex illis ad laudem ejus in exultatione spiritus provocentur. V. Quæ si statim V.
non successerit, sequitur alia tentatio gravis impatientiæ contra DEUM, quare tam durus & immisericors sit tribulato, quare tam parcus in dando egeno gratiam, & tam anxiè petenti, & tam importunè pulsanti. Et hæc Tentatio quandoque tam valida est, quòd quasi insanit homo, & palpitat ex vehementi mœrore: quia ibi non invenit solatium, quod deberet ei esse unicum refugium, scilicet in oratione, & in tanta supplicatione, cùm Dominus dicat: *Omnis qui quærit, invenit. Clamo ad te, & non exaudis me; sto & non* *Matth.* 7.
respicis me. Mutatus es mihi in crudelem: & in duritia manus tuæ adver- *Job.* 30.
saris mihi. Multitudo viscerum tuorum & miserationum tuarum, super me *Isa.* 63.
continuerunt se. Usquequo Domine clamabo, & non exaudies, vociferabor *Abac.* 1.

Psal. 12. *vim paciens, & non salvabis? Usquequo Domine oblivisceris me in finem,*
Psal. 43. *usquequo avertis faciem tuam à me? Exurge, quare obdormis Domine? exurge, & ne repellas in finem.*
Exod. 17. Item illud murmur Filiorum Israel: *Est ne Deus in nobis an non?* Hæc omnia illius tentationis anxietatẽ exprimunt, quæ non valet meliùs superari, quam patienter tolerando, & humiliter expectando, donec nobis benignitatis suæ vultũ dignetur ostendere, & manum largitatis aperire: ut cœlum quod super nos æneum sentitur, stillas gratiæ nobis influat; & terra cordis nostri quasi ferrea, emollita fluvio benignitatis Domini fructum suum, & affectus pios, & desiderium devotionis germinet.

VI. VI. Illa autem tentatio magis periculosa est, quæ minus molesta sentitur: quando ex longo usu subtractionis gratiæ devotionis, & post anxia multa desideria & labores pro recuperanda gratia homo quasi lassus remittit animum ab intentione quærendi: & sub colore patientiæ desinit oculos attollere ad opes, quas habere se posse non videt: & indignanti humilitate cogitat se indignum tali gratiâ: quia forsitan aliud de illo præordinavit Dominus, ut ad exteriora conversus, multis prosit, & ideo ab interioribus sit repulsus: Vult etiam sub discretionis velamine deinceps parcere sibi, ne corpus nimis debilitetur, vel caput irrecuperabiliter destruatur. Et incipit remissior esse in studio orationis, & ad confabulationes promptior, ad evagandum paratior, ad corporis commoda studiosior, ad inanes jocos promptior, ad exteriores occupationes sub specie redimendi tempus utiliter, voluntarius & intentus. Et ita paulatim subtrahitur à primo fervore, & desiderium proficiendi refrigescit, & studium langvescit, & subintrant affectiones Religiosarum fœminarum, & visitationes earum: & omnibus aliis extinctis solùm remanet ei ad solatium debile, quod adhuc scit loqui de spiritualibus: per quod vel seipsum præfert multis inexpertis talium experientiarum spiritualium, vel acquirit sibi nomen apud Religiosas fœminas, quæ existimant eum loqui ex cordis abundantia, & esse bonum instructorem vitæ spiritualis, & devotionis internæ. In hujus tentationis tempestate plurimi fluctuant, & pauci enavigant: quia nec amor DEI afficit, nec desiderium trahit, nec timor stimulat, nec fervor proficiendi urget: remissi in omnibus, & si quæ bona videntur

dentur facere, ex usu quodam vel ex pudore humano faciunt, vel ex timore, ne deteriùs eis contingat. Unde qui hoc superare desiderat, oportet ut vim sibimet faciat tam cordi quàm corpori: sicut pigrum animal quod calcaribus tunditur, flagellis agitatur. VII. Quidam trahuntur impetu fervoris ad bonum. Sicut igitur illi indigent frœno quo retrahantur ne præcipitentur: ita alii indigent flagello impellente, quod ad bonum quasi coacti incitentur. Misericors autem DEUS quò difficilius quis in tentationis pugna certaverit, eò majoris perfectionis ei gratiam tribuet in præsenti, & majoris gloriæ proemium in futuro. VIII. Sunt aliæ plurimæ tentationum species, quarum naturam, origines, & causas, prosequi longum est. Si enim nullus medicorum omnes morborum corporalium varietates & dolores plenè potest cognoscere; quanto minùs spirituales morbos tentationum & passionum, quæ subtiliores sunt, valet aliquis plenè discernere, nisi Spiritu Sancto plenus sive illustratus? Acerbissimæ tamen tentationes videntur, hæsitatio in fide Catholica; & desperatio de DEI misericordia; & spiritus blasphemiæ contra DEUM, & contra Sanctos; & tentatio sibimet injiciendi manus & se perimendi; & quædam perplexitas querulosæ conscientiæ medicinale consilium non admittendi.

VII.

VIII.

Contra tales, (*& alias*) ista maximè valent *Remedia. Primò* ut consolentur, quòd non timeant illas tentationes: quia magis proficiunt ad meritum patiendi, quàm ad detrimentum. *Secundò*, quòd patienter tolerent: sicut si sathanas visibiliter vel sensibiliter aliquem turbaret. *Tertiò*, quòd non curentur: nec ratiocinando eis resistatur: quia ex hoc magis quasi confricatæ inflammantur. Sed ad alia tractanda se convertat homo, quibus abstractus â se, obliviscatur passionis suæ: sicut corporali passione laborans, si habet quo occupatus obliviscatur sui, leviùs interim torquetur. *Quartò*, ut orationibus suis & aliorum bonorum hominum, misericordiæ Divinæ remedium imploret. *Et alibi idem S. Doctor ait*: Harum tentationum oportet nos quasdam maximè resistendo superare: ut spiritualia vitia, scilicet iram, acediam, superbiam, & invidiam: quasdam verò fugiendo meliùs evadimus quam pugnando: ut luxuriam, gulam, avaritiam: licet

S. Bonavent. ad Novit. p. 2. cap. 2.

etiam pugna contra eas sit necessaria. Sed tamen non est tutum diu cohabitare serpenti: nam multò tutior est castitas longè à mulierum frequentia semota, quàm in media earum. Faciliùs etiam abstinemus à delicatis cibis & potu, vel ab eorum superfluitate, quando non videmus, nec habemus, quàm cùm eis abundamus: & qui omnia reliquit propter Christum, & voluntariam paupertatem elegit, minùs infestatur à curis avaritiæ, quàm qui retinet divitias, semper anxius, quomodo eas augeat & servet. Spiritualia autem vitia etsi quandoque ex fuga videntur quasi remissiùs & rariùs infestare, dum deest occasio impugnandi: tamen postea ortâ occasione duriùs ferire solent, sicut leo catenatus ampliùs fremit, cùm fuerit emissus. Tentationes verò contra fidem, & de spiritu blasphemiæ, & similes, nec fugere possumus, nec repugnando vincere: quia quantò plùs indignamur nobis metipsis, & disputamus cum eis, tantò magìs refricatur earum rabies & accenditur. Sed nec curandæ sunt nec timendæ, tantummodo non consentiatur eis, & patienter eorum infestatio quasi quoddam diabolicum susurrium supportetur, quod aliter compesci non potest. Non solent bonis periculosæ esse tales cogitationes, sed sunt sæpe præsagia futuræ amplioris gratiæ, & consolationis, & vitiorum purgatrices, & magni meriti operatrices. Divinæ verò castigationes humiliter & patienter tolerandæ sunt, & jussionibus ejus devotè obtemperandum est: ut & fortes simus in fide & à mandatis ejus nunquam declinemus. Possent etiam plures tentationum species inveniri à studiosis, sed ad præsens ista sufficiant. Sunt tamen quidam, qui sibimet texunt laqueos tentationum, priusquam tentator accedat, & quodammodo procurant sibi unde tententur: ut qui sponte cogitationes pravas versant in corde. Et hæ sunt in tantùm validæ, quod postmodum in delectationem versæ & roboratæ difficulter expelluntur. Item illi qui familiaritates incautas fœminarum admittunt, quarum affectus ita imprimitur cordi, ut vix postea evellatur: & ita de similibus. Aliqui sibimet assumunt materiam, unde postea occasionaliter oritur eis turbatio & tentatio periculosa. Quidam verò non habentes causam tentationis ex sola suspitione vanam somniant sibimet tentationis procellam. Et hoc fit aliquando inter imperfectè bonos, inter quos fit turbatio & con-

sentio; non de radice malitiæ, sed ex sola vana suspicione; dum uterque nullius odii sibi conscius est adversus alterum, nec intendit eum in aliquo lædere: sed suspicatur alterum erga se invidiâ stimulatum incedere, & ei insidiari, cùm tamen hoc in nullo recolat se erga eum meruisse. Ille verò è contra nihil sibi conscius de his conqueritur, quòd iste sibi injurietur sine causa: & incipit etiam ipse facta alterius ponderare, quasi adversarii sui: & sic uterque inflammatur odio contra alterum, cùm neuter voluerit lædere; sed tantùm suspicatus sit, & vanè quòd alter alterum voluerit lædere sine causa. Et ita quandoque gravis turbatio oritur de modica scintilla, diabolo eam ad magnum ignem rancoris & odii conflante. Qui ideo imperfectè boni dicuntur: quia in eo sunt aliquatenus boni, quòd non intendunt proximo suo malum facere; & in eo à bonitate deficiunt, quòd nimis proni sunt de alio malum suspicari sine causa sufficienti: & in eo efficiuntur minimè boni, quòd ex quacunque causa ad odium contra Fratrem & proximum provocantur. *Hactenus S. Bonaventura.*

§ V.

PErfectorum tentationes quandoque sunt quæ & imperfectorum prout B. Gregorius innuit dicens: *Eis quoq; quos viros novimus fuisse virtutum, tentationes atq; certamina non defuêre vitiorum. Hinc est enim quòd ad consolationem nostram Prædicator egregius de se quædam talia prodere dignatur dicens: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis. Ad ima quippe pertrahit caro, ne extollat spiritus: & ad alta sustollit spiritus, ne prosternat caro. Spiritus levat, ne jaceamus in infimis: caro aggravat, ne extollamur ex summis.* Verùm maximè perfectioribus cavenda superbia nempe in judicio & contemptu imperfectiorum, tum in acriori invectiva alienorum vitiorum. Deinde curiositas & æstimatio sui ad experienda Divina arcana, solatia, visiones, raptus &c. tum ad accipiendas gratias gratis datas v.g. miraculorum. Unde *S. Augustinus* orat: A te Domine DEUS meus, cui humilem famulatum ac simplicem debeo, quantis mecum „ suggestionum machinationibus agit inimicus, ut signum ali- „ quod petam? Sic obsecro te per Regem nostrum, & patriam „ Hierusa-

S. Greg. lib. 19. Moral. c. 6.

Rom. 7.

S. August. lib. 10. Conf. c. 35.

„ Hierusalem, simplicem, castam, ut quemadmodum longè est à „ me ista consensio, ita sit semper longè atque longiùs. Denique Negligentia omnimodæ humilitatis summè & unicè cavenda: Subruto enim fundamento humilitatis, etiam ad nubes erecta turris Sanctitatis citiùs corruit. Unde qui de culmine Perfectionis ac Sanctitatis prolapsi sunt, initium adeo terribilium casuum superbia fuit, ut *supra* fusius habes.

Vide Summ. Theol. Spirit. cap. 4. § 4.

§ VI.

S. Bonavent. de profectu Reli. lib. 2. c. 1.

MOtiva ad ferendas patienter tentationes, eisque fortiter resistendum, *S. Bonaventura* affert dicens: Tentatione, pugnâ, & tribulatione probatur homo, & purgatur, & exercitatur, eruditur, & humiliatur. Qui certat in agone, non coronabitur, nisi legitimè certaverit. Quidquid diu debet durare, solet probari si durabile sit: & omne nobile & carum probatur si valeat, sicut debet. Ita virtus hominis quæ nobilissima est, & quæ in perpetuum durare debet, in tempore tentationis probatur, si constans sit: & DEUS probat amicos suos adversitate, si fideliter in ipsa perseverent. *Vasa figuli probat fornax, & homines justos tentatio tribulationis. Quia acceptus eras DEO, necesse erat ut tentatio probaret te.* *Purgatur* etiam homo à peccatis per tribulationem tentationis, ut dignus fiat gloriæ cœlestis celeri introitu, ne post mortem indigeat graviùs & diutiùs purgari. *Purgatur* etiam, ut majoris gratiæ capax fiat: sicut vitrum obscurum tergitur, ut luminis amplius sit capax. *Exercitatur* item, ut agilior & promptior fiat ad opera justitiæ, virtutum exercitia: quia in statu consolationis sola quies mentis & studium devotionis videbatur ei sufficere ad summam perfectionem: quæ ideo ei ad tempus subtrahitur, ut discat & in aliis virtutum studiis se exercere. Sicut enim mercator non in uno foro, vel apotheca omnia simul invenit, quæ desiderat, sed in diversis diversa: ita Religiosus non tantùm in quiete devotionis, & dulcedine consolationis spiritualis, sed etiam in labore certaminis, & exercitio bonæ actionis, debet quærere studium perfectionis, & merendi occasionem. *Scio & abundare, & penuriam pati: ubiq; & in omnibus instructus sum per arma justitiæ à dextris & à sinistris.* *Eruditur* etiam homo tentationibus, quando discit quæ sit utilitas

2. Tim. 2.

Tentatio probat.

Eccl. 27.

Tob. 12.

Tentatio purgat.

Tentatio exercet.

Philip. 4.

Cor. 2. c. 6.

Tentatio erudit.

utilitas tentationis, & profectus ex eis proveniens: quia ex hoc levior fit ei tentatio, cùm intelligit quare sic DEUS permiserit, & quis sibi fructus inde accrescit. *Fidelis autem DEUS, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis: sed faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* I.Cor.10. Eruditur etiam, quòd non tantùm innitatur experientiis consolationum, quantùm in fiducia ad DEUM, vel fidei certitudine. Sicut quidam rudes in via DEI, qui statim, cùm subtrahi sibi sentiunt consolationis experientiam, animo concidunt, credentes, DEUM â se esse aversum per gratiam; vel etiam in fide titubare incipiunt, an vera sint quæ de DEO senserunt. Vult autem Dominus erudire nos per subtractionem consolationis, & inniti veritati Scripturæ & fidei potiùs, quàm nostræ qualicunque experientiæ: quia fides non haberet meritum, si in sola expetientia consisteret: & spes quæ jam retineretur experientiâ spes non esset. *Per patientiam* autem & *consolationem Scripturarum*, potius quam experientiam, *spem habeamus*, credentes nunquam DEUM averti à nobis, quamdiu voluntas nostra à DEO non est aversa per consensum peccati, vel torporem negligentiæ. Rom. 15. *Mandasti justitiam testimonia tua, & veritatem tuam nimis.* Psal. 118. Hæc sunt vera testimonia gratiæ DEI, justitia in voluntate & operatione, & veritas DEI secundùm promissiones sacræ Scripturæ, quæ promittit nobis vitam æternam, si mandata ejus observemus. *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo.* Job. 13. Noli ergo diffidere cùm consolatio internæ dulcedinis tibi subtrahitur, quasi DEUS dereliquerit te, & bona opera tua non sint ei accepta: sed recurre ad illa vera testimonia, & consolare in ipsis, scilicet ut confidas veritati DEI, quòd quamdiu tu non recedas ab eo per consensum prævaricationis mandatorum ejus, quòd ipse non derelinquet te per propitiationem suam. Non enim nos eligimus eum, sed ipse elegit nos, & prius dilexit nos, & non deserit se non deserentes: qui etiam dilexit nos nondum existentes, vel etiam resistentes ei per peccatum. Unde dilexit nos, & elegit nos, non propter nos, sed propter seipsum ex sola benignitate sua: propter hoc etiam servabit nos. *Humiliat* etiam nos DEUS per tentationum tribulationes, ut cognoscamus quid sumus ex nobis, ne extollamur ex eo, quod à DEO accepimus, vel accepisse putamus. *Tentatio humiliat.* In igne probatur argentum & aurum; homines verò receptibiles in camino humiliationis. Eccl. 2.

Quidquid scoriæ vel falsitatis intus latuit, ignis tentationis prodit. De ipsis etiam bonis humiliamur, videntes quòd nostra non sunt, sed DEI: qui quando & quantùm voluit, dedit nobis ex gratia sua, non ex meritis nostris. Si consolatio spiritualis homini non subtraheretur aliquando, extolleretur, & gratiam perderet, & periret. Subtrahitur ergo ei ne amittat & perdat: sicut pater parvulo suo nummos negat, ne de ipsis ludat & perdat, donec & proficiat in prudentia, & sciat providè conservare. Videmus ejusmodi quosdam pueros gratiosos, nimis sibi inde placere, & gloriam humanam quærere, qui tandem evanuerunt coram DEO, & hominibus viluerunt. *Qui delicatè nutrit servum suum ab adolescentia sua, postea illum sentiet contumacem.* Benignus DEUS, *cujus deliciæ sunt esse cum filiis hominum*, libenter impartitur has delicias servis suis fidelibus ab adolescentia, id est à novitate conversionis: sed heu! postea quosdam eorum sentit contumaces, quando ex consolatione spirituali elati cæteros despiciunt, & in elationem versi dum famen laudis desiderant, jactantiæ vitio depravati, hypocritæ fiunt: & dum meliores videri laborant quam sunt, DEO se opponunt, gloriam DEI sibi temere usurpantes. Bonus autem Dominus sciens quàm utilis est homini tentatio & tribulatio, priùs ostendit ei consolationes dulcedinis, quibus postmodum in tentatione confortetur ne deficiat, & alliciatur, ut semper eas desideret, & non desistat eas acquirere, donec denuo recuperet quod amisit. Sic laborantibus in via, priùs copiosa paratur refectio, ne in labore deficiant. Sic columbæ longiùs emittendæ, priùs nutriuntur tritico cum melle: ut quantumcunque longè emissæ fuerint, semper illuc redire contendant, ubi delicatè se pastas esse meminerint. Sic Petrus priùs in montem excelsum seorsum ducitur, ubi gloriam transfigurationis Christi videat: ut postea à sathana expetitus, ut cribraret eum in tentatione, recoleret priorum dulcedinem, quam expertus erat, & rediret ad Dominum, quem tam amabilem senserat, ne diffidens & deficiens desperaret. Sic Filiis Israël priùs manna in deserto datur, & postea longo itinere & certamine fatigantur. *Hactenus S. Bonaventura.*

Prov. 8. *Prov. 29.* *Prov. 8.* *Matth. 17.* *Luc. 12.* *Exod. 16.*

Quod concernit *Praxim* gerendi se in tentationibus, easque vincendi &c. ex præcedentibus patet, patebitque infra ubi de vitiis

tiis mortificandis in generali & speciali, de discretione spirituum agitur.

SUBSECTIO II.
De Causalitate morali Mundi in peccatum hominis.
§ I.

MUndi nomine hic cumprimis intelliguntur Amatores mundi, ut habet *S. Augustinus*: qui multipliciter possunt esse Causa alteri ad peccatum, v. g. *Consulendo*: Sicut illi impii dixerunt cogitantes apud se non rectè: *Coronemus nos rosis* &c. *Adulando* juxta illud: *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt*. *Irritando* per læsionem in honore, fama, corpore, substantia. Et universaliter per *Societatem malam & conversationem* unus alteri est causa ruinæ. *Corrumpunt* enim *mores bonos colloquia prava*. Et. *Reprobi non attendunt documenta beatorum, quæ imitentur ad melius; sed proponunt sibi exempla pravorum, quæ ad suorum morum perversitatem imitantur ad pejus.* *Lib. I de Serm. Do. in monte cap. 6.* *Sap. cap. 1. vers. 8.* *Isa. c. 4. v. 12.* *1. Cor. c. 15. v. 33* *Isidorus de summo Bono lib. 2. c. 11. se. 2.*

Et hic quoque convenienter serviunt, quæ contra malam societatem & familiaritatem improborum ad cavendum eam dici possunt. *Primum Motivum. Psal.* Cum electo electus eris: & cum perverso perverteris *Eccli.* Discede ab iniquo, & deficient mala abs te. *Et*: Omnis homo simili sui sociabitur. Si communicabit lupus agno aliquando sic peccator justo. Quæ communicatio sancto homini ad canem. Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea. *Et*: Qui communicaverit superbo induet superbiam)) Ergo ab omnimoda paritate, & qui communicaverit Avaro, Guloso, Luxurioso, Furioso, &c. Similia quoque vitiorum monstra induet, quibus qualificetur ad teterrimam Societatem dæmonum. Unde *Prov.* dicitur: Noli amicus esse homini iracundo, neque habitaveris cum viro furioso, ne forte discas vias ejus, & sumas laqueos animæ tuæ. *Apostolus*: Si is qui frater nominatur; est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax: cum ejusmodi nec cibum sumere. *Ibidem*: Modicum fermentum totam massam corrumpit. *Et*: Quæ participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? *Psal. 17* *Eccli. 15.* *Eccli. 7. & 13.* *Eccli. 10.* *Prov. 22.* *1. Cor. 5.* *2. Cor. 6.*

2. Thess. 3. bras? Quæ autem conventio Christi ad Belial. *Et:* Denunciamus vobis, fratres, in nomine Domini nostri JESU CHRISTI, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè.

Ambr. sup. Luc. 14. *Secundum Motivum,* Caveamus *S. Ambrosius* ait, perfidum, caveamus proditorem, ne per unum plurimi fluctuemus. *S. Gregorius:* Tolerandi ubique sunt proximi: quia Abel fieri non valet, quem Cain malitia non exercet. Unum verò est, potentia, quâ vitari societas malorum debeat, ne si fortàsse corrigi non valent, ad imitationem trahant, & cùm ipsi suâ malitiâ non mutantur, eos qui sibi conjuncti fuerint, pervertant. *S. Chrysostomus:* Bonus sic malo connectitur, ut aut pares reddantur, aut cito ad invicem separentur. Amicitiæ enim pares aut quærunt, aut faciunt. *Idem:* Rerum natura sic est, ut quoties bonus malo conjungitur, non ex bono malus melioretur, sed ex malo bonus contaminetur: diversitas enim rerum nunquam potest habere concordiam, & multos solicitat societas nefanda. *S. Bernardus:* Vitiosus conscientias vitiosorum non refugit, & ubi omnes sordent, unus minimè fortè sentitur. *S. Isidorus:* Ante ignem consistens etiamsi ferreus sis aliquando dissolveris, proximus in periculo diu tutus non erit. Per asiduitatem citò peccat homo. Sæpe familiaritas implicavit, sæpe occasionem peccandi dedit, sæpe quod voluntas non potuit, assiduitas superavit. *Idem:* Meliùs est habere malorum odium, quàm consortium; Sicut bona multa habet communis vita Sanctorum, sic plurima mala societas adfert malorum. Unde in pestilentibus locis sensim attractus aër latentem corporibus morbum injicit: sic in prava consvetudine ac conversatione maxima nobis mala hauriuntur, etiamsi statim incommodum non sentiatur. *S. Basilius:* Juvenis sive ætate sive animo fueris, æqualium tuorum consvetudinem defugito: ab illisque te non secus, atque ab ardentissima flamma procul abducito: quandoquidem illorum operâ usus adversarius, plerosque olim incendio dedit, & sempiterno igni cremandos addixit; Ac spiritualis videlicet primò charitatis vanâ quadam specie illectos in teterrimam postea Pentapolitarum voraginem præcipites deturbavit.

Gregor. in homil. 9. sup. Ezech.

Chrysost. sup. Matth.

Ibidem.

Bernard. lib. de considera- tione.

Isidor. lib. 2. soliloquior.

Ibidem.

S. Basil. serm. de abdicat. rerum.

2. Paral. 19. *Tertium Motivum ab exemplis.* Josaphat Rex Juda ob societatem initam cum Achab Rege Israel prope interem-

ptus

ptus fuiſſet. Verùm & à Jehu audivit: *Impio præbes auxilium, & his, qui oderunt Dominum amicitiâ jungeris: & idcircò quidem iram Domini merebaris, ſed bona opera inventa ſunt in te. Aliud:* Adoleſcens à S. Joanne Evangeliſta cuidam Epiſcopo commendatus tanquam depoſitum ſuum, perverſus improborum ſodalium familiaritate Princeps latronum effectus eſt. *Aliud:* Gordiana S. Gregorii magni Amita, quanquam ſororibus ſuis Tharſillæ & Æmilianæ ſociata, earum ſanctæ vitæ exemplis ad meliora traheretur, quia tamen laicarum puellarum plus æquo ſocietate gaudebat tandem miſerrimè prolapſa eſt. *Aliud:* S. Hieronymus ait: Scriptum eſt de Ezechiele: Ego eram in medio transmigrationis juxta fluvium Chobar. Separata enim erat Prophetæ converſatio, & iniquorum offendebatur aſpectu. Hoc idem & faciebat Moyſes, procul à caſtris multitudinis figens tabernaculum.)) *Aliud:* Rex David de ſeipſo referens ait: Facientes prævaricationes odivi. „ Declinantem à me malignum non cognoſcebam. Detrahentem „ ſecretò proximo ſuo hunc perſequebar. Superbo oculo & in- „ ſatiabili corde cum hoc non edebam. Non habitabit in me- „ dio domus meæ qui facit ſuperbiam: qui loquitur iniqua non „ direxit in conſpectu oculorum meorum.

Euſeb. lib. 3. cap. 33.

S. Greg. l. 4. Dial. cap. 16.

Hieron. in c. 3. Ezechiel.

Pſal. 100.

Ex his conclude quam infelix ſocietas & familiaritas malorum. Unde remis veliſque ſemper tibi fugienda.

§ II.

DEinde Mundi nomine hìc ſupponimus, quidquid eſt creatum productumque in mundo, ſive bonum ſive malum. Et quidem Creaturæ mundi quanquam in ſe ſunt bonæ & ordinatæ ad optimum finem, ex abuſu tamen illarum, *Creaturæ DEI in odium factæ ſunt, & in tentationem animabus hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium.* Hæ enim ſuâ bonitate conveniente ſenſualitati, potenter alliciunt ad amorem ſui, & avertunt ſtultum hominem à Creatore ad creaturam, à Summo & incommutabili Bono ad exiguum & commutabile, vel etiam nocumentum illatum à creatura non pro corona patientiæ ſufferunt, ſed per vindictam, blaſphemias, & alia hujuſmodi in demeritum gehennæ ignis, illud evitare, aut ſaltem lenire ſatagunt.

Sap. cap. 14. verſ. 11.

Cæterùm in hac materia rerum mundi, & mundanorum hominum (de quibus § præcedenti) quæ propriè concernunt spiritualem Theologum sufficienter alibi dicta, nimirum *supra Subsectione prima* immediatè præcedenti, de Tentationibus; tum *infra* ubi de Contemptu mundi, & de Discretione spirituum seu Spiritus mundi agitur. Hic autem sufficiat breviter ostendisse quomodo Mundus occasionaliter sit causa moralis homini ad peccatum.

l. 2. p. Theol. spirit.

SUBSECTIO III.

De Causalitate morali Carnis in peccatum.

CArnem hic intelligimus eam partem hominis, secundùm quam homo comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis: nempè secundùm partem animalem, & sensitivam. In qua per sensus exteriores & interiores cognoscitivæ, apprehendens aliqua, ea proponit appetitui sensitivo tanquam sibi convenientia, vel disconvenientia. Et quidem ad convenientia rapitur appetitus motibus prosecutionis, seu passionibus amoris, desiderii, &c. ad disconvenientia verò recedit motibus fugæ, seu passionibus odii &c. idque cum tanto excessu, ut non modò minimè obediat Rationi dirigenti suos motus irrationales, verum etiam ipsam Rationem ad illicita inclinare & attrahere ad consensum peccati conatur, *scilicet* (juxta D. Thomam) *voluntatem à propria functione distrahendo, vel rectum rationis judicium impediendo.* Id Apostolus expertus conqueritur: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege* „*peccati, quæ est in membris meis.* Quod explicans *Cornel. à Lapide* „ait: Ly *captivantem me* non voluntatis consensione sed commo„tione ait S. August: ut scilicet captivus reddar & subjiciar legi „peccati, id est concupiscentiæ, ita, ut etiam invitus & reluctans „vitiosas ejus inclinationes, dictamina, impulsus, sentire cogar, „& ejus laqueos & motus evadere non possim.

1. 2. Quæst. 77. A. 1.
Rom. c. 7. v. 23.
Comment. in eandem Epist. & cap. hic.

Hæc causalitas moralis carnis in peccatum, & quomodo ei obviandum fusiùs explicatur *Subsect: prima* præcedenti ubi de Tentationibus variis, agitur, tum *infra* de Mortificatione carnis, atque de Virtutibus passiones appetitûs concupiscibilis & irascibilis moderantibus.

l. 2. Theol. Spiritual.

SECTIO

SECTIO II.

De Causa Physicè Effectiva Peccati,

HUjusmodi Causæ sunt Intellectus, & Voluntas, quoad Esse peccati: Tum habitus vitiorum Congeniti, & Acquisiti, quoad facilitatem peccati. Deinde hic videndum, quomodo DEUS causaliter concurrat ad errorem & peccatum, & tamen non est propriè causa & Author erroris ac peccati.

SUBSECTIO I.

De Causalitate physica Intellectus & Voluntatis in peccatum.

Causæ mediatæ interiores actus peccati, sunt imaginatio seu apprehensio, & appetitus sensitivus: Causæ verò interiores immediatæ sunt Intellectus & Voluntas. De prima parte asserti hujus *supra* visum. De secunda vero sciendum est, quòd in actu peccati duo reperiantur, nempe aliquid positivum, & privativum: Positivum est ipse actus peccati realis, vitalis, & liber, quæ prædicata actus, nonnisi elicitivè, physicâ efficientiâ à voluntate prodire possunt. Privativum autem est, nimirum privatio debitæ rectitudinis in actu peccati; quam privationem rectitudinis seu inordinationem actus etsi voluntas juxta D. *Thomam* caveat per accidens & præter intentionem, defectus enim ordinis in actu provenit ex defectu directionis in voluntate: cùm tamen hic defectus directionis causatur ab intellectu, utpote non seriò proponente voluntati Regulam rationis vel legis Divinæ, juxta quam voluntas dirigat & rectè ordinet actus suos, sed potius afferat rationes ad excusandas excusationes in peccatis: Sequitur intellectum quoque esse causam dictæ inordinationis in actu peccati.

Ita D. Thomas 1.2. quæst. 75. a. 2. Cap. 2.

Vide 1. 2. quæst. 75. a. 1.

Vide D. Tho. ibidem a. 2.

Quomodo autem potentia intellectiva & volitiva sint reformandæ, ne in peccatum, quin potius in virtutem causalitèr concurrant, copiosè tractatur *infra* ubi de virtutis actu in genere & in specie.

1. 2. p. Theol. Spiritual.

SUBSE-

SUBSECTIO II.

De Causalitate physica Vitiorum in peccatum.

V*Itium est privatio debitæ perfectionis.* Vel: *Est habitus permanens, facilè inclinativus potentiæ ad actum vitiosum, seu peccatum.* Dicitur; *est privatio debitæ perfectionis*: Etenim sunt aliqua vitia, quæ nihil positivum in suo conceptu includunt, v. g. Cæcitas mentis, ad similitudinem cæcitatis corporalis, &c. Dicitur; *habitus* in quo convenit vitium cum aliis habitibus naturalibus: hic habitus docente D. Augustino: *Est qualitas, secundùm quam malus est animus.* Unde hæc qualitas pro formali suo conceptu dicit privationem rectæ dispositionis, quæ convenit naturæ rationali. Siquidem S. Augustinus universaliter inquit: *Quod perfectioni naturæ deesse perspexeris, id voca vitium.* Quare morale vitium juxta D. *Thomam* directè opponitur rationi virtutis, quâ convenienter disponitur natura rationalis. Porrò eadem qualitas vitiosa materialiter sumpta, est quid positivum & reale, cùm sit positivè inclinativa potentiæ ad facilitatem actus: sicut vitia in sola privatione perfectionis sita sunt negativè facilitantia potentiam ad actum. Dicitur; *permanens*: id est non de facili mobilis, nisi per contrarios virtutis actus frequentatos, vel etiam pauciores sed intensos. Unde Congenita vitia manent quoque post baptismum: quia etsi per eum originale peccatum quoad reatum culpæ & pænæ æternæ dimittatur, non dimittitur tamen quoad reatum pænæ temporalis, quæ inter alias pænas maxima est illa spiritualis, seu corruptio moralis naturæ rationalis. Similiter Acquisita vitia manent post dimissa actualia peccata: quia siquid obstaret habitibus vitiorum, tum maximè obstarent habitus infusi virtutum. Atqui hi non obstant; quia universaliter potentia v. g. ad amorem, compatitur inclinationem & facilitatem ad odium. Jam verò habitus infusi sunt quædam potentiæ supernaturales ad actus supernaturales, habitus verò vitiosi sunt inclinationes & facilitates ad peccata. Ergo iidem habitus sese compatiuntur. Dicitur; *facilè inclinativus potentiæ ad actum vitiosum.* Hæc enim potissima proprietas etsi omnium habituum, maximè tamen vitiorum, & habituatorum in peccatis hominum est, qui ut aquam bibunt iniquitatem, & absque ullo timore perpetrant mala filii hominum.

In lib. de perfect. Justit.

Lib. 3. de lib. arb. cap. 14. in fine tom. 1.

1. 2. quæst. 71. art. 1.

Hinc

Hinc ſimul patet quidnam phyſicâ efficientiâ habitus vitioſi in ſuos actus cauſent, nempè facilitatem, quâ habilitatur potentia, ut prompta ſit & expedita ad exercitium actus peccaminoſi, cui ſuam eſſentiam dat potentia, promptitudinem verò habitus.

Vitia ſive ut ſunt privatio pura, ſive ut ſunt habitus vel qualitas, alia ſunt Congenita, alia Acquiſita: *Congenita ſeu Innata* dicuntur, quòd cum illis naſcitur homo in pœnā originalis peccati; vocāturq; corruptio ſeu vulnera naturæ lapſæ. *Acquiſita* ſunt, quæ per frequentatos actus vitioſos producuntur. *Congenita vitia* in ſpecie hæc enumerantur. Ignorantia ſeu Cæcitas, & Hebetudo intellectus: Fragilitas ſeu debilitas voluntatis ad bonum, & Pronitas in malum, id eſt in ſuperbiam, avaritiam, gulam, &c. Tum Malitia voluntatis, quæ videtur opponi Virtuti ſecundum quod Virtus eſt quædā bonitas. De quo vide *D. Thomam*: Tum deniq; Rebellio appetitus ſenſitivi, quæ eſt Fomes peccati. Quanquam & iſta Congenita vitia non eradicata per actus augentur, vel ſi quæ evulſa fuerint, vel ſaltem diminuta, denuo per actus repetitos acquiri poſſunt, uti & omnia alia. 1. 2. *Quæſt.* 71. *art.* 1.

Ejuſmodi vitia Congenita etſi omnibus ſint communia, unus tamen magis inclinatur ad hæc, alter ad illa, ob variam diſpoſitionem complexionis naturalis. Sic unus altero ob melius temperamentum citiùs intellectu capit, ſubtiliùs penetrat, tenaciùs memoriâ ſervat, adeoq; citiùs liberatur à Cæcitate mentis & Hebetudine. Sic Cholerici aut bilioſi, ex quo calidi & ſicci ſunt, communiter præ aliis ſolent eſſe ſuperbi, elati, ambitioſi, iracundi, præcipites, impetuoſi, audaces, intentum finem per quæcunq; media conantur aſſequi, hypocritæ, fallaces, aſtuti, diſſimulatores, edaces quoque ſunt. Porrò Sangvineæ complexionis, cum ſint calidi & humidi, qui apparent facie rubrâ, ſerenâ, & plerumq; ſubridenti, proni ſunt ad jocos, ludos, riſus, cantus, voluptates, facilè ſuo & alieno indulgent genio, amant & amari exoptant: deniq; inconſtantes, mutabiles ac parum ſerii ſunt. Phlegmatici autem temperamento humido & frigido compoſiti, plerumq; ſolent eſſe corpulenti, otioſi, tepidi, tardi, ſomnolenti, hebetes ingenio. Deniq; Melancholici utpote frigidi & ſicci, propenſi ſunt ad mœrorem, timorem, ſuſpiciones, ſilentium, capitoſi ſunt ſeu proprio nimis inhærent judicio & ſenſui. Cæterum varia ejuſmodi humorum temperatura, ſicut & ipſa

ætas hominis, varia post se trahunt vitia. Nam Pueri & juvenes proni fiunt ad intemperantiam; Virilis ætatis in ambitionem; Senes in avaritiam.

1. 2. p. Theol. Spiritual. Porrò Habitus vitiorum qualiter eliminandi sunt *Modi & Praxes infra* numerosè proponuntur.

SUBSECTIO III.

De Causalitate seu Concursu DEI ad errorem, & peccatum: & quomodo non est Causa propriè & Author erroris, ac peccati.

QUoad Errorem: Etsi Scriptura Sacra subinde insinuat DEUM decipere & excæcare, id tamen SS. Patres omnino explicant non de Causalitate absoluta & positiva, sed de permissiva, prout infra ex dicendis de obcæcatione patebit.

Porrò quoad peccatum, DEUS ita concurrit ad actum peccati, *ut non sit ejus causa per se, sed nonnisi causa per accidens & permissiva.* Explicatur & probatur Prima pars Asserti: Quia si DEUS ad peccatum concurreret tanquam causa illius per se, concurreret ut ad illud ex se esset determinatus, ipsumq; determinaret, sicut facit creatura peccans. Atqui DEUS quando concurrit ad peccatum, non est ad illud ex se determinatus seu inclinatus, nec illud determinans seu intendens voluntate beneplaciti, sed potiùs à creatura pro priori rationis determinatus, cùm ipse potius intendat ut fiat actus bonus, dando ad illum gratias sufficientes, & prohibendo ne fiat actus

Isa. 43. malus. Hinc queritur DEUS contra peccatorem dicens: *Servire me fecisti in peccatis tuis.* Servitus namq; proprie coactionem quandam ab alio significat, & non ultroneam propensionem obsequen-

1. 2. Quæst. 79. a. 1. Corp. Cap. 1. de Divini nom. tis ad aliquid. Ratio autem D. Thomæ est: *quia omne peccatum est per recessum ab ordine, qui est in DEUM, sicut in Finem, DEUS autem omnia inclinat & convertit in seipsum sicut in ultimum finem: Sicut Dionysius dicit: Unde impossibile est quod sit sibi vel aliis causa discedendi ab ordine, qui est in ipsum:* adeoq; ut concurrat ad peccatum quasi ad illud ex seipso determinatus ipsumq; determinans. Illustratur id aptis simi-

V 1. 2. Quæst. 79. art. 2. litudinibus, quarum unam affert *D. Thomas* de Claudicatione: Vis motiva quantum est ex se determinat ad hoc pedem, ut rectos gressus faciat. *Natura enim nihil intendens malum operatur,* ut loquitur axioma

axioma, quod verò pes claudicat, hoc facit tibia fracta, quæ determinat vim motivam ut influat in claudicationem. Similiter peritus Scriptor tenens manum pueri in ſcribendo, quantùm eſt ex parte Scriptoris, hic inclinat puerum ad rectè formandos characteres, ſed puer ſuâ imperfectione intorquet & determinat manum Scriptoris, ut ſimul utraq; manus influat in diſtortam ſcriptionem. Simili modo & DEUS videtur concurrere cum peccatore ad actum peccati diſtortum. Ex quibus concluditur, quod DEUS non eſt per ſe Cauſa & Author paccati.

Probatur Secunda pars Aſſerti: *quod DEUS nonniſi ſit Cauſa per accidens & permisſiva peccati*: Quia ex ſuppoſitione Decreti DEI volentis conſervare liberum arbitrium creaturæ rationalis, ſequitur debere neceſſariò concurrere DEUM ſicut cum aliis cauſis ſecundis, ita etiam cum libero arbitrio, quando ipſum ſeſe pro priori rationis determinaverit ad aliquod malum, illud malum quandoq; permittere. Alioquin ſi nunquam permitteret, ageret contra rationem Cauſæ univerſalis, & contra vim decreti ſui. Dicitur autem *Cauſa per accidens*: quia non ex ſe determinatus concurrit ad peccatum neq; illud intendens, ſicut ex ſe determinatus & intendens cõcurrit ad alios effectus bonos vel indifferẽtes creaturarum.

Quomodo autem eſt DEUS Cauſa Excæcationis, & Obdurationis, juxta illud Proph: *Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava.* Et Apoſtolus inquit: *Cujus vult miſeretur, & quem vult indurat*: eleganter hæc declarat *S. Thomas* dicens: Excæcatio & obduratio duo important. Quorum unum eſt motus animi humani inhærentis malo, & averſi à Divino lumine, & quantum ad hoc DEUS non eſt cauſa excæcationis & obdurationis, ſicut non eſt cauſa peccati. Aliud autem eſt ſubtractio gratiæ, ex qua ſequitur, quod mens divinitùs non illuminetur ad rectè vivendum, & quantum ad hoc DEus eſt cauſa Excæcationis & Obdurationis. Eſt autem conſiderandum, quòd DEus eſt Cauſa univerſalis illuminationis animarum ſecundùm illud Joan. 1. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Sicut ſol eſt univerſalis cauſa illuminationis corporum; alitèr tamen & alitèr. Nam ſol agit illuminando per neceſſitatem naturæ: DEus autem agit voluntariè per ordinem ſuæ Sapientiæ. Sol autem, licet, quantùm eſt de ſe, omnia corpora illuminat; ſi quod tamen impedimentum

Iſa. 6.
Epiſt. ad Rom. 9
1. 2. *Quæſt.* *a. 3. Corp.*
Joan. 1.

invemat

inveniat in aliquo corpore, relinquit illud tenebrosum, sicut patet de domo, cujus fenestræ sunt clausæ; sed tamen illiùs obscurationis nullo modo causa est sol; non enim suo judicio agit ut lumen interiùs non immittat, sed causa ejus est solùm ille qui claudit fenestram. DEus autem proprio judicio lumen gratiæ non immittit illis, in quibus obstaculum invenit. Unde causa subtractionis gratiæ est, non solùm ille, qui ponit obstaculum gratiæ, sed etiam DEUS, qui suo judicio gratiam non apponit, & per hunc modum DEus est Causa excæcationis, & aggravationis aurium, & obdurationis cordis, quæ quidem distingvuntur secundum effectus gratiæ, quæ & perficit intellectum dono sapientiæ, & affectum emollit igne charitatis. Et quia ad cognitionem intellectus maximè deserviunt duo sensus, scilicet visus, & auditus, quorum unus deservit inventioni, scilicet visus, alius disciplinæ, scilicet auditus: ideo quantum ad visum ponitur excæcatio, quantum ad auditum aurium aggravatio, quantùm ad affectum obduratio.))

Patet ex dictis tum primitas & universalitas Causæ in Deo, ex cujus ratione necessario debet concurrere etiam ad peccatum: tum Sanctitas DEI, propter quam non potest esse Causa peccati. Quæ duo ut salventur, Modus hâc subsectione explicatur.


SECTIO III.

De Causa Instrumentali Peccati.

SIcut Corpus habet se in ratione instrumenti, per quod animus benè affectus extrinseca virtutum exercitia operatur: ita quoque est instrumentale medium quo maligna mens abutitur ab extra in omne nefas. Quod ita fiat, & quomodo fiat visum est *supra.* Nunc verò videnda essent *motiva*, ne id fiat; tum *praxis*, quomodo id fieri non debeat; verùm de his commodiori loco vide, ubi potissimum de vitiis Corporalibus agitur sub virtute Mortificationis & Temperantiæ, & alibi.

Theol. Spirit: Parte I. cap. 4. l. 2. Tract: 2.

Finis Primæ Partis
Theologiæ Spiritualis.



In Prima Secundae Partis
Fol.
160.

